THEOLOGIA MORALIS QUADRIPARTITA,

Incipientibus accommodata,

ET

In Aula Theologica S. J. Treviris publicè exposita

à R. P. JOANNE REUTER
Ejusdem Societatis, SS. Theologiæ Doctore in Universitate Trevirensi, & Professore publico,

NUNC

IN USUM E[illegible]TEM

plurium Typis data

Cum prævia Analy[illegible]

DOCTRINÆ MORALIS à SEDE APOSTOLICA REPROBATÆ.

PARS III.

Editio Secunda Auctior & Emendatior.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
Ex Officina METTERNICHIANA
Sub Signo Gryphi Anno MDCCLVI.
Cum Privilegio Sac. Cæs. Majestatis Speciali, & Permissu Superiorum.



THE

P

Justiti
tribu

C


qua de
mittenc

P

De Co

Qu

R Esp
C
Constitu
nonicum
ficat ,
stitution
cet Can



THEOLOGIÆ MORALIS PARS III.

DE

Justitia, & Jure, per eam cuique tribuendo, læsoque reparando.

Cùm in hac parte non rarò citentur Leges, in Corpore Juris tum Canonici, tum Cæsarei contentæ, aliqua de Corpore utriusque Juris præmittenda sunt.

PROLEGOMENA.

De Corpore utriusque Juris, modoque citandi Leges.

QUÆSTIO I.

Quid sit Corpus Juris Canonici?

Resp. Corpus Juris est Liber, continens Constitutiones Ecclesiasticas, vel Civiles. Constitutiones Ecclesiasticæ dicuntur Jus Canonicum à græca voce κανὼν, quæ idem significat, quod Latinis Regula. Hujusmodi Constitutionum septem numerantur species: scilicet Canon, Decretum, Epistola decretalis, Dogma,

Dogma, Mandatum, Interdictum, Sanctio, Canon est Constitutio, vel Lex . edita à Concil. Generali. Decretum est Constitutio edita à Pontifice ab aliis non consulto. Epistola decretalis est Constitutio, rescripta à Pontifice consulto. Dogma est Constitutio doctrinalis circa fidem. Interdictum est Constitutio sine pœna. Sanctio sub pœna aliquid prohibens. Mandatum est, quo Superior Ecclesiasticus ordinat ea, quæ pertinent ad disciplinam Ecclesiasticam. Verùm ista sæpe confunduntur.

QUÆSTIO II.

Quid sit Jus Canonicum ?

Resp. Jus Canonicum sunt Leges à Summis Pontificibus vel latæ, vel traditæ, aut approbatæ, quibus actiones & mores Christianorum ad cultum divinum, ordinem publicum in statu Ecclesiastico, ad pacem, justitiamque in Fidelibus conservandam, augendam, & ultimatò ad finem ultimum supernaturalem diriguntur. Dicitur etiam Jus Pontificium . Jus sacrum, Jus Ecclesiasticum, & aliquando, sed latè, divinum , ùt habetur Cap. *Cùm diversis.* 2. *De Privilegiis.* in 6. Differt à Jure Civili tum per causam efficientem, quæ est Summus Pontifex vi jurisdictionis spiritualis universalis, tum per causam suam finalem, quæ est cultus divinus, boni mores, virtus & salus æterna. Dixi : *Leges vel latæ , vel traditæ, vel approbatæ ;* nam aliæ sunt à Pontifice latæ, aliæ ex S. Scriptura desumptæ, aliæ ex Jure Civili translatæ, & approbatæ à Pontifice.

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quomodo Jus Canonicum dividatur?

Resp. Dividitur in ſcriptum, & non ſcriptum. Non ſcriptum ſunt Leges à principio ſolâ voce dictatæ, & ad nos ſucceſſivè, velut per manus transmiſſæ, etſi poſtea literis conſignatæ ſint. Tales ſunt Leges de Quadrageſimali Jejunio, de aqua miſcenda vino in Sacrificio Miſſæ. Scriptum eſt, conſignata literis congeries legum, quæ deſumptæ ſunt vel ex S. Scriptura, vel Conciliorum Decretis, à Summo Pontifice confirmatis, vel ex Summorum Pontificum Conſtitutionibus, vel ex Principum ſæcularium ſtatutis, vel denique ex SS. Patrum ſententiis.

Ubi tria notanda ſunt. 1mum. Præcepta, quæ ex veteri teſtamento merè poſitiva, Pontifices ſuis Decretis inſeruerunt, non obligant Chriſtianos, ùt fuerunt Juris divini, ſed in quantum, authoritate Eccleſiæ, vim legis obtinuerunt. Cætera verò, quæ jure naturali obligant, ùt de non occidendo. de non exercenda uſura, &c. eatenus ad Jus Canonicum pertinent, quatenus à Summis Pontificibus traduntur, aut magis explicantur: neque enim repugnat, idem eſſe juris naturalis, divini, & humani. 2dum. Leges Principum ſæcularium, authoritate Pontificis in Corpus Juris Canonici translatæ, vim legis Eccleſiaſticæ habent, in quantum à Pontifice ſunt approbatæ, & canonizatæ; aliæ verò leges civiles, quæ in foro Eccleſiaſtico recipiuntur, ſunt

solùm velut quædam adjumenta. 3tium. Sententiæ Patrum vim legis non habent, nisi Corpori Juris insertæ per modum legis proponantur. Sunt tamen magnæ authoritatis, & deficiente juris dispositione allegari possunt ad probandum.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint partes Juris Canonici scripti?

Resp. Sunt hæ sex. 1. Decretum Gratiani. 2. Libri quinque Decretalium Gregorii IX. 3. Sextus Decretalium Bonifacii VIII. 4. Clementinæ Clementis V. 5. Extravagantes Joannis XXII. 6. Extravagantes communes. Hæc intellige de Jure Canonico, ùt nunc habetur: nam olim solum Decretum Gratiani erat in Corpore, & ideo, quando ex Decretalibus fiebat citatio, addebatur vox *extra*; vel loco ejus X. ut intelligeretur, quòd textus, vel titulus citatus extra Decretum quærendus fit, v. g. *Can. Dum. extra. De Præbendis.* Sed id hodie raró fit, observandum tamen est, ne, si ejusmodi citatio reperiatur in Authore, putetur citari extravagantes.

QUÆSTIO V.

Quid de Decreto Gratiani sit observandum?

Resp. Sequentia. 1. Decretum est opus, à Gratiano, Monacho Bononiensi, Ordinis S. Benedicti, sub annum Christi 1150. tempore Euge-

Eugenii Papæ III. compilatum, tum ex S. Scripturæ ſententiis, tum ex Conc. & Pontificum Decretis, tum ex PP. teſtimoniis, tum denique ex Legibus Civilibus, quibus Gratianus, & Palea ejus diſcipulus, quædam unà cum Gloſſematis addiderunt. Opus illud à Gratiano inſcribitur: *Concordia diſcordantium Canonum*; quia plures Canones, vel reipſa, vel ſaltem in ſpeciem ſibi contrarios, congeſſit, & ſtuduit conciliare.

2. Decretum hoc habet tres partes. Prima complectitur 101. diſtinctiones, diviſas in Canones, ſeu Capita, atque ſic citatio fieri ſolet: *Cap.* vel *Can. Jus gentium. diſt.* 1. vel: *Can.* 9. *diſt.* 1. vel: *diſt.* 1. *can.* 9. 2da pars continet 36. cauſas, ſeu caſus, vel controverſias, quarum fere ſingulæ habent plures quæſtiones, diſtinctas in Canones, ſeu Capita: Citatio fit hoc modo: *Can. Quicunque. cauſa.* 1. *q.* 1. Vel: 1. *q.* 1. *Can. Quicunque*: Cauſa enim plerumque ſcripto non exprimitur, ſed ſolùm pronuntiatur. Ut autem ſcias, an cifra ſignificet numerum Canonis, vel cauſæ, attende, an ſequatur litera *Q.* ſeu *Quæſtio*: quando enim hoc ſequitur, tunc cifra hanc literam præcedens, etſi ſolitariè poſita, ſignificat quotam cauſæ, non Canonis. Porro cauſæ trigeſimæ tertiæ quæſtio tertia inſertum ſibi habet Tractatum longiorem de Pœnitentia, qui in ſeptem diſtinctiones, per Canones, ſeu Capita diviſas, diſtinguitur, & citatio fit hoc modo: *Can. homicid. diſt.* 1. *de Pœnit.* vel: *de Pœn. diſt.* 1. *Can. homicidiorum.* proinde quando additur: *de Pœnit.* quærendum eſt in cauſa 33. q. 3. Pars 3. & ultima Decreti inſcribitur *de Conſecratione*, & habet 5. diſtinctio-

nes, divisas in Canones, seu Capita: Modus citandi est: v.g. *Can. Nocte. dist.* 1. *de Consecrat.* vel: *de Consecrat. dist.* 1. *Can. Nocte.* Itaque quando allegatur *distinct.* sine addito, quærendum est in 1ma parte, quando allegatur cum addito *de Pœnit.* quærendum est in 2da parte *Caus.* 33. *Q.* 3. quando allegatur cum addito *de Consecrat.* quærendum est in 3. parte. In fine Decreti recensentur Canones Pœnitentiales 47. quibus pro gravioribus peccatis certum tempus & modus agendi Pœnitentiam decernitur; sed hoc tempore non vigent ampliùs.

His subjunguntur Canones, qui vulgò dicuntur Apostolici, eò quòd ex multorum opinione ab Apostolis traditi, tanquam regulæ ad formandos Christianorum mores, & à Clemente I. S. Petri discipulo, collecti fuerint. Eorum numerus diversus assignatur. In fine Corporis Juris nostri recensentur 84. Baronius autem refert tantùm 52. tanquam authenticos. Sed hi Canones, etsi sub initium sexti sæculi ab Ecclesia Græca fuerint recepti, tanquam verè Apostolici, & saltem 50. priores cœperint eodem tempore à multis recipi in Ecclesia Latina, adhuc tamen hodie à multis eruditis habentur omnes, ût suppositirii, nec verè collecti à Clemente, etsi multi multa utilia contineant. *Ratio illorum est* 1. quia Gelasius Papa in Concilio Romano septuaginta Episcoporum eos recenset inter libros ab Ecclesia rejectos, & non probatos. 2. Quia nullus priorum sæculorum scriptor illorum meminit, etiam dum maximè debuisset; quando nempe agebatur de controversia, per hos Canones definita. Nam S. Cyprianus contendens

dens baptizatos ab Hæreticis rebaptizandos esse, nunquam meminit Canonis 46. expreßè dicentis, Episcopum, aut Presbyterum; suscipientem Baptismum Hæreticorum, damnari præcipimus; Nec Victor Papa, in controversia cum Episcopis Asiatibus de Paschate celebrando, allegavit unquam Canonem septimum, qui vetat, Pascha cum Judæis celebrari. Hi autem Canones, si fuissent agniti Apostolici, utique debuissent allegari: nam controversiam decidissent. 3. Quia continent errores, nempe: Hæreticum esse, qui Jesum suspicatur Deum super omnia: Baptismum ab Hæretico collatum debere iterari: Patrem esse Deum Spiritûs sancti. 4. Quia Apostolis festa statuunt: certum autem est, quòd Apostoli sibi ipsi festa non instituerint. 5. Quia primis Ecclesiæ Patribus non videntur fuisse noti: neque S. Epiphanius & S. Hieronymus, qui omnia Clementis scripta recensent, illos ipsi, ùt collectori, adscribunt. Imò S. Isidorus Hispalensis signanter dicit, hos Canones nec à SS. PP. nec ab Ecclesia recipi; sed ab Hæreticis esse confictos. Quare authoritatem non habent. Vide Francolinum in Tyroc Theol. p. 2. p. 117.

QUÆSTIO VI.

Quid circa 5. Decretales sit observandum?

Resp. 1. Decretales sunt Constitutiones, sive Epistolæ variorum Pontificum, quas in unum volumen collegit S. Raymundus de Pennafort, Ord. S. Dominici, sub ann. Christi

1230. authoritate Gregorii Papæ IX. Collegit autem eas ex quinque antiquioribus collectionibus S. Ivonis Episcopi Carnotensis. Anno 1114. S. Brocardi, vel Burchardi, Episcopi Wormatiensis, Anno 1020. &c.

2. Decretales dividuntur in 5. libros, libri in Titulos, Tituli in Canones, seu Capita. Citantur hoc modo: *Can. Super literis.* 20. *de rescriptis.* Vel: *Can.* 20. *de rescriptis.* Vel: *Can. Super literis. de rescriptis.* Vel: *Can.* 32. *eodem.* Quando enim citatur Canon ex eodem titulo, de quo immediatè antè fuit aliquid citatum, usurpatur vox *eodem.*

3. In 1mo libro Decretalium post aliquot titulos generales de constitutionibus, consuetudine, & rescriptis, agitur de modo constituendi Prælatos, & ordinandi personas Ecclesiasticas. In 2do, de Processu judiciali. In 3tio, de Clericorum, tum Sæcularium, tum Regularium vita, obligationibus, & rebus. In 4to, de Sponsalibus, & Matrimonio. In 5to, de delictis, & pœnis.

QUÆSTIO VII.

Quid circa librum sextum Decretalium?

Resp. Complectitur Constitutiones, & Decreta Pontificum, qui Ecclesiæ præfuerunt post Gregorium IX. & duorum Generalium Concil. Lugdunensium: quæ jussu Bonifacii VIII. collegit Richardus Senensis, & distinxit pariter in 5. libros, quorum singuli divisi sunt in titulos, & quidem eosdem (omissis tamen aliquibus) quos habent Decretales priores; Titu-

titulos verò rursus divisit in Canones seu Capita: unde citatio fit sicut in prioribus cum hoc discrimine solùm, quòd in fine citationis additur: *in 6.* v. g. *Can. Pastoralis. de Clericis ægrotantibus in 6.* Huic operi in fine adjectæ sunt 88. regulæ juris, desumptæ potissimùm ex regulis Juris Cæsarei. Citantur hoc modo: v. g. *Quòd alicui gratiosè conceditur, trahi non debet aliis in exemplum. Reg. 74. Juris in 6.*

QUÆSTIO VIII.

Quid de Clementinis?

Resp. Sunt Constitutiones jussu Clementis V. editæ, & partim collectæ in Concilio Viennensi, in Gallia Anno 1310. celebrato, partim ex propriis ejus statutis, & Clemente mortuo per ejus Successorem Joannem XXII. Avenione Anno 1317. residentem promulgatæ. Dividuntur pariter in 5. libros, quorum singuli suis titulis constant, utì decretales, & decretalium sextus. Dividuntur dein tituli in Canones seu Capita, & citantur hoc modo: v. g. *Clementinâ unicâ. de renuntiatione.* Vel: *Clementinâ. Cùm illusio. de renuntiatione.* Vel: *Clementinâ ad nostrum. 3. de hæreticis.* Vel: *Clementinâ 3. de hæreticis.* Vel: *Canone ad nostrum 3. in Clementinis &c.*

QUÆSTIO IX.

Quid de Extravagantibus. Joan. XXII.

Resp. Sunt Constitutiones Joannis XXII.

dictæ extravagantes, quia antè necdum insertæ Corpori Juris Canonici, sede incertâ quasi vagabantur extra illud, in quod nunc numero viginti relatæ sunt, habentque 5. libros, distributos in eosdem titulos, sed valde paucos, & in Capita more Clementinarum, ad quarum etiam modum citantur: v. g. *Extravagante Joan. XXII ad Conditorem. de verb. signif.* Vel: *Can. ad Conditorem de V. signif. in Extravag. Joan. XXII.* Pro voce *Extravag.* ponitur subinde sola Vox *Ex*, vel litera *X.*

QUÆSTIO X.

Quæ dicantur Extravagantes communes?

Resp. Constitutiones pluribus Pontificibus Communes, seu à pluribus editæ, olim non insertæ Corpori Juris. Dividuntur in 5. libros, & hi in titulos, hi rursus in capitula. Citantur uti Extravagantes antecedentes, ponendo loco Joan. XXII. *Inter communes*, vel *in communibus*. V. g. *Extravag. quia non nulli. de sententia Excomm. inter communes.*

His partibus Juris Canonici adjectus est liber 7mus & ultimus, in 5. libros perinde, ùt sextus decretalium, divisus, cum quo etiam in titulis plerisque, & in materia titulorum, modoque citandi convenit. Collectus est à Matthæo jurisconsulto Lugdunensi. Verùm quia nec jussu, nec authoritate, nec approbatione Pontificis alicujus id factum est, authoritatem juris non habet; sed relatæ ibi Bullæ, vel Constitutiones Pontificum eum tantùm valorem habent, quem habent independenter ab illa collectione, quæ authentica non est. Idem esto judi-

judicium: de institutionibus Juris Canonici à Lancelloto Jurisconsulto conscriptis, & nunc Corpori Juris appressis.

QUÆSTIO XI.

An saltem omnes partes Corporis juris antecedentes habeant authoritatem legalem, & vim Juris Ecclesiastici quoad omnes textus?

Resp. 1. Decretum Gratiani per se non habet authoritatem legalem, nec vim decisivam in foro, & scholis; quia nec Gratianus, utpote vir privatus, illi authoritatem, vel vim dare potuit; nec dedit aliquis Pontifex. Contenta tamen in eo vim illam habent, quam habent fontes, ex quibus ea desumpsit Gratianus; quia, postquam Gregorius XIII. Decretum illud ab erroribus, quibus abundabat, diligenter expurgavit, censentur contenta in eo convenire cum originalibus. Proinde, quæ ex S. Scriptura desumpta sunt, habent authoritatem divinam: quæ ex Decretis Pontificum, vel Conc. Generalium, vim Juris Ecclesiastici obtinent: quæ ex SS. PP. etsi magnam probabilitatem habeant, non tamen vim legis, nisi fortè aliunde per Pontifices eâ donata sint. Quæ ex constitutionibus Imperatorum, & legibus civilibus Gratianus inspersit, in foro Ecclesiastico recipiuntur, quando supplent defectum Juris Canonici, nec repugnant immunitati Ecclesiasticæ, nihilque determinant circa res, vel personas Ecclesiasticas, seu quando ab Ecclesia sunt approbata, aut usu communi sunt recepta. Quæ denique ex suo addidit,

non

non nisi authoritatem Authoris privati habent.

Resp. 2. Reliquæ Juris Canonici partes, ùt Libri 5. & sextus decretalium, Clementinæ, extravagantes, tum Joannes XXII. tum communes vim legalem habent; quia eas aut condidit, aut approbavit summus Pontifex. Unde & singuli textus decisivi vim illam habent, nisi eam amiserint per consuetudinem, vel constitutionem contrariam: Consuetudo enim vim habet abrogandi legem, & lex posterior priorem tollit, si cum ea conciliari nequeat. Cæterùm textus partium, quæ eundem habent Authorem, ùt Libri 5. decretalium, Greg. IX. & sextus Bonifacii VIII. conantur Doctores ab omni contrarietate, & correctione absolvere, nisi in textu posteriore exprimatur clarè correctio prioris.

QUÆSTIO XII.

Quid sit Rubrica, & quæ ejus authoritas?

Resp. Rubrica est brevis summa materiæ subsequentis, vel constitutionis, cui præfigitur: quæ, quia olim solebat rubris characteribus exprimi, *Rubrica*, vel *Rubrum* dicitur. Est autem in quinque partibus ultimis, seu in decretalibus, Clementinis, & extravagantibus maximæ authoritatis; quia sicut textus, ità & rubricæ ab authoritate Pontificis vim habent. Unde quando textus non est satis clarus, à rubro ad nigrum utilis est argumentatio, & interpretatio ad decisionem causarum. *Arg. L.* 1. *Si de rebus credendis.* Non est tamen

tanta

tanta authoritas rubricæ in decreto Gratiani, quia vel ipse, vel alius eam fecit: unde ab ea ad textum argumentatio non stringit.

QUÆSTIO XIII.

Quid sit Glossa, & quæ ejus authoritas?

Resp. Glossa est Canonum, vel textuum uberior explicatio, ad marginem apposita ab Accursio antiquo Glossatore Juris Canonici. Unde Corpus Juris, fusiorem hanc explicationem habens, dicitur glossatum, vel majus: aliud autem, cui tantùm breves adjectæ sunt notæ, seu explicatio brevior, & variæ citationes, dicitur Corpus Juris notis illustratum. Quamvis autem Glossa (idem est de notis) magnam habet probabilitatem, nisi communis DD. aut consuetudo obsistat; tamen non habet authoritatem Juris. In glossa vel textu occurrens litera C. significat *contrà*, *I. Infrà*, *S. suprà*. Præter leges, seu constitutiones, in Corpore Juris contentas, sunt aliæ variæ, ùt conditæ à Tridentino, in Bullis latæ à Pontificibus, quæ in Bullario legi possunt.

QUÆSTIO XIV.

Quid sit Corpus Juris Civilis, seu Cæsarei?

Resp. Est collectio legum, quibus omnes Imperio Romano subjecti diriguntur ad pacem, tranquillitatem, aliaque commoda temporalia, & publica. Cœptum est colligi in ordinem circa annum 528. tempore Justiniani Imperatoris. Dividitur ab aliquibus in tres, ab

ab aliis in 4. ab aliis in 5. partes, videlicet in Institutiones, Digesta, Codicem, Novellas, & Libros Feudorum.

QUÆSTIO XV.

Quid de Institutionibus observandum?

Resp. Institutiones sunt quasi quoddam legum compendium, quod prima elementa scientiæ legalis, imò universam legum materiam exhibet. Collectæ sunt authoritate Justiniani senioris ex digestis & Codice Justinianæo antiquo, non quo nunc utimur, sed ex aliis antiquioribus constitutionibus. Dividuntur in 4. libros, distinctos in titulos, & Paragraphos. Quando citantur, primò allegatur Paragraphus, deinde titulus, hoc modo: §. *Inter eas* 2. *Inst. de nuptiis.* Quandoque omittitur numerus, & dicitur: §. *Inter eas Inst. de nuptiis*: Quandoque ponitur numerus, & omittitur initium Paragraphi hoc modo: §. 2. *Inst. de nuptiis*: Quandoque additur Pr. quibus literis indicatur principium Paragraphi, qui in iis reperitur. Institutiones quandoque exprimuntur per unicam literam I. aut S.

QUÆSTIO XVI.

Quid de Digestis?

Resp. Digesta, græcè Pandectæ, continent leges, & responsa Juris Consultorum, jussu & authoritate Justiniani collecta, & confirmata, in 50. libros digesta; quorum 24. priores

ores digestum vetus: 14. sequentes infortiatum; fortè quia agunt de ultimis voluntatibus, quæ post mortem testatoris fortissimæ sunt, vel quia de fortuitis successionibus tractant: reliqui 12. digestum novum vocantur, cujus tamen distinctionis in legum citatione nulla habetur ratio. Quando citantur digesta, formatur litera majuscula D. vel græcum π, vel loco hujus ponitur *ff.* Citatio fit hoc modo: 1mò citatur lex per literam L, deinde initium, vel numerus legis, vel initium, & numerus simul, tum additur *ff.* demum titulus libri, seu rubrica. v. g. L. *Jus publicum.* 38. *ff. de pactis.* Vel *L Jus publicum ff. de pactis.* Vel *L.* 38. *ff. de pactis.* Quando autem lex est longior, & divisa in Paragraphos, allegatur vel ejus principium per literas *pr.* vel §. & quandoque Versus per literam *v.* v. g. *L. Juris gentium* 7. §. 8. *v. in rem. ff. de pactis.*

QUÆSTIO XVII.

Quid de Codice?

Resp. Codex continet 12. libros, quorum tamen tres ultimos aliqui alteri juris parti adjiciunt. Modus citandi est fere idem, qui in Digestis, hoc tamen cum discrimine; quòd sæpiùs primo loco allegetur Codex per literam majusculam C. dein hoc speciale est in citatione Codicis, quod in tribus libris ejus ultimis addatur numerus libri, v. g. *C. de Jure Fidei L.* 1. *Lib.* 10. Vel *L. Omnes profugi* 8. §. *Cæterùm C. de Agricolis Lib.* 11.

Porro Novellæ quædam sub titulis convenientibus insertæ sunt ab Irnerio, quæ appel-

lantur authenticæ, & citantur hoc modo: *Auth.: Bona damnatorum. Cod. de bonis præscriptorum.* Vel: *In Cod. de naturalibus liberis. Auth. licet.* Vel: *L. generaliter C. de Episcopis, & Clericis auth.* Hæ authenticæ tantùm obtinent vim legis, quando, & quatenus concordant cum suo originali.

QUÆSTIO XVIII.

Quid de Authentico, seu Novellis notandum?

Resp. Authenticum seu novellæ constitutiones continent novem authenticas collationes distinctas in titulos, capita, & quandoque in §§. Habent Authorem Justinianum, qui constitutiones post editum codicem factas in novem distinxit collationes, & ideo Novellæ, & jus novissimum appellantur, quod in citatione per literam N. indicatur. Modus autem citandi hic est: *Authent. de testibus* 90. *Cap. Sancimus autem. Collat.* 7. Vel: *Auth. de hæredibus ab intestato venientibus. Coll.* 9. *T.* 1. *Cap.* 2. Hodiedum verò citatio expeditiùs fit hoc modo: *Nov.* 118. *Cap.* 2. *Si autem.* Vel: *Cap. Sit igitur* 20. *Nov.* 74. *quibus modis naturales filii.* Notandum, quòd dum hodiedum allegantur Novellæ, plerumque non intelligantur hæ Novellæ, sed quas codici insertas diximus ab Irnerio. Summa Novellarum hodie extantium sunt 168.

QUÆS-

QUÆSTIO ultima.

Quid de jure feudali observandum?

Resp. Jus feudale sunt consuetudines feudales, duobus libris comprehensæ, qui distinguuntur in titulos, & capita, & Paragraphos. Quando citantur, ponitur unum, vel duplex F. hoc ferè modo: 2. *F.* 55. Vel: 1. *FF. Tit.* 14. §. *ultimo de Feudo Marchiæ,&c.* Quintus liber de Feudis, qui adjicitur, non habet authoritatem.

Extra Corpus Juris Civilis dantur adhuc aliæ constitutiones: ut sunt 1mò Bulla aurea, quæ agit de electione Imperatoris, de officiis, & juribus Principum Electorum, citaturque per B. A. 2. Capitulatio Cæsarea, quà Imperator electus acceptat juratus conditiones sibi propositas. 3. Pax profana, seu pragmatica sanctio, quâ omnis vis injusta arcetur à statibus, & subditis Imperii. 4. Pax religiosa, quâ liberum religionis suæ exercitium hæreticis in Imperio est permissum Passavii per Ferdinandum I. Anno 1552. & quæ deinde renovata est per instrumentum pacis Osnabrugensis. 5. Ordinatio criminalis Carolina, seu Nemesis. 6. Recessus, seu ordinationes Imperii. Citatio recessûs fit per R. I. Pacificationis Osnabrug per P. O. &c.





DIVISIO & SERIES
PARTIS III.
TRACTATUS I.

De Justitia, & Jure tum in genere, tum in specie, deque hujus subjecto, objecto, & modis id acquirendi citra contractum.

CAPUT I.

De Quidditate, & divisione Justitiæ, ejusque obligatione.

Quæstio I. Quid sit Justitia, prout est virtus specialis? N. 2.
Quæstio II. Quomodo dividatur Justitia specialis? 3.
Quæstio III. Quanta sit obligatio Justitiæ tum commutativæ, & distributivæ, tum legalis & vindicativæ? n. 7.

CA-

CAPUT II.

De Quidditate, & Divisione Juris, & Dominii.

Quæstio I. Quid sit Jus proprietatis activum, ei respondens Jus passivum, & debitum? n. 13
Quæstio II. Quomodo Jus proprietatis dividatur? n. 16
Quæstio III. Quid, & quotuplex sit dominium proprietatis-? n. 17
Quæstio IV. Quid sit usufructus, Feudum, Emphyteusis? n. 19.
Quæstio V. Quid, & quotuplex sit servitus? n. 22.
Quæstio VI. Quid, & quotuplex sit possessio, quæ ejus emolumenta, & quomodo acquiratur, & amittatur? n. 24

CAPUT III.

De Subjecto, & Objecto Dominii.

Quæstio I. Quæ universim cadant sub Dominium hominis? n. 28
Quæstio II. Quæ bona temporalia cadant sub dominium filiorum familias? n. 40
Quæstio III. Quæ bona temporalia subsint dominio conjugum tum privativè, tum cumulativè? n. 46
Quæstio IV. Quæ dominio dominorum Ecclesiasticorum? n. 48
Quæstio V. Quæ temporalia subesse possint dominio Religiosorum? n. 52

Quæstio VI. Quorum Dominium habeant mancipia? n. 55

CAPUT IV.

De modis acquirendi Dominium proprietatis citra præscriptionem, & contractum.

Quæstio I. Quæ universim necessaria sint ad acquirendum Dominium proprietatis? n. 57
Quæstio II. An, & quomodo acquiratur Dominium animalium per occupationem, venationem, &c. n. 58
Quæstio III. An, & quomodo peccet, qui venatur, vel piscatur in loco aperto, ubi, & quando adest justa prohibitio? n. 62
Quæstio IV. Cui per inventionem acquiratur thesaurus? n. 63
Quæstio V. An, & cui per inventionem acquirantur fodinæ, & venæ metallicæ? n. 66
Quæstio VI. Cui, & quomodo acquirantur alia bona incerta, vacantia, & derelicta? n. 67
Quæstio VII. Quomodo acquiratur Dominium lignatione, pastione, & jure belli? n. 73
Quæstio VIII. Quomodo Dominium acquiratur per accessionem tum naturalem, tum industrialem? n. 77

CAPUT V.

De modo acquirendi Dominium per præscriptionem, seu usucapionem.

Quæstio I. Quid sit usucapio, seu præscriptio? n. 86

Quæstio II. An per præscriptionem transferatur Dominium etiam pro foro conscientiæ? n.87

Quæstio III. Quænam requirantur ad legitimam præscriptionem? n.89

Quæstio IV. An, & quomodo bona fides Authoris, seu possessoris antecedentis prosit, & mala obsit Successori in ordine ad præscriptionem? n.95

Quæstio V. Quantum temporis requiratur, ut præscribantur tum immobilia, tum mobilia præscriptionis capacia? n.98

Quæstio VI. Quandonam præscriptio dicatur non procedere, dormire, vel interrumpi? n.103

Quæstio VII. Quænam præscribi non possint? n.104

Quæstio VIII. Quibus concedatur restitutio in integrum contra præscriptionem? n.105

TRACTATUS II.

De Justitia servanda in contractibus, & jure per illos acquirendo.

CAPUT I.

De contractibus in genere.

Quæstio I. Quid sit contractus, & quid pactum? n.106

Quæstio II. Quomodo contractus dividatur? n.108

Quæstio III. Qualis debeat esse materia contractûs validi? n.109

Quæstio IV. An validus, & firmus sit contractus ex errore, vel dolo procedens? n. 111

Quæstio V. An validus, & firmus sit contractus ex metu initus, & quid dicendum in dubio? n. 118

Quæstio VI. An, & quatenus validus, vel invalidus sit contractus sub conditione? n. 130

Quæstio VII. Quandonam validus, aut invalidus sit contractus sub causa, modo, demonstratione, pœna, disjunctione, vel in diem celebratus? n. 132

Quæstio VIII. An validus sit contractus initus cum intentione quidem contrahendi, sed sine voluntate se obligandi, vel absque solemnitate juris præscripta? n. 140

Quæstio IX. Quinam possint, & quinam non possint contractus inire validè? n. 141

Quæstio X. An, & quatenus pupillus, & minor possint validè contrahere, & contractibus obligari? n. 142

Quæstio XI. An, & quatenus possint validè contrahere filii-familias, uxores, Religiosi, servi, & prodigi? n. 146

Quæstio XII. An, si pupillus sine tutoris, minor sine curatoris, filius-familias sine patris consensu acceperit pecuniam mutuam sit obobligatio restituendi? n. 151

Quæstio XIII. An contractus jure positivo irriti, vel irritabiles, accedente juramento de iis servandis promissorio, convalescant, vel ità firmentur, ut obligent etiam ex justitia? n. 153



CAPUT

CAPUT II.

De promissione liberali, & gratuita donatione?

Quæstio I. Quid sit liberalis, & gratuita promissio? n. 156

Quæstio II. Quænam requirantur, ut promissio valeat, & obliget? n. 157

Quæstio III. Quomodo promissio acceptata obliget? n. 159

Quæstio IV. Quandonam promissio valida & acceptata revocari possit, & obligare desinat? n. 163

Quæstio V. Quid, & quotuplex sit donatio? n. 165

Quæstio VI. Quid dicendum, si donatio, vel promissio fiat absenti per nuntium, vel literas? n. 167

Quæstio VII. Quænam donationes, & promissiones sint Jure Civili irritæ, vel infirmæ? n. 168

Quæstio VIII. Quas ob causas donatio valida, & acceptata revocari licitè possit? n. 171

Quæstio IX. An donatio, facta ad certum finem, sit valida, & firma, si finis ille non præstetur? n. 172

Quæstio X. Quid observandum de donatione mortis causâ? n. 173

CAPUT III.

De Deposito, Commodato, Precario, & Mandato.

Quæstio I. Quid sit contractus depositi, & quæ depositarii obligationes? n. 174

Quæstio II. Quid sit commodatum, & precarium ? n. 177
Quæstio III. Quæ sint obligationes commodatarii ? n. 178
Quæstio IV. Quæ sint obligationes commodantis ? n. 179
Quæstio V. Quid sit mandatum, & quæ obligationes mandatarii, & mandantis ? n. 180

CAPUT IV.

De Mutuo, & Usura.

Quæstio I. Quid sit contractus mutui, seu mutuatio ? n. 183
Quæstio II. Quæ sint obligationes mutuatarii, & mutuantis ? n. 184
Quæstio III. In qua specie, & bonitate res mutuò accepta restitui debeat ? n. 185
Quæstio IV. Quid, & quotuplex sit usura, & contractus usurarius ? n. 187
Quæstio V. Quo jure usura sit prohibita ? n. 189
Quæstio VI. An, & qui sint tituli, ob quos liceat mutuanti exigere aliquid ultra sortem ? n. 191
Quæstio VII. An usurarius acquirat dominium usurarum, & fructuum, quos postea inde lucratur ? n. 196
Quæstio VIII. Quando, & à quibus restituendæ sint usuræ, & damna, per eas causata, reparanda ? n. 198
Quæstio IX. An liceat petere mutuum sub usura, & usuras solvere ? n. 199
Quæstio X. Quæ pœnæ sint statutæ usurariis notoriis ? n. 200

Quæ-

Quæstio XI. Quomodo ab usura excusetur praxis, præsertim in Germania, exigendi singulis annis 4. vel 5. erga 100. mutuò datos, absque eo, quòd alius titulus allegetur, aut in judicio probari debeat? n. 201

CAPUT V.

De Emptione, & Venditione.

Quæstio I. Quid sit venditio, & emptio? n. 202
Quæstio II. Quod, & quotuplex sit pretium justum rerum venalium? n. 203
Quæstio III. An res, quæ nec habent legitimum, nec vulgare pretium, vendi possint, quanti dominus voluerit? n. 205
Quæstio IV. Ex quibus causis crescat, vel decrescat pretium rerum venalium? n. 206
Quæstio V. An liceat aliquando vendere supra, aut emere infra justum vulgare pretium rei, secundùm se spectatæ? n. 208
Quæstio VI. Quæ vitia mercis teneatur venditor emptori manifestare? n. 215
Quæstio VII An, & quatenus liceat vendere res mixtas, & inducere emptores, ut cariùs emant? n. 220
Quæstio VIII. Quando emptor acquirat dominium rei emptæ? n. 224
Quæstio IX. Ad quem pertineat periculum, commodum, & incommodum rei venditæ? n. 225
Quæstio X. Quæ pacta venditioni, & emptioni licitè possint adjici? n. 227
Quæstio XI. Quæ non liceat vendere, & emere? n. 232
Quæstio XII. An licita sint monopolia? 233

Quæstio XIII. Quid de venditionis rescissione, retractu rei venditæ, & evictione? n, 234

CAPUT VI.

De Contractu Locationis, & Conductionis.

Quæstio I. Quid sit locatio, & conductio? n. 235

Quæstio II. Quæ sint obligationes locatoris? n. 236

Quæstio III. Quæ sint obligationes locatarii, seu conductoris? n. 237

Quæstio IV. Quæ in hac materia observanda sint circa famulantes, & operarios? n. 238

CAPUT VII.

De Censu, Emphyteusi, Feudo, & Libello.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit census? n. 241

Quæstio II. Quid sit emphyteusis, & quæ emphyteutæ obligationes? n. 247

Quæstio III. Quid de feudo, & libello? n. 250

CAPUT VIII.

De Contractu Societatis.

Quæstio I. Quid sit contractus Societatis? n. 253

Quæstio II. Quænam requirantur, ut sit justus? n. 254

Quæstio III. An licitus sit contractus Societatis triplex. n. 256

CAPUT IX.

De Contractu Cambii.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit Cambium? n. 257
Quæstio II. An, & ex quibus titulis licitum, & justum sit cambium tum manuale, tum locale? n. 258
Quæstio III. An licitum sit cambium, quo quis dat pecuniam, in nundinis v. g. Francofurtensibus recipiendam, cum lucro majore, vel minore, quò magis vel minùs distant nundinæ à die numeratæ pecuniæ? n. 259

CAPUT X.

De Contractibus, in quibus fortuna admiscetur, assecuratione, sponsione, lusu, sorte.

Quæstio I. Quid sit assecuratio, & quid ad ejus justitiam requiratur? n. 260
Quæstio II. Quid sit sponsio, seu concertatio de rei veritate, vel eventu? n. 261
Quæstio III. Quid sit lusus, & quæ ad ejus honestatem, & justitiam requisita? n. 262
Quæstio IV. Qui lusus sint lege positivâ prohibiti? n. 264
Quæstio V. Quid de contractu sortis? n. 265

CAPUT XI.

De Contractibus subsidiariis, fidejussione, pignore, hypothecâ.

Quæstio I. Quid sit fidejussio, & à quibus præstari possit? n. 266

Quæstio II. Quid sit pignus, & hypotheca? n. 267

Quæstio III. Quotuplex sit hypotheca? n. 268

Quæstio IV. An in contractu pignoris liceat convenire, ut creditor utatur pignore, vel hypothecâ, v.g. agro, & fructus tamdiu inde percipiat, donec debitum solvatur? n. 269

Quæstio V. Quid de transactione observandum? n. 270

CAPUT XII.

De ultimis voluntatibus, testamento, codicillo, donatione mortis causâ, legato, fidei-commisso.

Quæstio I Quid sit testamentum, codicillus, donatio mortis causa, legatum, fidei-commissum? n. 271

Quæstio II. An, & quomodo testamentum, & reliquæ ultimæ voluntates valeant factæ ad pias causas sine solennitate Juris Civilis? n. 276

Quæstio III. An testamenta, facta ad causas profanas, destituta solennitatibus Juris Civilis, valeant pro foro conscientiæ? n. 278

Quæstio

Quæstio IV. Quinam condere non possint testamentum? n. 280
Quæstio V. Quinam hæredes institui non possint? n. 281
Quæstio VI. Qui sint hæredes ab intestato? n. 282
Quæstio VII. Qui sint hæredes necessarii? n. 283
Quæstio VIII. Quæ sit portio legitima, hæredibus necessariis ex hæreditate debita? n. 284
Quæstio IX. Quos effectus habeat in testamento clausula codicillaris? n. 287
Quæstio X. Quibus casibus legata profana, in testamento profano invalido relicta, subsistant in foro etiam externo? n. 288
Quæstio XI. An, & à quo testamentum, & reliquæ ultimæ voluntates mutari, & revocari possint? n. 289
Quæstio XII. Quæ sint obligationes, commoda, & privilegia hæredis, tum ab intestato, tum per testamentum? n. 290
Quæstio XIII. Quæ observanda sint hæredi circa solutionem legatorum? n. 291
Quæstio XIV. An, & quando valeat renuntiatio hæreditatis? n. 290

TRACTATUS III.

De Injuriis, & Jure læso per Justitiam reparando, seu Restitutione.



CAPUT

CAPUT I.

De Injuria, & Restitutione in genere.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit injuria? n. 293
Quæstio II. An scienti, & volenti possit fieri injuria? n. 295
Quæstio III. Quid sit restitutio, & quæ ejus necessitas? n. 297
Quæstio IV. Quæ sint radices, seu tituli, ex quibus oritur obligatio restituendi? n. 300
Quæstio V. Quæ sit mensura, & discrimen obligationis restituendi, ortæ ex re aliena, & injusta damnificatione? n. 301

CAPUT II.

De obligatione restituendi titulo rei acceptæ, seu alienæ.

Quæstio I. Ad quid possidens bonâ fide rem alienam teneatur, & quid possit domino rei comparente? n. 302
Quæstio II. Ad quid teneatur, aut quid possit, qui bonâ fide rem furtivam possidet titulo emptionis, donationis, &c.? n. 308
Quæstio III. An possessor bonæ fidei fructus, ex re aliena titulo singulari v. g. emptionis, donationis, &c. possessâ, ante litis contestationem perceptos, tantùm in æquivalente existentes, teneatur domino restituere comparenti? n. 310

CAPUT III.

De obligatione restituendi titulo injustæ damnificationis.

Quæstio I. An obligatio illa oriatur ex sola culpa Theologica? n. 314

Quæstio II. Qualis esse debeat culpa Theologica, ut ex ea sequatur dicta obligatio? n. 319

Quæstio III. Quæ culpa Theologica inducat gravem, & quæ levem restituendi obligationem? n. 321

Quæstio IV. An culpa graviter læsiva Juris alieni, venialis tantùm ex imperfectione actûs, inducat obligationem restituendi? n. 322

Quæstio V. An culpæ merè veniales, plenè deliberatæ, successivæ, tamen graviter læsivæ Juris alieni, inducant obligationem gravem restituendi, titulo injustæ damnificationis? n. 326

Quæstio VI. Ad quam restitutionem teneatur malæ fidei possessor, & damnificator formaliter injustus? n. 329

Quæstio VII. An, & quando ad restitutionem teneatur, qui alium impedivit à consecutione alicujus boni? n. 331

Quæstio VIII. An, & quando obligatio restituendi, titulo injustæ acceptionis, oriatur ex acceptione turpis lucri? n. 336



CAPUT IV.

De obligatione restituendi, titulo injustæ cooperationis ad damnum alienum.

Quæstio I. Quibus modis cooperari quis possit ad alterius damnum? n. 340
Quæstio II. Quid requiratur, ut quis uno ex prædictis modis cooperando injustæ damnificationi, teneatur restituere? n. 341
Quæstio III. Quantum singuli ad damnum cooperatores teneantur restituere, titulo injustæ damnificationis? n. 343
Quæstio IV. Quo ordine prædicti teneantur ad restitutionem? n. 344
Quæstio V. An, & quando unus cooperans restituit, ab obligatione liberentur alii? n. 345

CAPUT V.

De circumstantiis restitutionis in genere, & causis ab ea excusantibus, vel perpetuò, vel ad tempus.

Quæstio I. Cui, quando, ubi, cujus sumptibus & periculo sit facienda restitutio? n. 346
Quæstio II. Quo ordine sit facienda restitutio, quando debitor non est par solvendis debitis omnibus? n. 350
Quæstio III. Quæ causæ excusent à restitutione, cognitâ jam ejus obligatione? n. 351
Quæstio IV. Quæ, & quando excuset impotentia? n. 352

Quæstio

Quæstio V. Quæ condonatio, vel remissio debiti excuset? n. 353

Quæstio VI. Quâ ratione excuset cessio fori? n. 354

Quæstio VII. Quale damnum excuset à restitutione? n. 355

Quæstio VIII. Quando solutio creditoris facta creditori excuset? n. 356

Quæstio IX. Quando excuset rei interitus? n. 357

Quæstio X. Quando excuset compensatio? n. 358

Quæstio XI. Quando excuset sententia Judicis? n. 359

Quæstio XII. An donatio facta creditori liberet ab onere restitutionis? n. 360

Quæstio XIII. In quibus excuset compositio cum Papa? n. 361

Quæstio XIV. An excuset ingressus in Religionem? n. 362

Quæstio XV. An mors vel supplicium debitoris extinguat obligationem restituendi? n. 363

Quæstio XVI. An causa excusans à dilatione restitutionis, excuset à compensatione damni, quod Dominus vel creditor ex dilatione patitur? n. 364

CAPUT VI.

De injuriis in bonis internis animi, & corporis per occisionem, mutilationem, & vulnerationem, ortâque inde obligatione restituendi.

Quæstio I. An, & quando lædens proximum

in bonis tum naturalibus, tum supernaturalibus animi, peccet contra Justitiam, & teneatur ad restitutionem? n. 366
Quæstio II. An, & quis sine injuria, & licitè possit occidere, mutilare, vel verberare nocentes? n. 368
Quæstio III. An aliquando liceat injustum actualem aggressorem mutilare, aut occidere ad vitæ suæ, pudicitiæ, bonorum fortunæ, & famæ defensionem? n. 370
Quæstio IV. An pro vitanda morte, vel gravi infamia aliquando liceat procurare abortum fœtûs humani? n. 375
Quæstio V. Quando licitum, quando & quibus sub pœnis prohibitum sit duellum? n. 377
Quæstio VI. Quando bellum licitum sit, & quando illicitum? n. 382
Quæstio VII. Quid, & quibus teneatur restituere injustus mutilator, vulnerator, vel occisor extra duellum? n. 383
Quæstio VIII. Ad quid teneatur, qui alium occidit in duello? n. 386

CAPUT VII.

De injuriis corpori illatis per stuprum, & adulterium, ortaque inde obligatione restituendi.

Quæstio I. Quandonam corruptor virginis, seu mulieris non conjugatæ, ei injuriam faciat, & teneatur ad restitutionem? n. 388
Quæstio II. Ad quid teneatur adulter & adultera, si proles ex adulterio nata sit? n. 391
Quæstio III. Ad quid teneatur adulter vel adul-

adultera, in dubio, an nata proles concepta sit ex adulterio, vel ex quo cum pluribus? n. 394

CAPUT VIII.

De injuriis in fama & honore, ortaque inde obligatione restituendi.

Quæstio I. Quid sit fama, & honor, & quibus actibus violetur? n. 395
Quæstio II. Quale peccatum sit judicium, opinio, suspicio, & dubitatio temeraria? n. 400
Quæstio III. An, & quando detractio, & calumnia sint peccata mortalia, & quot modis fiant? n. 403
Quæstio IV. An, & quando detractio sit, crimen publicum, aliis, id ignorantibus revelare? n. 409
Quæstio V. An aliquando possit occultum delictum alterius, consilii, solatii, auxilii, vel gravis mali à se, vel proximo avertendi causâ, sine detractione revelari? n. 413
Quæstio VI. An, & quando licitè possit secretum promissum, vel commissum revelari, vel literarum secretum aperiri? n. 416
Quæstio VII An, & quando peccet audiens detractiones? n. 420
Quæstio VIII. An, & quomodo fama sit restituenda? n. 422
Quæstio IX. An sit obligatio restituendi famam, sine formali injuria læsam? n. 424
Quæstio X. Quænam excusent à restitutione famæ? n. 425

Quæstio XI. An, & quomodo honor per contumeliam læsus sit restituendus? n. 431

CAPUT IX.

De injuriis in bonis fortunæ per furtum, & rapinam, ortaque inde obligatione restituendi.

Quæstio I. Quid, & quotuplex sit furtum, & rapina? n. 433
Quæstio II. Quæ quantitas materiæ sufficiat, & requiratur ad furtum grave & ad inducendam obligationem gravem restituendi? n. 435
Quæstio III. Quid tenendum de furtis minutis multiplicatis? n. 442
Quæstio IV. An, & quæ necessitas excuset à furto? n. 447
Quæstio V. An, & quando occulta compensatio excusetur à furto? n. 448
Quæstio VI. Quid tenendum in variis dubiis de restitutione? n. 449

TRACTATUS IV.

De Justitia, & Obligationibus in Judiciis fori externi.

CAPUT I.

De Judice.

Quæstio I. Quænam prærequirantur in Judice? n. 452
Quæstio II. Quot modis Judex juridicè procedat

cedat adversus crimina, & quæ illi observanda? n. 455

Quæstio III. Quid judici liceat circa capturam, examen & torturam Rei? n. 458

Quæstio IV. An liceat judici acceptare munera? n. 463

Quæstio V. An judex, si advertat unius ex litigantibus Advocatum omittere aliquid, quo allegato evinceret litem, teneatur, aut possit illi id suggerere? n. 464

Quæstio VI. Quæ observanda sint judici in ferenda sententia? n. 466

Quæstio VII. An judex licitè possit condemnare Reum, quem privatâ scientiâ scit esse innocentem, si juridicè probatus sit nocens? n. 471

CAPUT II.

De Accusatore, Denuntiatore, & testibus.

Quæstio I. Quis teneatur, vel possit denuntiare, vel accusare? n. 472

Quæstio II. An, & quando accusationi, & denuntiationi præmittenda sit privata correctio? n. 474

Quæstio III. Quot, & quales ad legitimum judicium testes requirantur, & sufficiant? n. 475

Quæstio IV. An citatus ad testandum, & interrogatus à judice teneatur respondere, & dicere veritatem? n. 476

Quæstio V. Quibus casibus testis etiam legitimè interrogatus non teneatur respondere? n. 477

Quæstio VI. An peccet, & ad quid teneatur, qui

qui se occultat, ne ad testandum citetur, aut qui citatus non comparet, vel interrogatus veritatem dicere dissimulat, aut falsum testatur? n. 478

CAPUT III.

De Reo.

Quæstio I. An, & quando Reus à judice interrogatus teneatur fateri veritatem? n. 481

Quæstio II. An peccet mortaliter Reus, si, ut tormentis liberetur, imponat sibi falsum crimen, falsò se dicendo nocentem, ob quod morte perimetur? n. 489

Quæstio III. An Reo, verè etiam nocenti, liceat fugere ex carcere? n. 490

Quæstio IV. An, & quando Reus comdemnatus teneatur sententiæ judicis obedire? n. 492

CAPUT IV.

De Advocato, Procuratore, Referente, & Notario, &c.

Quæstio I. Quæ sint obligationes Advocati? n. 497

Quæstio II. Quid sit Procurator judicialis, & quod ejus officium? n. 498

Quæstio III. Quid sit Assessor, Referens, & Notarius? n. 499

Quæstio IV. Quæ juramenta in judicio possint, & soleant exigi, vel præstari? n. 500

CAPUT V.

De re judicata.

Quæstio I. Quando Sententia censeatur transiisse in rem judicatam? n. 503

Quæstio II. Quibus casibus Sententia judicis non transeat in rem judicatam? n. 507

Quæstio III. An transitus Sententiæ in rem judicatam locum quoque habeat in foro conscientiæ, dum postmodum Sententia scitur fuisse injusta ex parte objecti? n. 508

Quæstio IV. An idem procedat in transactionibus, & fœderibus, inter Reges, ùt supremos Principes, ità, ut injuriam passus, salvâ conscientiâ, resilire, & priora sua vi armorum dein recuperare possit? n. 510

Quæstio V. An saltem Summus Pontifex fœdera Catholicorum tum inter se, tum cum Acatholicis possit relaxare? n. 511



TRACTATUS I.

DE

Juſtitia, & Jure in genere ac ſpecie, deque hujus Subjecto, Objecto, & Modis illud acquirendi citrà Contractum.

CAPUT I.

De Quidditate, & Diviſione Juſtitiæ, ejusque Obligatione.

1. *Quid veniat nomine juſtitiæ?* JUſtitia ſumitur 1. Pro gratia ſanctificante, quâ eam habens Juſtus conſtituitur, id eſt, elevatur, aptusque fit ad eliciendos actus ſupernaturales, quibus ſe conformet voluntati divinæ. 2. Pro collectione omnium virtutum: Juſtitia enim ſonat æquationem debiti cum lege: omnis autem virtus procurat quandam æquationem voluntatis cum regula morum, ſeu lege Dei, per rationem propoſitâ, cujus obſervatio debita eſt. 3. Pro charitate, quæ, cùm ſit plenitudo legis, meritò dicitur Juſtitia, utpote ordinans hominem, ut omni lege ſe coæquet, ſeu conformet. 4. Accipitur pro una ex virtutibus Cardinalibus, & complectitur omnes virtutes morales ad alterum, ùt ſunt Religio, obedientia, gratitudo, obſervantia, fidelitas, veracitas, affabilitas, liberalitas, miſericordia, pietas in parentes. 5. Accipitur pro virtute ſpeciali ad alterum, reddente alteri, quod ei ſtricto jure debetur, & de hac hìc agitur.

QUÆS-

QUÆSTIO I.

Quid sit Justitia, prout est Virtus specialis?

Resp. Justitia est virtus appetitiva, voluntatem adjuvans ad tribuendum constanter ac perpetuò cuique jus suum propter specialem honestatem in eo relucentem. Dicitur 1. *Virtus*? quia disponit suum subjectum ad actum in suo genere perfectum. Dicitur 2. *Voluntatem adjuvans*; ut intelligatur ejus officium, quod est, adjuvare, vel simpliciter elevando ad actus naturæ indebitos, vel facilitando tantùm ad actus naturales, & sic definitio Justitiam supernaturalem, & naturalem complectitur. Dicitur 3. *Ad tribuendum cuique*; per quod indicatur, quòd Justitia sit virtus ad alterum, suumque subjectum, rectè illud ad alterum afficiendo, ordinet ad finem ultimum, secùs ac fortitudo & temperantia, quæ moderantur passiones sine respectu ad alterum, & hinc dicuntur virtutes ad se. Dicitur 4. *Ad tribuendum cuique jus suum*; id est, ex jure debitum, quod sunt tum actiones, & omissiones Juri activo alterius debitæ: tum ea, quæ per illas actiones tribuenda sunt, per quæ indicatur objectum materiale Justitiæ, tum proximum, quod sunt actiones illæ & omissiones: tum remotum, quod sunt omnia, circa quæ actiones & omissiones illæ debitæ versari debent. Dicitur 5. *Constanter & perpetuò*; quia Justitia non tantùm elicere debet actus firmos, sed etiam urget, dum alterius juri plenè reipsâ sit satisfactum; unde specialiter dicitur, respice-

2. *Definitio justitiæ.*

re

re medium rei, seu consistens in indivisibili, quod non variatur pro varietate circumstantiarum, ideoque facilè per se invenibile est: id est, Justitia exigit tantum poni, quantum debetur: non attendendo, an is, cui debetur, sit dives, an pauper; vilis, an honoratus, debilis, vel firmus; sique per errorem etiam bonæ fidei non sit satisfactum, urget satisfactionem: secùs ac aliæ virtutes appetitivæ morales, quæ respiciunt medium, seu præscriptum rationis, consideratis circumstantiis, v. g. temperantia non eandem quantitatem cibi & potûs omnibus, nec eidem semper eandem permittit, vel præscribit, sed pro dispositione subjecti, & circumstantiis. Atque hinc Justitiæ non satisfit, nisi res in individuo restituatur, & juxta communem ei non satisfit per solutionem probabilem; quia, cùm hæc non æquivaleat solutioni certæ, qui eam ponit, non ponit, quantum debet, adeoque manet jus alterius, urgetque Justitia, ut satisfiat pro ratione dubii saltem, secùs est de aliis virtutibus moralibus. Dicitur 6. *Propter specialèm honestatem*; quibus indicatur objectum formale Justitiæ, & discrimen præcipuum ab aliis virtutibus, probaturque esse virtus moralis. Atque his conformiter intelligenda est definitio Justitiæ, quâ dicitur: constans ac perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi, sive per voluntatem intelligatur habitus, sive actus.



QUÆS-

QUÆSTIO II.

Quomodo dividatur Juſtitia ſpecialis?

Reſp. Dividitur in commutativam, diſtributivam, legalem, & vindicativam, ſeu retributivam. Explico membra ſingula. 3. *Diviſio.*

1. Juſtitia commutativa eſt virtus ſpecialis ordinans privatum ad tribuendum cuique jus ſuum, directè tendens in utilitatem propriam ſui ſubjecti. Hæc, ſi de naturali loquimur, non eſt una ſpecie infima: nam cùm bona, quæ vel conſervat illæſa, aut læſa reparat, habeant valde diverſam conducibilitatem ad uſum, felicitatemque humanam, Jura quoque ad illa bona ſunt notabiliter diverſa, adeoque & in iis tribuendis, conſervandis, & reſtituendis notabiliter diverſa honeſtas reperitur, quæ facit virtutes ſpecie differre: v.g. Juſtitia, quatenus verſatur circa Jus ad famam, diverſa eſt ab ea, quæ verſatur circa Jus ad honorem, bona fortunæ, vitæ, &c. Hinc & ſpecie diverſa ſunt peccata, læſio honoris, læſio famæ, vitæ, membrorum, pudicitiæ, rationis, fortunæ, &c. ſecundùm dicta de peccatis. num. 340. *Juſtitia commutativa.*

2. Juſtitia diſtributiva eſt virtus ſpecialis ordinans communitatem, vel ejus Principem ad rectam diſtributionem bonorum communium ſecundùm jus proportionale, quod membra communitatis, quà talia, ad iſta habent. Dicitur 1. *Virtus ſpecialis*; ob ſpecialem honeſtatem, quæ in proportionata dignitati, vel merito, & indigentiæ diſtributione bonorum com- *Diſtributiva.*

communium inter membra communitatis relucet. Dicitur 2. *Ordinans communitatem, vel ejus Principem*, quà talem; quia hæc virtus à solo Superiore, quà tali, exerceri potest erga membra communitatis, quà talia, utpote, qui solus habet obligationem, & potestatem distribuendi bona communia membris communitatis, sique extraneis illa communicaret, actum hujus virtutis non exerceret. Dicitur 3. *Bonorum*; quia, etsi distributio onerum, quoad modum, imitetur Justitiam distributivam; pertinet tamen ad Justitiam commutativam; quia nemo ad illa onera Jus quoddum habet, sed Jus quisque habet, ne gravetur improportionatè relativè ad alios. Dicitur 4. *Bonorum communium*; quæ in triplici sunt classe.

4. *Bona communia sunt in triplici classe.*

In prima sunt bona, quæ ità sunt communitatis, ut singulis quidem competat Jus utendi vel fruendi, non expediat tamen illa ulli appropriari, ùt sunt sylvæ cæduæ, pascua communia, viæ, & domus publica, fontes, fluvii. In 2da classe sunt bona, quæ sic sunt communitatis, ut expediat ea aliquando membris appropriari ad succurrendum indigentiæ, ad merita compensanda &c. talia sunt, pecunia ærarii communis, frumenta, vina communia, honores &c. horum bonorum ante distributionem Jus in re est penes communitatem, Jus ad rem penes membra singula secundùm partem, sed objectivè inadæquatè pro majore vel minore indigentia & dignitate, prout lege vel pacto portio fuerit statuta. Si nihil sit statutum, nullus habet Jus strictum ad quidquam ex iis. In 3tia classe sunt, quæ sic sunt communitatis, ut intendendo principaliter bonum communitatis, illa aliquando conferri particu-

laribus

laribus oporteat: talia sunt officia publica, & beneficia, dignitatesque Ecclesiasticæ. Hæc ante distributionem pleno jure pertinent ad communitatem; Jus ad rem particularis nullus habet, nisi lex vel pactum intervenerit de iis juxta capacitatem serviendi Reip. distribuendis. Hoc genus bonorum simpliciter & per se est bonum commune, ad justitiam distributivam pertinens; quia etiam post distributionem tendit directè & principaliter ad felicitatem communitatis, quà talis. Sic Consulatus, etsi Consul actualis Jus reale in illo habeat cum obligatione serviendi bono Reipublicæ, adhuc directè tendit in utilitatem publicam. Bona verò 2dæ classis ad eam pertinent per accidens; quia sic possunt fieri hominis privati, ut ea directè in suam utilitatem convertere possit, consumendo, vel alienando, sicque desinant esse bona communia. Idem est de iis, quæ quis participat de bonis primæ classis.

3. Justitia legalis est virtus specialis, ordinans partem communitatis, quà talem, ad procurandum bonum communitatis, ob honestatem in eo relucentem. Dicitur *Legalis*; quia habet pro objecto id, quod debetur communitati ratione legum. Dicitur etiam *generalis*; quia versatur circa debitum, ortum ex Jure communi, seu generali, quod communitas habet ad actiones, & omissiones, & bona privatorum. Differt ab obedientia; quia hæc primariò & directè spectat honestatem repertam in eo, quòd quis suo Superiori, tanquam principio gubernativo obediat; illa verò ob honestatem repertam in eo, quòd pars, quà talis, procuret bonum suæ communitatis, quà talis. *Legalis.*

4. Ju-

Vindicativa. 4. Justitia vindicativa est virtus specialis, ordinans communitatem, vel ejus præsidem ad delicta subditorum convenienter punienda, quia id fieri honestum est: quamvis enim per punitionem delictorum procuretur bonum commune, attamen independenter ab hoc honestum est delicta puniri, ut, quantum homo à dignitate hominis aberravit, tantum illi auferatur de iis, quæ hominis dignitati debentur, & quantum legitimæ potestati se subtraxit, tantum illi se subjectum sentiat, non quòd hæc virtus in alterius malo sistat quà tali, sed ùt correctivo & commensurato culpæ. Cæterùm actus justitiæ vindicativæ imperari possunt à justitia legali, & commutativa. Imò in delictorum punitione miscetur justitia commutativa, quia reus strictum Jus habet, ne puniatur ultra condignum, ob quam causam justitia vindicativa nomen justitiæ sortiri videtur potiùs, quàm aliæ virtutes ad alterum, cùm de cætero in reo Jus activum exigens pœnam non respiciat. Et hinc secundùm se considerata, propriè justitiæ species distincta non est.

Huic accedit justitia præmiativa, quæ cum justitia vindicativa distributivam integrat, atque ità in Rep. plenum justum constituitur: per justitiam enim commutativam pars se justè habet erga partem, per distributivam superior, vel communitas justè habet se erga partem suî quà talem, per legalem pars quà talis erga communitatem, per vindicativam Resp. erga Reos, per præmiativam erga bene meritos. Ex his

5. *Differunt specie.* Colliges partes, seu membra dividentia justitiæ differre specie tum inter se, tum ab aliis vir-

virtutibus ad alterum ob honestatem diversam, fundatam in diversis debitis & juribus: Nam justitia commutativa respicit jus rigorosum in altero directè, & per se tendens in privatam ejus utilitatem, vi cujus potest quis exigere tanquam propriè suum, deque eo disponere, in suo vero subjecto debitum quoque respicit rigorosum, vi cujus tenetur alterius juri respondere, ità, ut, nisi faciat, injuriam committat, teneaturque ad restitutionem: Justitia autem distributiva respicit jus minùs rigorosum, & respectivum, dependens à numero & dignitate civium, vi cujus non potest pars communitatis de bono communi aliquid sibi vindicare, usurpare, & in rigore exigere tanquam suum, unde in Rep. non est debitum Justitiæ distributivæ nisi legale; Justitia verò legalis respicit jus etiam minùs rigorosum, fundatum in connexione partis cum communitate, vi cujus debet per actiones, & omissiones suas consulere bono communi, tanquam participans de bono communitatis, hocque si negligat, fit reus socordiæ, & puniri potest, non tamen obnoxius restitutioni, nisi pactum intervenerit, aut violatio Justitiæ commutativæ. Esse autem diversam honestatem in horum jurium adæquatione, per se patet consideranti. Denique quòd specie differat Justitia ab aliis virtutibus ad alterum, non minùs clarum est, utpote quarum debita in aliis, diversisque titulis fundantur: v. g. debitum religionis fundatur in excellentia Dei infinita, & indispensabili nostra ab eo dependentia: debitum pietatis in principio ortûs nostri: debitum observantiæ in principio gubernationis,

quæ debita cùm adæquari non possint, nomen Justitiæ virtutes illæ non sortiuntur: debitum verò gratitudinis, liberalitatis tantùm in titulo honestatis, tenente se ex parte retribuentis, vel dantis; nam nobis potiùs debemus harum virtutum exercitium, quàm alteri.

QUÆSTIO III.

Quanta sit obligatio Justitiæ tum commutativæ, & distributivæ, tum legalis, & vindicativæ.

6. *Per se sub gravi obligat commutativa.* Resp. 1mò. Justitia commutativa obligat sub mortali ex genere suo, non tamen toto; quia, manendo intra ejus materiam, læsio illius potest esse gravis, ùt furtum 100. potest quoque esse levis, ùt furtum unius assis.

Item distributiva. Resp. 2. Justitia distributiva obligat quoque, per se loquendo, sub mortali ad justam distributionem bonorum communium, ex natura sua, & per se talium, ùt sunt officia, & munia publica, beneficiaque Ecclesiastica. *Ratio est*; quia, si secus fiat, committitur acceptio personarum, quæ juxta omnes est ex genere suo mortale, cùm gravissima mala in Remp. inducere nata sit, respiciatque pro causa non causam, seu ea, quæ personam ad officium aptiorem non faciunt, ùt est sanguinis conjunctio, amicitia peculiaris, pecunia, &c. Dixi. *Bonorum communium, ex natura sua talium*; nam ad distribuenda proportionatè bona per accidens talia, ùt sunt pecuniæ ærarii, sylvæ cæduæ, spolia, terræ communes dividendæ ad fruges producendas, &c. ordinariè

nariè de facto obligat Justitia commutativa per pactum saltem implicitum, interveniens ad illa bona distribuenda secundùm formam Justitiæ distributivæ, itá, ut personæ particulares jus rigorosum habeant secundùm proportionem suæ dignitatis ex iis participandi, cujus læsio ex Justitia commutativa reparanda sit ab iniquo distributore, ùt habet com. cum S. Th. q. 62. a. 2. ad 4. *Ratio est*; quia, quando bona principaliter ordinata in utilitatem privatorum, iis sunt distribuenda, prudenter præsumitur intendi à communitate, ut juxta formam Justitiæ distributivæ distribuantur, v.g. ut spolia, hostibus erepta, à Duce militibus distribuantur secundùm proportionem meritorum; ex tali autem intentione communitatis privati acquirunt jus rigorosum ad partem suæ dignitati proportionatam, sicut acquirunt hæredes, quibus testator secundùm proportionem inæqualis dignitatis jubet hæreditatem distribui. Atque hoc sensu dicunt DD. communiter, in distributione iniqua bonorum communium peccari contra Justitiam distributivam, & commutativam; quia nec servatur forma, & materia Justitiæ distributivæ, cui respondet tanquam titulus inæqualis dignitas nudè spectata, necdum formaliter, & sub peccato gravi obligans (nisi fortè lex ex speciali Justitiæ distributivæ honestate lata accesserit) sed mensurans tantùm obligationem alienam; nec servatur Justitia commutativa secundùm formam, & mensuram Justitiæ distributivæ, obligans distributorem per voluntatem Reip. intendentis principaliter utilitatem particularium personarum. Atque ideo docet Tannerus Disp. 4. Q. 1. Dub. 1. N. 23.

Justitiam distributivam lædi materialiter & mediatè, commutativam autem formaliter & immediatè, cujus solius violationem per se loquendo sufficiat aperire in Confessione dicendo: intuli aliis gravem injuriam in bonis fortunæ, quod etiam approbat Lugo Disp. 1. N. 49.

7. *Legalis quandoque.* Resp. 3. Justitia legalis etiam citra contemptum boni communis obligat quandoque sub mortali: graviter enim aliquando repugnat rectæ rationi, nolle, cùm quis facilè potest, amoliri à Republ. grave malum, v. g. exitiale bellum, grave incendium ab urbe sua, estque hoc peccatum specie diversum repugnans honestati speciali Justitiæ legalis.

8. *Vindicativa per se vix unquam.* Resp. 4. Justitia vindicativa præcisè secundùm se vix unquam graviter obligat; quia sistendo intra ejus limites, omissio punitionis delictorum vix unquam repugnat graviter regulæ morum, imò bene meritis remittere pœnam, actus quandoque est clementiæ. Dixi: *Præcise secundùm se*: Nam ad punienda delicta quandoque graviter obligat Justitia tum commutativa, tum distributiva, tum legalis; quia Judex, ut subditi serventur indemnes, obligatur tum Reip. tum privatis, ad ejus stipendium concurrentibus ex contractu tacito ad punienda delicta, exigitque ab eo id sæpè bonum commune, imò & charitas, dum delictorum impunitas ab aliis trahitur in exemplum.

9. *Per se grave est eligere indignum* Hinc imò mortale peccatum est, & intrinsecè malum promovere simpliciter indignum, seu ineptum ad officium sæculare publicum, v. g. consulatum, præturam, &c. est communis omnium. *Ratio est*; quia repugnat tum fide-

fidelitati, quam administrator debet Reip. tum justitiæ commutativæ, quâ tenetur non tantùm non cooperari damnis Reip. sed etiam illa ab ipsa avertere; tum justitiæ distributivæ, quæ jubet bona publica distribuere secundùm dignitatem; tum denique religioni ob juramentum præstitum. Estque hoc verum non tantùm de supremo Principe; sed etiam de Collegio Senatorum; unde tenentur in dignitatem eligendi inquirere. Idem dicit Sanchez de resignante officium.

2. Est quoque intrinsecè malum, & per se loquendo, peccatum mortale ad officium sæculare publicum promovere, vel eligere dignum præterito digniore, si hic commodè haberi possit, & officium sit non levis momenti. Ità DD. communiùs contra Cajet. Vasq. & alios. *Ratio est;* quia, nisi id esset graviter prohibitum, non bene provisum esset Reip. sed gravia damna pateretur propter ministros minùs aptos, qui debent posse avertere damna, etiam extraordinariè occurrentia. Oritur autem obligatio digniorem præferendi tum ex fidelitate, tum ex justitia commutativa, & distributiva. Est tamen excusationi à peccato mortali locus, si dignior non facilè haberi possit, nec mortale erit minùs dignum præficere, si officium non sit magni momenti, aut excessus non sit gravis. 10. *Imò & minùs dignum*

Controversia est, an vendere liceat officia sæcularia publica. Affirmat Esparsa & alii: negant alii cum Lugone. Sed tria in officio publico, quæ plerumque concurrunt, consideranda sunt: 1mò nempè Jurisdictio, & in ea fundata præeminentia. 2. Stipendium justum. 3. Excessus illius. Jurisdictio vendi 11. *Vendere officium sæculare an licet?*

non potest ; quia ordinatur in bonum Reip. non verò in bonum illam habentis, nec vendi potest præeminentia in potestate præcipiendi fundata : quia & hæc ordinatur in bonum commune. Denique nec vendi potest justum stipendium, quia hoc aliunde debetur ex justitia. Superest tantùm emolumentum temporale excedens debitum stipendium : ob hoc pretium proportionatum exigi potest ab habente supremam potestatem, modò officium conferatur digniori ; attamen & hoc dissuadendum est ob periculum damni : sic enim facilè negligerentur digniores, & subditi gravabuntur, ut recipiatur pretium. Beneficia Ecclesiastica dignioribus esse conferenda, dixi P. II N. 400.

CAPTU II.

De Quidditate, & Divisione Juris, & Dominii.

12. *Quid veniat nomine juris.* NOmine Juris venit 1mò peritia legum, seu Jurisprudentia : & sic dicitur quis studere Juri, vocaturque ars æqui & boni. 2. Lex aliquid dictans, vel præscribens : & sic dicuntur aliqua esse juris naturalis, alia juris positivi, divini vel humani, Ecclesiastici, vel civilis. 3. Locus, in quo Judex secundùm leges fert sententiam : & hoc sensu dicitur quis vocari in jus, in jure comparere, &c. 4. Id, quod alteri debetur, & dicitur justum, Jus passivum objectivum. 5. Moralis potestas authoritativè disponendi de aliquo : & hæc si principaliter & directè ordinetur in bonum alio-

aliorum, puta, subditorum, vel communitatis; dicitur Jus, vel Dominium Jurisdictionis, cujus actus sunt præcipere, prohibere, permittere, ferre sententiam, seu ligare, absolvere, punire, præmiare. Et huic respondet in subdito debitum legale, seu obligatio obtemperandi. Si verò ordinetur directè, & principaliter in utilitatem sui subjecti, dicitur Jus proprietatis, cui in altero respondet debitum rigorosum, cujus violatio injuriam constituit. De Jure in hac postrema significatione nobis tantùm hìc sermo est.

QUÆSTIO I.

Quid sit Jus proprietatis activum, eique respondens Jus passivum, & debitum?

Resp. 1mò. Jus proprietatis activum, Metaphysicè spectatum, est libera, & authoritativa potestas disponendi de aliquo, directè, & principaliter immediatè ordinata in bonum sui subjecti. Dicitur 1mò. *Potestas libera;* quia Jus soli naturæ intellectuali competit, quatenus libera est; potestque subire, vel inducere obligationem in alium. Dicitur 2. *Potestas authoritativa*; quia debet esse munita lege naturali, vel positivâ, favente Jus habenti, & gravante alios, sicque conferente illi quandam præeminentiam in dispositione, ità, ut vi illius non possit in ea ab aliis privatis impediri authoritativè. Dicitur 3. *Disponendi;* id est, ponendi, vel obtinendi actiones, vel omissiones, v.g. re utendi, eam vendendi, donandi, destruendi, &c. exigendi, ut

13. *Definitio juris activi.*

alter tibi rem debitam ex contractu tradat, ne quid faciat, vel attentet contra te, ne per fraudem impediat à consecutione boni. Unde Jus quoque definiri potest: potestas libera, directè & principaliter in bonum proprium subjecti sui ordinata, disponendi de aliquo, non impedibilis licitè ab aliis. Dicitur 4. *Directè, immediatè, & principaliter ordinata in bonum sui subjecti*; per quod Jus proprietatis primariò differt à Jure jurisdictionis. Dico: *primariò*, nam etiam differt in eo, quod Jus proprietatis non obliget suum subjectum ad operandum in utilitatem propriam, cùm sua possit aliis liberaliter dare, destruere sine aliorum injuria; at Jus jurisdictionis obligat superiorem ad sui usum in bonum subditorum.

14. *Constitutiva juris.* Resp. 2. Jus formale activum, prout est forma quædam relativa sui subjecti ad certas actiones, aut omissiones exercendas vel obtinendas, est complexum quoddam morale, quod physicè suo modo constituit, 1mò. Libertas physica. 2. Titulus, v. g. contractus, occupatio 1ma rei derelictæ. 3. Lex favens Jus habenti, & gravans alios. 4. Cognitio illius legis, vel tituli. 5. Libera utriusque acceptatio. 6. Si Jus sit proximè expeditum, negatio legis actum vetantis, vel irritantis. His enim habitis habetur Jus, & uno deficiente non habetur Jus formale, saltem proximè expeditum: nam si desit libertas, non habetur potestas moralis libera. Si desit titulus, non assistit lex, adeoque deficit potestas authoritativa; si lex non faveat uni, & alios gravet, non est cur unus alteri præferatur in usu, vel dispositione; si lex & titulus non acceptetur libe-

liberè, lex non favet; quia favorem non obtrudit: si desit cognitio, acceptari non potest liberè: si desit negatio legis prohibentis, vel irritantis, Jus quidem esse potest, sed non proximè expeditum. Addi potest libertas etiam ejus, contra quem Jus habetur, quia hâc sublatâ, obligari non potest. An autem hæc omnia sint de essentia juris, ad Scholasticos pertinet examinare, ad moralem non facit. Dici potest, quòd lex habeat hunc tendendi modum: Volo homini esse Jus in re, vel ad rem, dum adest legitimus titulus, ejusque libera acceptatio; adeoque Jus essentialiter consistat in lege, & legis, titulique liberâ acceptatione, reliqua sint tantùm termini à lege essentialiter respecti.

Cæterum Jus potest esse vel actuale, cujus constitutiva actu existunt: vel habituale, cujus constitutiva quidem non sunt actu omnia, fuêre tamen, nec sunt retractata; quale Jus est in dormientibus; vel formale, cujus constitutiva habentur omnia: vel radicale, quod non habet omnia requisita in se, continet tamen virtute, potestque ea inducere. Formale dicitur vinculatum, si lege aliquâ dispositio prohibeatur, vel irritetur. Denique potest esse vel intrinsecum, cujus constitutiva sunt in ipso Jus habente, vel extrinsecum, cujus constitutiva non sunt physicè, vel objectivè in habente Jus, sed in alio, qui ejus vices supplet, ùt sunt Respublica, vel tutor respectu infantis, qui hæres est, jusque habet ad hæreditatem. In exemplo: Cajus moriens scribit te hæredem, id nescientem, & jam incipit tibi favere Jus titulo testamenti, dicerisque habere jus radicale, & in causa ad hæ-

reditatem : deinde tibi innotescit, quòd scriptus sis hæres, hocque acceptas ; jam habes jus formale : quòd si lege prohibearis disponere de hæreditate , v. g. quia pupillus es ; diceris habere jus vinculatum , seu non proximè expeditum ; quòd, si adhuc rationis impos esses, haberes jus tibi physicè extrinsecum, moraliter, & fictione juris intrinsecum ; quia resp. pro te voluntate perseverante in lege acceptat.

15. *Definitio juris passivi, seu debiti.* Resp. 3. Jus passivum rigorosum formale, respondens juri activo, est obligatio ad actionem, vel omissionem aliquam, alteri præstandam, quam is authoritativè exigere potest in bonum proprium. Hujus constitutiva sunt eadem, quæ sunt juris activi ; sicut enim eadem est relatio physicè, quæ denominat Cajum, v. g. patrem, & Titium ejus filium, ità eadem physicè est relatio, quæ denominat te valentem authoritativè obtinere certas actiones, vel omissiones à Titio, & Titium illas debentem ; debitum autem rigorosum, quod & justum dicitur, est æquale debitum alteri ex jure.

Debitum est triplex. Dixi : *Debitum rigorosum* ; nam debitum triplex est, unum simplicis honestatis, puræ decentiæ, & purè morale, fundatum in honestate virtutis, cujus violatione contrahitur solùm turpitudo moralis. Tale est debitum gratitudinis erga benefactores. 2dum est legale generale, fundatum in lege obligante in conscientia. Tale est debitum filiorum ad alendum parentes in necessitate, debitum pietatis in parentibus ad procuranda filiis necessaria. Hæc debita non fundantur in jure aliorum, sed in sola honestate virtutis, vel lege.

3tium

3tium legale speciale est debitum rigorosum, cujus solutionem exigere alter authoritativè potest, ut ei reddatur, quod suum est, & quod exigere potest absque eo, quòd debeat gratias, si præstetur.

Ex his constat, quòd terminus immediatus juris activi sit semper actio, vel omissio præstanda, vel ab obligato, vel ab ipso jus habente exercenda; terminus autem mediatus sæpe est res alia, circa quam actio, vel omissio versatur; ùt patet in solutione pretii, traditione rei venditæ; aliquando tamen nullus intervenit terminus ab actione, vel omissione distinctus, ùt si quis præcisè ad aliquam meam actionem vel omissionem jus habet, v. g. ne impediam eum à consecutione beneficii, ad quod nullum jus habet; ut eam ad certum locum tanquam nuncius.

QUÆSTIO II.

Quomodo Jus proprietatis dividatur?

Resp. Dividitur 1mò in reale, seu jus in re, & personale, seu jus ad rem. Jus reale seu in re est, quod quis habet in rem existentem, sibi immediatè obligatam; unde definitur libera: & authoritativa potestas disponendi de re sibi immediatè obligata, ità, ut, qui jus in re habet, possit eam, ad quemcunque devenerit, sibi vindicare, deque illâ pro libitu disponere, nisi fortè lex specialis hìc & nunc certæ dispositioni obsistat: utì contingit circa rem pignori datam, elocatam, in feudum, vel emphyteusin concessam: Dominus enim retinet Jus in re, nequit tamen in præjudicium alte-

16. *Jus in re, jus ad rem.*

alterius partis de ea pro libitu disponere, donec cesset contractus. Unde patet, quòd jus in re sit affixum rei, illamque Domino ubique devinctam teneat; ideoque reale dicitur, & fundat actionem realem, quæ dicitur rei vindicatio, & inter actiones reales præcipua est. Jus ad rem est, quod quis habet ad rem sibi debitam, sed nondum traditam, ità, ut non res, sed persona aliqua sit immediatè obligata ad eam præstandam, vel tradendam; vel contineatur in re, jam immediatè obligatâ, velut effectus. Definiri potest: authoritativa potestas obtinendi actiones, vel omissiones circa rem primò habendam ùt suam, seu ad consequendum jus in ea. Quare licèt jus ad rem faciat hanc suo subjecto aliquo modo obstrictam, non tamen ità devincit, ut eam possit apprehendere tanquam suam; sed tantùm facit, ut eam possidens possit urgeri ad eam tradendam, aut possint impediri authoritativè volentes obstare ejus consecutioni. Hinc, ut plurimùm parit actionem personalem, quâ persona conveniri potest, & condictio appellatur. Dixi: *Ut plurimùm*; nam non parit eam, si persona non sit, à qua res talis extradenda est. V. g. si emisti equum, habes jus ad rem ante traditionem, & actionem personalem contra venditorem, si renuat equum tradere, aut alteri eum vendiderit, & tradiderit: post traditionem autem equi tibi factam habes jus in re, & actionem realem, si quis furto tibi equum subducat. Agri tui habes jus reale, ad fructus ex eo nascituros habes jus ad rem, quòd tamen actionem personalem non parit. Jus autem, quod habes adversus alios, ne ab usu rerum tuarum impediaris, ne læda-

lædaris in fama, etsi propriè non sit jus in re, nec jus ad rem, cùm non sit ad terminum positivum, sed negativum, revocatur tamen ad jus in re, ex quo præsupposito naturaliter resultat. Si Cajo vendideris equum, & deinde vendas, & tradas illum alteri; hic habet jus in re, & Cajus jus ad rem, tenerisque ei, quanti interest, equum non fuisse venditum alteri. Ex quibus patet, quòd ad acquirendum jus ad rem sufficiat titulus sine traditione, ad acquirendum verò jus in re requiratur non tantùm titulus, v. g. venditio, emptio, donatio acceptata, sed rei existentia, & regulariter etiam traditio secundùm dicenda.

2. Dividitur jus proprietatis in naturale, quod lege naturali, & positivum, quod lege positivâ vel divinâ, vel humanâ seu Ecclesiasticâ, seu civili munitum est. *Jus naturale, & positivum:*

3. In jus paternum, quod patri in liberos quà tales, & œconomicum seu maritale, quod marito competit in uxorem, ùt talem gubernandam: & dominativum, quod habet Dominus in servum, quà talem gubernandum; sed hæc jura non sunt jura proprietatis æquè strictè dicta, cùm inter tales personas, ùt tales, non detur alteritas moralis: nam filius ùt talis, suo modo est aliquid patris, & uxor ùt talis, aliquid mariti, &c. adeoque gubernatio liberorum, & uxoris redundat aliquo modo in utilitatem patris, & mariti, sicque jura illa sunt mixta ex jure proprietatis, & jurisdictionis, seu potestatis dominativæ. Dixi: *Ut tales*: nam sic spectentur disparatè, & qui tales, potest inter eas dari jus strictum, cujus violatio injuriam constituat. Sic enim non censentur una moraliter persona: hinc si pater filii, maritus *paternum, & œconomicum.*

ritus uxoris, Dominus servi, vel contra, famam, aliave bona ipsi propria læderet injustè, strictam injuriam committeret. Unde, quando dicitur, quòd inter patrem, & filium, uxorem, & virum, dominum, & servum stricta exerceri non possit Justitia, sensus non est, quòd in sensu composito filiationis, matrimonii, vel servitutis nequeat exerceri, nec quòd in iis fundari non possit jus strictum: nam in Matrimonio fundatur jus strictum ad debitum conjugale: in servitute fundatur jus strictum domini ad operas servi; in filiatione fundatur jus illud restrictum patris, vi cujus potest eum vendere in necessitate, pro sua vita tuenda, in servum. Sed sensus est, quòd non omnis obligatio, orta ex illis titulis, sit strictæ Justitiæ: adeoque particula reduplicativa sensum universalem non facit, sicque strictè non accipitur: nam pater filium, maritus uxorem, dominus servum tenetur gubernare, hicque illis vicissim obedire, sed non ex Justitia stricta.

4. Dividitur Jus reale in dominium, usum, usumfructum, feudum, emphyteusin, superficiem, libellum, pignus, hypothecam, quibus affinis est possessio, velut complementum dominii. Habet enim creditor jus quoddam reale in pignus, depositarius in rem depositam, usuarius in rem ad usum datam, &c. habent nempe jus possessionis, detentionis, usûs, &c. Hoc jus tamen est imperfectum, & simpliciter dominium dici non meretur.



QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quid, & quotuplex sit dominium proprietatis?

Resp. 1. Est authoritativa potestas, de re sibi specialiter & immediate devinctâ, disponendi directè in utilitatem propriam, saltem nisi lex obstet. Vel: est Jus reale stabile disponendi de re aliquâ tanquam suâ, seu suo nomine, arbitratu, & authoritate, nisi lex vel pactum obstet. Definitio constat ex dictis. Dixi tamen 1. *Dominium proprietatis*: nam dominium Jurisdictionis est potestas authoritativa disponendi, seu actiones, vel omissiones obtinendi, principaliter tendens in utilitatem subditorum. Dixi 2. *Jus stabile*; quia datur Jus in re, quod propriè dominium non est, ùt Jus in pignore, vel hypothecâ creditoris, hoc quia infirmum, & ad nutum creditoris extinguibile est, nomen dominii propriè dicti non obtinet. Dixi 3. *Nisi lex, vel pactum obstet*; quia potest quis habere dominium, etsi ejus usus lege impediatur, aut irritetur: sic pupillus habet dominium bonorum suorum; etsi non possit sine consensu tutoris validè de iis disponere. Dixi: *Saltem, nisi* &c. nam dubium hìc movetur, an potestas authoritativa disponendi, quæ jus vel dominium constituit, mereatur nomen juris vel dominii in ordine ad actum prohibitum, aut per legem positivam irritum. Ratio dubitandi ex una parte est; quia potest manere potestas transferendi jus per actum illicitum: sic si vendidisti Cajo equum, & nondum tradidisti, si dein eundem vendas Titio,

17. *Definitio dominii.*

&c tra-

& tradas, verè transfers dominium, etsi illicitè agas; idem est, si Cajus primò contraxit Sponsalia cum Berta, & deinde Matrimonium ineat cum aliâ non impeditâ. Similiter, si duo conjuges, mutuo consensu, voveant castitatem, usus Matrimonii fit illicitus, & tamen manet jus conjugale: sique Matrimonio uterentur, votum quidem violarent, non essent tamen rei fornicationis. Ob has rationes tenent quidam, dari jus ad actum lege positivâ illicitum, non quidem proximè expeditum ad eum licitè ponendum, sed vinculatum, & terminativè conditionatum. Ratio dubitandi ex altera parte est; quia nemo habet jus ad peccandum, v. gr. ad immolandum agnum idolo, comedendas carnes die Veneris. Hinc negant dari dominium ad actum illicitum. Respondent primi, neminem habere jus ad peccatum ùt tale, habere tamen potestatem legitimam ad actum, vel sine injuria alterius, vel validè ponendum, aut jus completum in sensu diviso legis vetantis, quâ sublatâ, jam sine accessu novæ potestatis posset exire in actum illum, & hoc sufficere ad jus. Ex quibus vides, quæstionem esse de nomine, in qua meliùs loquuntur, qui simpliciter negant dari jus ad actum malum; quia jus respicit actum justum ex objecto: quod addo, quia, qui dat eleëmosynam, aut solvit debitum ex malo fine, actum dominii exercet.

18. *Dominium altum & bassum, perfectum, utile.*

Resp. 2. Dominium proprietatis dividitur 1mò in altum, & humile, seu bassum. Altum est, quod habet Princeps vel Respublica in bona subditorum, vi cujus, si ità necessitas publica, vel bonum commune postulet, ea usurpare potest in usûs publicos; ità tamen, ut,

si

si quædam in hunc finem auferantur privato, v. g. ager, domus, &c. ex communi ærario, vel aliunde fieri debeat compensatio, ne plus quàm reliqui gravetur. Hoc potest simpliciter dici dominium proprietatis; quia communitas, velut persona ficta, disponit in bonum suum. Dominium humile, sive bassum est, quod habent privati in bonis suis, salvo tamen dominio alto Reipublicæ. Tale habet & Princeps in bonis suis, respectu quorum ipse personam privati sustinet, uti & respectu Jurisdictionis, quod verè possidet. Dividitur 2dò in dominium perfectum, seu plenum, & imperfectum. Perfectum est, Jus reale proprietatis, non restrictum Jure alterius firmo: sive potestas authoritativa disponendi de re, & fructibus ejus tanquam suis, seu nomine proprio. Imperfectum est, Jus reale disponendi, restrictum Jure alterius firmo: seu disponendi vel de sola re, vel de solis emolumentis. Unde subdividitur in dominium directum, quo quis habet solam proprietatem rei, sine Jure percipiendi fructus ejus: & in dominium utile, quod est Jus disponendi de fructibus, non de re.

QUÆSTIO IV.

Quid sit Usus, Ususfructus, Feudum, Emphyteusis, Superficies, Habitatio?

Resp. 1. Usus, ut est species dominii, est Jus reale utendi tantùm re alienâ, salvâ ejus substantiâ. Dicitur 1. *Jus*, per quod usus Juris distinguitur ab usu puri facti, seu merâ licentiâ utendi re alienâ ad unum concedentis 19. *Usus juris.*

revocabili. Dicitur 2. *Utendi tantùm*: nam qui habet tantùm usum juris v. g. equi alieni pro itinere, vecturis, non potest alios fructus ex eo percipere præter utilitatem usui respondentem. Dicitur 3. *Salvâ ejus substantiâ*; quia usuarius non potest rem alienare, commodare alteri, destruere, &c. Secùs est de usu puri facti in rebus, unico sui usu consumptibilibus, uti sunt cibi in mensa v. g. convivii, qui per usum destrui possunt.

20. *Usus-fructus.* Resp. 2. Ususfructus, ut est species Juris realis, est Jus re alienâ fruendi, utendi, salvâ ejus substantiâ: unde est Jus non solùm utendi re, sed etiam omnem fructum ex ea percipiendi, libereque de hoc disponendi utpote suo. Usus actualis est assumptio rei ad aliquid, v. g. equi ad equitandum; fructus verò est id, quod provenit ex re, ut agnus, lana ex ove, fruges ex agris &c. fœnum ex pratis, fructus arborum, proventus ex venatione, aucupio, ligna ex sylvis cæduis, quorum tamen fructuum non fit dominus, nisi postquam eos perceperit: quamdiu enim rei adhærent, faciunt unum cum illa: unde si, antequam à re separati fuerint, usufructuarius moriatur, ad dominum rei frugiferæ pertinent. Quòd si soleant humanâ industriâ separari, non fiunt usufructuarii, nisi per se, vel per constitutos separaverit; secùs, si sine humana industria separari soleant: unde si ventus v. g. poma decusserit, licèt possit ea colligere, & sua facere usufructuarius, si tamen proprietarius præveniat, sunt ipsius, teneretur hic tamen ad eorum æstimationem. Si fur separâsset fructus, quamdiu sunt apud furem, pertinent ad pro-
prie-

prietarium, qui tamen, si eos occupet, tenetur usufructuario ad æstimationem illorum.

Porrò ususfructus cessat 1mò morte naturali, & civili, id est, damnatione ad ultimum supplicium usufructuarii. 2. Interitu rei frugiferæ, ùt si animal moriatur, domus comburatur. 3. Omnimodâ mutatione rei, ùt si ager, vel pratum fiat stagnum. 4. Præscriptione. 5. Consolidatione, si usufructuarius jus suum cedat proprietario, vel contra. 6. Lapso tempore constituto. His casibus redit ad proprietarium, non tamen per professionem religiosam, sed manet Monasterio, vel Ordini illius capaci, ad dies vitæ professi. *Quando cesset?*

Obligationes usufructuarii sunt sequentes: 1ma debet uti re frugiferâ moderatè, ac rationabiliter, velut paterfamilias suâ, hinc si ejus negligentiâ, vel abusu fiat deterior, tenetur in conscientia de damno. 2da. Si res frugifera sit pomarium, sylva, vineæ, &c. tenetur in locum arborum vel stipitum emorientium novas plantare, non tamen, si tempestate extraordinariâ dejiciantur. 3tia. Si sit domus, tenetur ad modicam reparationem, ut integra permaneat. non tamen ad sumptus, quibus melior evadat. Si vetustate corruat, neuter tenetur eam reædificare: hoc tamen si proprietarius faciat, alter retinebit usumfructum. 4ta. Si sit grex pecorum, capitibus demortuis, tenetur ex fœtu alia substituere, non tamen alia emere; quia grex censetur perpetuus, secùs si singulorum haberet usumfructum. 5ta. Tenetur tributa rei imposita solvere, & pia legata, si sit usufructuarius omnium bonorum, & æs alienum secundùm proportionem, si habet usumfructum partis hæreditalis. *Obligationes usufructuarii.*

21. *Feudū, Emphyteuſis, Superficies, Habitatio.* Reſp. 3. Feudum eſt dominium utile in re aliena, conceſſum ſub onere fidelitatis, & obſequii perſonalis præſtandi in recognitionem dominii directi proprietario. Emphyteuſis eſt dominium utile non minùs, quàm ad decennium conceſſum ſub onere penſionis realis. Superficies eſt jus utendi, fruendi ſolâ ſuperficie ſoli alieni, ſaltem ad decennium gratis, vel ſub onere conceſſum, v. g. in eo ædificandi, plantandi &c. ſi concedatur infra decennium, erit elocatio. Habitatio eſt jus, domum alienam inhabitandi ad dies vitæ, aliiſve elocandi ſalvâ ejus ſubſtantiâ: differt ab uſu domûs per poteſtatem elocandi, ab uſufructu, quia ſolâ morte amittitur habitantis. Pignus & hypotheca formalis, ſive ùt eſt ſpecies juris, eſt jus in re alterius ſibi obligatâ pro ſecuritate debiti. De his plura infrà, ubi de contractibus.

QUÆSTIO V.

Quid, & quotuplex ſit Servitus?

22. *Definitio.* Reſp. 1mò. Servitus activè ſumpta, eſt jus in re aliena, ad hoc, ut in ea aliquid fiat, vel non fiat in utilitatem jus illud habentis, ſalvâ rei ſubſtantiâ: paſſivè ſumpta, eſt obligatio rei ad hoc, ut aliquid in ea fiat, vel non fiat in commodum alterius ſalvâ rei ſubſtantiâ. V. g. ſi habeam jus tranſeundi per agrum tuum, vehiculum agendi, vel aquam ducendi in agrum meum; ſervitus eſt, quo ager tuus meo ſervire debet, & meus tuo dominatur. Dixi: *Vel non fiat;* quia quædam ſervitutes tantùm impediunt, ne aliquid fiat, v. g. ut domus

mus tua non extollatur altiùs, ne officiat lumini in meam, ne in tua aperiatur fenestra, quâ possis in hortum meum prospicere. Atque ità sunt quædam servitutes affirmativæ, quædam negativæ. Dixi 2. *Jus in re*; nam non sumitur hìc servitus pro conditione, quâ unus homo dicitur mancipium alterius, seu servus, sed pro subjectione quadam rei alienæ, vi cujus debet servire alteri.

Resp. 2. Servitus dividitur 1mò in realem, & personalem. Realis est, quâ res unius immediatè obligatur rei alterius: ùt, si ager tuus debeat servire meo, v. g. pro introducenda aqua in meum. Jus autem illud transit ad eum, ad quem res transit. Personalis est, quæ immediatè debetur personæ, adeoque hâc extinctâ extinguitur: ùt, si domûs tuæ inhabitatio mihi debeatur; quò à plerisque referuntur feudum, Emphyteusis, & similes obligationes, quas Haunoldus potiùs dominia vult appellanda. 23. *Alia realis, alia personalis.*

2. Servitus divitur in continuam, quasi continuam, & discontinuam. Continua est, cujus usus perpetuò, & quasi sine intermissione, quantum est de se, durat, ùt servitus aquæ ductûs, tigni in muro tuo pro domo mea suscipiendi. Quasi continua est, cujus non quidem semper usus durat actu, tamen, utpote pendens à causis naturalibus, non continuò operantibus, semper est in potentia, ùt servitus stillicidii à tecto tuo ex meo suscipiendi. Discontinua est, cujus usus non semper est, quia pendet à libera hominis voluntate, utì iter per agrum tuum. Hæc divisio bene observanda est pro intelligenda servitutum præscriptione. *Alia continua, vel quasi continua, alia discontinua.*

Alia urbana, alia rustica. 3. Servitus realis dividitur in urbanam, & rusticam. Urbana est, quæ debetur prædio urbano; rustica, quæ prædio rustico. Prædium urbanum est omne ædificium, principaliter habitandi causâ ordinatum sive in- sive extra urbem, cui accensetur domus recreationis, vel lucri causa exstructa. Item hortus annexus ob voluptatem. Prædium rusticum dicitur fundus, v. g. ager, vinea, pratum, sive in- sive extra urbem. Item ædificia, v. g. stabula, horrea, quæ non serviunt habitationi hominum, suntque ab habitaculo separata, quod addo, quia conjuncta prædio urbano, hoc sequuntur velut accessoria: pro his distinguendis potiùs ratio habenda est prædii dominantis, quàm servientis.

Servitutes urbanæ, & rusticæ. Porrò servitutes urbanæ sunt obligatio admittendi tignum in muro tuo pro domo aliena, recipiendi stillicidium in tectum tuum ex tecto alterius, non attollendi altiùs tectum tuum, non officiendi lumini, non impediendi prospectum in hortum tuum, &c. Qui habet jus exigendi hæc, habet servitutem urbanam activam, alter passivam. Servitutes rusticæ sunt iter, actus, seu ductio pecoris, via, aquæ ductus, appulsus pecoris ad aquam per fundum alienum, jus in alieno pascendi, calcis coquendæ, arenæ fodiendæ, &c. hæc, quia utplurimùm pertinent ad utilitatem prædii rustici, simpliciter dicuntur servitutes rusticanæ, quamvis aliquando cedant in utilitatem prædii urbani. Denique servitutes constituuntur lege, vel contractu, aut præscriptione acquiruntur. Desinunt pariter vel præscriptione, vel remissione, vel emptione fundi servientis, facta ab eo, qui servitutem habet.

QUÆS-

QUÆSTIO VI.

Quid, & quotuplex ſit poſſeſſio, quæ ejus emolumenta, quomodo acquiratur, & amittatur?

Reſp. 1mò. Poſſeſſio, à pedum, ſeu ſedis, aut poteſtatis poſitione dicta, eſt inſiſtentia rei tanquam ſuæ. Alia eſt facti, alia juris, alia naturalis tantùm, alia tantùm civilis, alia naturalis ſimul & civilis. Explico membra ſingula.

1mò. Poſſeſſio facti eſt detentio rei, corporis, animi, & juris adminiculo. Dicitur 1mò. *Detentio rei*, id eſt apprehenſio prima, vel continuata, quâ res conſtituitur in poteſtate poſſeſſoris. Dicitur 2. *Rei*, id eſt ſive corporeæ, ſive incorporeæ; etſi enim Juriſtæ res corporeas dicant tantùm poſſideri, res verò incorporeas quaſi poſſideri; à Theologis tamen communiſſimè poſſideri dicuntur etiam res incorporeæ, ùt beneficia, officia, cenſus, & ſimilia. Dicitur 3. Corporis, animi, & juris adminiculo, quia ad poſſeſſionem tria requiruntur: 1mò enim debet res actu quodam corporali, v.g. pedibus, manibus in ſe, vel in ſigno aliquo apprehendi, deinde debet id fieri animo rem habendi tanquam ſuam, etſi fortè ſciat eſſe alienam. Denique jus non debet reſiſtere, vel impedire, quominus talis apprehenſio ſufficiat ad poſſeſſionem. Hinc detentio rei ſacræ à Laico nequidem eſt poſſeſſio facti, quia jus eam detentionem reprobat, & irritat. Econtra fur acquirit poſſeſſionem facti rei furtivæ profanæ; quia jus non impe-

24. *Poſſeſſio facti.*

impedit, ne talis rei detentio sufficiat ad possessionem. Unde Possessio facti ab aliis dicitur detentio rei à jure non prohibitæ possideri, & aliquando apprehensæ cum animo eam sibi habendi.

Possessio juris. 2. Possessio juris est jus insistendi rei, non prohibitæ possideri, tanquam suæ. Dicitur 1mò *Jus*, per quod distinguitur à possessione puri facti, quæ est actus possidendi, seu ipsa occupatio, seu detentio rei, ex qua jus oritur, si sit justa; secùs in foro conscientiæ jus non oritur, si occupatio vel detentio justa non sit. Dicitur 2. *Insistendi rei*, id est, rem pacificè detinendi, & remediis juris utendi contra perturbatores, & per hoc differt à dominio, quod est jus disponendi de re. Dicitur 3. *Tanquam suæ*, id est, nomine proprio: qui enim insistit rei nomine alterius, non est verus possessor. Hinc Tutor non possidet bona pupilli, nec colonus bona Domini, nec propriè depositarius depositum, nec usuarius, usufructuarius rem usui concessam, vel frugiferam; quia non possidet nomine suo. Dicitur 4. *Non prohibitæ possideri*, quod claritatis causâ additur, cùm de cætero satis per jus intelligatur, quòd legem faventem possidenti includit. Unde strictè loquendo est jus reale, seu potestas rem sibi habendi, eique insistendi tanquam suæ, fruendique commodis inde provenientibus. Ad minùs strictam possessionem juris sufficit, quòd possessor velit haberi pro Domino, sic fur possidet possessione juridicâ in ordine ad aliquos effectus civiles.

Pure naturalis, & civilis. 3. Possessio purè naturalis est, quâ res, cujus possessio civilis est penes alium, corpore & animo simul retinetur ùt sua, quò sufficit, quòd

quòd res ſemel apprehenſa ſit ità vicina in conſpectu, ut ei continuò adeſſe poſſis, aut per alium nomine tuo poſſideatur actu. Poſſeſſio purè civilis eſt, quâ rei, quæ ab alio corporaliter poſſidetur, ſolo animo inſiſtitur. Sic, ſi me abſente alius agrum meum invaderet cum animo poſſidendi eum, ille inciperet poſſidere naturaliter, ego autem adhuc poſſiderem civiliter, donec reverſus, auditâ invaſione, agrum tentarem recuperare, & repellerer, aut non auderem, vel negligerem me opponere. Mixta, ſeu naturalis, & civilis ſimul eſt, quâ quis rem corporis & animi adminiculo actualiter, v. g. domum, quam inhabitat, poſſidet, nullo alio retinente poſſeſſionem civilem. *Cæterùm* in jure poſſeſſor civilis, juſtè poſſidens, ſimpliciter dicitur rem poſſidere præ poſſeſſore pure naturali: hìc enim dicitur poſſidere tantum cum addito diminuente *naturaliter*. Unde poſſesſio naturalis à Juriſtis dicitur, quando quis rem ſibi detinet, civilis verò, quando cum opinione dominii eam detinet. Unde aliqui poſſesſionem facti naturalem, & juris civilem vocant. Alia quædam poſſeſſio eſt, quæ civiliſſima dicitur in quibuſdam regnis, ùt Galliâ, Italiâ, Caſtellâ, & abſque apprehenſione vera, vel ficta, ex ſola legum diſpoſitione confertur, & per hanc acquiruntur hæreditates etiam ab extraneo ſine ullo corporalis apprehenſionis actu. Sed hæc in Imperio locum non habet, hinc nec definita. 4. Poſſeſſio juſta eſt, cùm res cum vero & legitimo titulo; injuſta, cùm ſine juſto & legitimo titulo poſſidetur. 5. Poſſeſſio bonæ fidei eſt, cùm quis rem poſſidet,

putans esse suam ; malæ fidei , si putet non esse suam.

25. *Emolumenta possessionis bonæ fidei.* Resp. 2. Possessio bonæ fidei hæc parit emolumenta. 1mò. Debito tempore cum titulo continuata præscriptionem. 2. Facit in dubio, an res sit tua, vel alterius, ut possis eam retinere etiam in foro conscientiæ , si adhibitâ diligentiâ convenienti, dubium maneat. 3. In foro externo parit præsumptionem dominii , ità ut , si actor non probet rem esse suam, aut injustam possessionem , adjudicetur possidenti. 4. Confert jus administrationis : hinc si possidens bonâ fide jus patronatûs quempiam ad beneficium præsentet , valida est præsentatio; etsi postea constet , non fuisse verum patronum. 5. Possessor vi illius potest in utroque foro , etiam vi & armis , tueri se contra injustum invasorem , servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ ; &, si eâ dejectûs sit, potest armis repetere, modò spectatâ rei naturâ (apparatus enim moram admittit) id fiat in continenti. Imò si absentis possessio rei immobilis occupata sit , & rediens à detentore repellatur, potest armis contra eum uti. Dixi : *Rei immobilis* ; nam si fur tibi rem mobilem clam subduxerit , aut si te advertente , & persequente fugerit , & jam rem extra tuam custodiam posuerit , ut quæsita reperiri non possit , non potes eam vi repetere ; quia amisisti totalem possessionem , solumque superest recursus ad remedia juris.

26. *Quomodo possessio acquiratur ?* Resp. 3. Possessio acquiritur apprehensione verâ , seu physicâ , vel fictâ , & dispositione juris. Rerum vacantium possessio non acquiritur , nisi verâ corporali apprehensione ; rerum immobilium, ùt domûs , fundi agri , vel usus-

fru-

fructûs ex iis possessio acquiritur, modò aliqua pars eorum bonorum, quæ continua, aut contigua sunt, totumque aliquod morale constituunt, verè apprehendatur: nec necesse est omnes partes, v. g. agri ingredi. Rerum mobilium possessio acquiritur, quando eam intendens possidere, locum incipit, in quo includuntur, possidere, aut à tradente dominium oculis ejus exhibetur, vel traditur instrumentum, vel scriptura, jus & titulum continens, vel clavis, ad illarum custodiam pertinens, aut rei in dominium translatæ signum imprimitur, v. g. arboribus emptis in silva, vel pecoribus nondum à venditoris grege separatis.

Resp. 4. Possessio amittitur 1mò, morte possidentis. 2. Abdicatione, seu animo efficaci non amplius habendi rem ùt suam. 3. Per amissionem rei, nisi sit sub Domini custodia, ut quæsita ab illo, reperiri possit. 4. Invasione alterius, volentis rem possidere ùt suam, & non repulsi. 5. Longa absentia à re immobili, nisi alius nomine ipsius possideat, aut antè sit protestatus. 6. Rei mobilis possessio amittitur per furtum, & rapinam, ubi fur eam Domini potestati subduxerit. 7. Animalium possessio amittitur per fugam: utì, si à grege aliquod aberraverit, & diligenter quæsitum inveniri non possit; si aves, feræ, non habentes consuetudinem eundi, vel redeundi manûs nostræ custodiam evaserint; si apes avolaverint, ità ut consuetudinem redeundi non habeant. Denique possessio jurium ac rerum incorporalium amittitur amissione fundi, vel rei dominantis, item diuturno non usu 27. *Quando possessio amittatur?*

usu, etiam per vim extorto, interpellatione, præscriptione, de qua infrà.

CAPUT III.

De Subjecto, & Objecto Dominii.

QUÆSTIO I.

Quæ universim cadant sub Dominium hominis?

NOn est hìc quæstio de Dominio Dei, qui titulo creationis, & conservationis absolutum, perfectissimumque omnium creaturarum tum jurisdictionis, tum proprietatis habet dominium. Nec quæstio est de Dominio Angelorum, qui habent dominium famæ, honoris, bonorumque suorum spiritualium, non tamen rerum corporearum, nisi fortè aliquando ex speciali Dei concessione: non enim Angelis, sed hominibus dictum *Genesis* 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cœli, &c.* neque rerum corporalium usu indigent. Unde, mali Angeli, si sic Deo permittente, hominibus noceant, veram iis injuriam faciunt, & homini afferentes pecunias nullum ei dominium conferunt. Quanquam, si ex bonis derelictis, v. g. in mari, vel in terra absconditis eas desumpserint, homo titulo 1mæ occupationis possit fieri earum Dominus. Videri potest Lugo Disp. 3. Sect. 1. Itaque quæstio tantùm est, de Dominio hominis: ad quam

28. *Homo quomodo sit dominus suæ famæ.*

Resp. 1mò. Homo habet dominium 1mò, non tantùm bonorum corporalium, quæ justè acqui-

acquisivit, ùt per se patet; sed etiam actuum suorum liberorum. 2. Famæ suæ, & honoris. 3. Non tamen dominium proprietatis vitæ, & membrorum; sed horum tantùm est usufructuarius, & custos. Ratio primæ partis est; quia habet potentiam moralem de illis pro libitu suo disponendi in suam utilitatem, ità, ut à privato non possit sine injuria ab iis impediri. Est tamen hoc dominium minùs amplum; cùm de iis non possit disponere ad tam multos usus, quàm de rebus externis, eos alienando. Imò si sint mali, non habet dominium ad eos ponendos, saltem in sensu composito legis prohibentis. Habet quoque dominium in habitus acquisitos, gratiam, & dona supernaturalia divinitùs collata, quatenùs scilicet iis uti potest, & non uti, & iis sine injuria invitus spoliari non potest. Ratio 2dæ partis est; quia homo ex S.Thom. habet jus perfectè disponendi de iis, quæ libero suo arbitrio acquirit, nisi lege prohibeatur, atqui homo liberè acquirit suam famam, & honoris dignitatem, ùt constat: nam acquirit ea per actus bonos, potestque per malos destruere sine injuria, nisi ejus infamia redundet in alios, v.g. infamia patris in filios innocentes, complicis in complicem, religiosi in religionem. Potest quoque famam amissam vindicare, injustè læsæ reparationem ab alio exigere, vel condonare, imò se ex justa causa diffamare, v.g. consilii, vel insignis humilitatis causâ, modò absit scandalum, & læsio famæ alienæ. Nemo autem Jus habet exigendi à proximo positivum judicium de sua excellentia, sed tantùm ut non concipiat temerè judicium contrarium, & non minuat existimationem bono nomi-

nomini necessariam, videlicet, quæ petitur ex vita & moribus secundùm exteriorem apparentiam honestis, aliisque talentis verè possessis: non verò jus strictum habet existimationis bono nomini non simpliciter necessariæ, videlicet quæ petitur ex talentis quibusdam rarioribus non possessis, sed existimatis tantùm errore vulgi, v. g. quòd sit insignis Theologus, Jurisconsultus, Concionator, Medicus, cùm re ipsâ non sit: ideoque hunc errorem detegere non est injuriosum, nec contra charitatem, si vergat in damnum commune, vel grave proximi. Quod dixi de fama, idem dicendum cum proportione de honore: licèt enim homo strictum Jus habeat, ne injustè inhonoretur, v. g. contumeliis, aliisve signis vilipendii, idque pro ratione dignitatis, & excellentiæ; positivam tamen honorationem stricto jure exigere non potest, nisi ejus negatio ab aliis pro contemptu, & vilipensione, ùt sæpe contingit, reputaretur. Dixi, posse disponere de acquisitis, nisi lege prohibeatur: nam nec patri conceditur Jus perfectè disponendi de filiis, nec servo, aut Monacho de bonis liberè acquisitis. Dein quisque tenetur curam habere de bono nomine sibi conveniente, & necessario, v. g. Christianus de bono nomine Christiani, Religiosus de bono nomine Religiosi, &c. & quanquam quis sine injuria alterius quandoque possit prodigere suam famam, peccare tamen potest prodigendo contra charitatem ratione scandali, imò id sine causa facere, aliis etiam seclusis, veniale saltem foret. Quamvis Tamb. in Decalogum L. 6. C. 3. §. 6. contendat posse etiam à levi peccato excusari.

Homo vitæ & membrorum. Ratio 3tiæ partis est; quia Deus nemini, ùt fatentur omnes, dedit Jus in vitam, & membra

membra sua, sed tantùm illorum quasi usum-fructum. Cujus *Ratio est;* 1. Quia, cùm Deus creavit hominem in suam gloriam, & obsequium, non conveniebat, ut sine consensu ejus liceret se subducere ejus servituti, vel ineptum ad illam reddere mutilando, vel occidendo se: sicut non convenit licere militi sine consensu Ducis statione suâ cedere; secùs est de bonis fortunæ, quæ cùm condita sint in utilitatem hominis, utile autem aliquando sit illa destrui & consumi, hinc conveniens erat, ut ea potestas esset homini. 2. Rectus ordo in Republica humana exigebat, ut homini non esset dominium suæ vitæ & membrorum, ne passione vel miseriis adactus se interficeret in suam, aliorumque perniciem. *Nec juvat*, quòd Deus dato dominio homini in vitam, potuisset hominem ex obedientia & charitate propria obligare ad se non occidendum vel mutilandum: nam, cùm obligatio illa debuisset esse perpetua, frustranea fuisset collatio dominii in vitam & membra. Sufficit itaque, quòd homo sic sit constitutus à Deo, ut omnem ex vita sua, membrisque, salvâ eorum substantiâ, utilitatem capiat, eaque administret, usurpet, & custodiat in Dei obsequium & gloriam, suamque felicitatem, sicque habeat dominium utile, quod se vendendo, in alium transferre potest, nec aliud transfert sui corporis ineundo Matrimonium, nec læditur ipsi aliud, dum injustè occiditur vel mutilatur.

usufructuarius tantùm est.

Hinc 1. Nemini licet propriâ authoritate seipsum occidere directè. Dixi 1. *Authoritate propriâ:* nam Deus facultatem se occidendi concedere potest: sic censetur, per singularem instinctum concessisse Samsoni, Judic. 16. 29.

Sui occisio.

Elea-

Eleazaro 1. Machab. 6. S. Apolloniæ, quæ præveniendo carnificem se in ignem præcipitavit. Quanquam & aliqui fortè ex ignorantia invincibili id fecerunt. Dixi 2. *Directè*: nam ex justa causa licent actiones, ex quibus prævidetur indirectè mors secutura: sic potest miles in sua statione manere, etsi se prævideat occidendum: potest filius evidenti mortis periculo se exponere, ut patrem eripiat &c. nisi enim ejusmodi actiones licerent, non esset satis prævisum communitati humanæ: unde meritò Deus præsumitur ad eas licentiam dare.

30. *Vel mutilatio, quando licita, aut illicita?*

2. Nemini licet authoritate propriâ, & directè se mutilare notabiliter, cujuscunque tandem lucri causâ; licet tamen, quando id est necessarium ad conservationem totius; quia jacturam suæ partis ordinare ad conservationem totius, prudentis est administrationis, justæque defensionis contra mortem imminentem. Imò tenetur quis mutilationem talem sustinere, si fieri possit sine gravissimo dolore. An reus possit, jussu Judicis, in se exequi pœnam mutilationis, vel mortis, dubitant AA. Negat Lugo, eò quòd minister justitiæ debeat esse distinctus à Reo. Negat & Less. eò quòd id hominem dedeceat propter intimam secum conjunctionem; verùm opposita sententia videtur probabilior: quia id faceret, ùt publicus minister justitiæ vindicativæ, nec opus est, ut executor ejus sit realiter distinctus à Reo: nam jussus ire in exilium, ad triremes, ad metalla fodienda, pœnam exequitur in seipsum, utì & pœnitens, cui à Confessario pro satisfactione salutari imposita est suî flagellatio. Nec videtur indecens, cùm pœna sit justa, adeoque possit ex affectu justitiæ vindicativæ Deo pro peccatis

catis satisfaciendi executioni dari à Reo, ùt ministro Reipublicæ ad id constituto. Cogi tamen Reus ad id non posset; quia foret mandatum nimis durum. Neque suâ sponte mortem sibi Reus accelerare directè, & ex intentione licitè potest. Et licèt Lugo putet, posse strangulandum priùs abstinere à cibo, ut sic debilior citiùs suffocetur, id tamen non suadendum; cùm omnes doceant, non licere v. g. à vino directè eâ intentione, ut vel horâ citiùs moriatur, abstinere; quia nemo, etiam ad horam, est dominus suæ vitæ. Aliud foret, si justè damnatus esset, ut fame vel siti periret: tunc enim licitè cibum & potum oblatum rejiceret: sicut Reus licitè non fugit ex carcere, licèt prævideat, se morte afficiendum. Imò juxta Less. Lug. n. 38, & alios, contra Vasquez, licitè Reus se sistit Judici secundùm merita plectendum: suspendendus tamen, nisi jubeatur, non potest licitè seipsum à scala dejicere.

3. Sicut potest quis servire peste infectis, objicere se telo vel ictui ad servandam vitam Principis, amici, ad evadendum incendium ex alto se præcipitare cum certo periculo mortis; ità potest se pro alio injustè ad mortem damnato offerre ex motivo virtutis; quia sic non amat plùs alium, quàm se, sed plùs amat heroicam virtutem, quàm vitam suam, nec sibi mortem infert, sed inferri permittit. Secùs foret juxta aliquos, si alius ad mortem esset justè damnatus; quia sic Judicem induceret ad occidendum innocentem. La Croix L. 3. P. 1. n. 780. & L. 2. n. 177. An liceat ad perdendos hostes pulverem incendere, etsi prævideas te occidendum, vel mergere navim, ne capiatur ab hostibus, etsi prævideas te sub-

31. *Objicere se certo periculo mortis, quando liceat?*

mergendum, dubium est. Negat Mendo, Lugo putat esse licitum in causa boni communis, si ab hostibus eras occidendus. An liceat se ex turri præcipitare, ut evadas mortem acerbiorem, vide Lug. n. 50.

32. *Licet virgini pro servanda integritate.* 4. Etsi virgini non liceat se pro servanda castitate directè occidere; licet tamen certo mortis periculo se exponere, etiam pro sola integritate corporali, quia hæc magni æstimatur. Non licet tamen se castrare ad conservandam castitatem, vel sedandas tentationes; quia hoc ad eum finem non est necessarium.

33. *Quæ obligatio vitam conservandi?* 5. Homo tenetur, pro vita sua conservanda, adhibere media ordinaria: aliàs rei alienæ, cujus ipse quasi usumfructum habet, non est fidelis custos, & administrator; non tamen tenetur adhibere media extraordinaria, aut pretiosa, nisi id postulet necessitas Reipublicæ, vel Ecclesiæ. *Ratio est*, quia id officium prudentis administratoris non requirit, & major obligatio exponeret nimiis anxietatibus. Unde, licèt juxta Sanch. nemo teneatur singulis annis sumere medicinam ad præcavendas febres, & probabile periculum mortis; tamen ægroti periculosè, si commodè possint, tenentur consulere medicos, & uti cibis salutaribus; quia hæc sunt media ordinaria, & facilè parabilia, secùs ac quotannis sumere medicinam. Si tamen absit periculum mortis, licet respuere medicinas, graves dolores tolerandi causâ, uti fecisse scribitur P. Ludovicus de Ponte. Licet quoque carnem vigiliis, & inediâ moderatè affligere, & abstinere etiam à parte cibi communis & potûs, quamvis mors inde sequeretur citiùs, modò sumantur necessaria ad conservationem individui; quia sic non

non tollitur, sed tantùm non prolongatur vita, ad quod, per se loquendo, nemo tenetur habens bonum finem, qui est utilitas spiritualis, prævalens corporali; aliàs peccarent plurimi per studia, & artes laboriosas consumendo nativum calorem, sicque abbreviando vitam. Spectat proin id ad rectum vitæ usum, quæ nobis concessa est ad virtutum exercitium pro consequenda vita æterna. Hinc potest quis Religionem ingredi, nec tenetur ex Noviciatu exire, vel victum à communi diversum, aut mutationem loci petere, etsi prævideat sic suam vitam esse abbreviandam.

An Carthusianus, cum certo periculo mortis, in extrema ægritudine possit licitè abstinere à carnibus, quibus vitam possit conservare, dubitant DD. Affirmant aliqui, eò quòd pro bono communi Ordinis laudabiliter negligat vitam. Negant alii; quia non apparet in ista abstinentia tantum Ordinis bonum. Putat Sanch. Si necessitas sit ab intrinseco, v. g. ex morbo, non teneri; quia mors sequetur naturaliter: si autem sit ab extrinseco, v. g. inopia alterius cibi, teneri; quia mors illa, cùm sit violenta, illi imputaretur. At, si necessitas sit ab intrinseco, tenetur sumere medicinam: cur non carnem comedere? si necessaria est ad vitam conservandam. Alii infirmi tenentur uti cibis salutaribus, quisque tamen secundùm facultates suas tantùm.

6. Mulier non potens parere potest admittere sectionem cæsaream, ut infans baptizetur; enim est, teste Rayn. semper spes vitæ non amittendæ, cùm per se sectio illa non sit lethalis. Similiter potest quis sibi licitè amputare manum, ut liber catenâ mortem eva- 34. *Prægnãtis sectio cæsarea.*

dat ; quia licitè pars postponitur toti : unde & alius rogatus potest ipsi illam amputare, quod enim quis licitè facit per se, nisi aliud obstet, potest & licitè per alium.

Resp. 2. Nec Respublica, multò minùs
35. homo privatus, habet dominium proprietatis
Respublica non habet dominium in vitam hominis. in vitam, vel membra alterius. *Ratio est* ; quia nec Reipublicæ Deus illud concessit : cùm enim ad bonum generis humani procurandum sufficiat potestas publica puniendi convenienter delicta, etiam per membrorum, & vitæ ademptionem ; & facultas contra iniquum aggressorem se defendendi, servato tamen inculpatæ tutelæ moderamine, percipiendique fructus ex hominum industria ; inconveniens erat privatis, & Reipublicæ, concedi dominium in alterius vitam & membra, quo homines, instar pecorum, mutilari vel occidi possent. Proinde cùm Respublica occidit malefactores, non agit id vi dominii directi in vitam subditorum, sed vi juris recti gubernandi, & defendendi corpus politicum ab interitu, aut confusione nimiâ : sicque membrum putridum resecat, ut salvetur corpus, vel agit ministrum Dei, cujus vice gladium portat, ut loquitur Apost. ad Rom. 13. *Ex his resolves*

36. *Castratio filii illicita.* 1. Peccant parentes, qui filios etiam consentientes castrant, ut sint utiles cantui, nec lucrum magnum inde proveniens, & utilitas Reipublicæ est causa excusans, cùm alii cantores non desint. Unde communis cum Lugone tenet, esse mortale, etsi absit periculum vitæ. Peccant quoque parentes, si liberos suos ultra meritum puniant.

37. 2. Judex, privatâ scientiâ sciens innocentem,
Nunquã non potest illum condemnare ad mortem, etsi juridi-

juridicè probatus sit nocens; quia Respublica non habet dominium in vitam, & Justitiæ vindicativæ non est locus, ubi non est delictum. Ità communior, & probabilior contra Thomist. Sanch. Illsung. & alios, qui fatentur omnes, quòd Judex supremus, utpote potens dispensare in lege, sciens innocentem, id non possit: hinc non apparet, cur id magis possit Judex inferior qui vices Reipublicæ, vel supremi Principis sustinet. De hoc plura n. 470. 471. *licet directè occidere innocentem.*

3. Nunquam licet directâ intentione, & scienter occidere innocentem, nisi Deus facultatem concedat; indirectè autem, id est, ponere actionem utendo jure suo, ex qua alterius mors præter intentionem videtur secutura, aliquando licet, quando nempe actio licita, necessaria, ac tanti momenti est, ut vitæ æquivaleat. In exemplis: Si tyrannus minetur excidium urbi, nisi occidatur innocens, non licet hunc directè occidere; quia, etsi sit membrum Reipublicæ, non est tamen nisi morale, quod à Republica esse & vivere non accepit, sicut membrum physicum à corpore. Similiter non licet occidere obsides, etsi, qui eos miserunt, non servent fidem, quia sunt innocentes. Econtra si tyrannus excidium urbi intentet, nisi certus quis innocens extradatur, potest Respublica jubere, ut tyrannum adeat, & nolentem extradere; quia tenetur privatus vitam suam ponere pro conservatione ab interitu Reipublicæ, sicque nolit, fit nocens; morsque ejus sequitur præter intentionem Reipublicæ. Similiter licet, quando necessarium est ad urbem justo bello expugnandam, vel victoriam reportandam, tormenta in eum locum dirigere, ubi sunt multi innocentes quia horum 38. *Quandoque licet indirectè.*

mors præter intentionem sequitur. Idem est in aliis ejusmodi, quando datur opera rei licitæ, & necessariæ ad gravius, vel æquale malum evadendum. Vide dicta p. 1. n. 15. & 16. & dicenda inferiùs n. 374.

39. *Homo hujus universi non est absolutè dominus* Resp. 3. Etsi hoc universum sit in usum hominis conditum, non eit tamen homo illius absolutè dominus, sed rerum tantùm inferiorum, & sublunarium, quæ in illo continentur. *Ratio 1mæ partis est*; quia non potest de toto hoc universo disponere v. g. de Cœlo, Sole, Luna, Astris, licèt horum influentias, effectusque complures participet, & in tantum sit usufructuarius illorum. *Ratio 2dæ partis est*; quia homo exercet quendam dominatum in illas secundùm illud Gen. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli.* Hinc, quando de his aliquid legitimè apprehendit, fit ejus dominus: fuisset tamen dominium hominis in animantia longè perfectius, si is permansisset in primævo innocentiæ statu, propter illorum perfectam ad hominem subjectionem, quam pleraque nunc detrectant.

QUÆSTIO II.

Quæ bona temporalia cadant sub dominium filiorum-familias?

40. *Filius-familias. Patria potestas.* *Nota* 1. Filius-familias, quo nomine etiam venit filia, est proles legitima, aut saltem legitimata per subsequens Matrimonium, vel rescriptum Principis, constituta sub patria potestate. Est autem patria potestas Jus à lege civili inductum, quod habet solus pater, vel avus, aut proavus paternus in personas, & bo-

na liberorum legitimorum ; vi cujus poteſt de illis necdum emancipatis diſponere, ſecundùm quod ei leges permittunt, prout dicetur. Dicitur 1. *Jus à Lege Civili conceſſum* : nam per patriam poteſtatem non intelligitur hìc poteſtas gubernandi liberos, quam natura parentibus, proinde etiam matri conceſſit ; ſed poteſtas patri, vel avo paterno conceſſa ſpeciali modo diſponendi, à qua proles deſcendens filius-familias dicitur, & aſcendens pater-familias ; quanquam hæc denominatio conveniat omni, qui eſt ſui juris, & capax ſuæ domûs, qualis eſſe poteſt non habens prolem, imò & infans. Dicitur 2. *Quod habet ſolus pater, vel avus paternus* : nam, nec fœminæ, nec avo materno competit patria poteſtas, ſed ſupremo aſcendentium in deſcendentes per lineam maſculinam, aut patri in liberos ſibi jam emancipato natos.

Emancipatio autem olim fiebat variis modis : nunc cenſetur filius emancipari, & fieri ſui juris, quando uxorem ducit, & focum patris deſerit, ſeu ſeorſim habitat ; item per Clericatum, & Profeſſionem in Religione ſeu patris, ſeu filii. Dicitur 3. *Liberorum legitimorum* : quales ſunt nati ex legitimo Matrimonio : nam illegitimi, ſeu ſpurii, ſeu naturales, niſi per reſcriptum Principis, vel ſubſequens Matrimonium legitimentur, ſeu reſtituantur natalibus in ordine ad ea, quæ illegitimis Jure Civili negantur, non ſubſunt patriæ poteſtati, quanquam tam legitimi, quàm illegitimi ſubſint parentum poteſtati gubernativæ, vi cujus delinquentes, ſi non ſint in ſacris, moderatè puniri poſſunt ; quod etiam in filios-familias matri conceditur, utì & propinquis ſeniori- *Emancipatio.*

bus, penes quos est gubernatio familiæ: imò juxta Molinam à senioribus extraneis, quando absunt illi, quorum curæ subsunt, & putantur id ratum habituri, puniri possunt moderatè pro suis excessibus, & offensa, si deferri non possint suis, aut ab iis non putentur corrigendi: cùm enim deferri non possint ad potestatem publicam, debet esse medium insolentias compescendi. Hinc communi prudentum consensu id concessum videtur. Magnâ tamen hìc moderatione opus est, præsertim, quando parentes meritò creduntur correcturi.

Bona filiorum quadruplicia.

Nota 2. Bona, quæ filius habere potest, sunt quadruplicia: nempe castrensia, quasi castrensia, adventitia, & profectitia.

Castrensia sunt, quæ filius acquirit in militia, vel occasione militiæ; ùt stipendia militaria, hostium spolia, Ducum, vel commilitonum dona, vel legata, lucra ex his provenientia, donata eunti ad militiam. Item acquisita in obsequio Principis in aula ipsius exhibito, & lucra omnia ex talibus profecta interventu contractûs.

Quasi castrensia sunt, quæ quidem intuitu militiæ non acquiruntur, in Jure tamen æquiparantur castrensibus: talia sunt, quæ filius acquirit ex officio publico v.g. Judicis, Tabellionis, Advocati, Syndici, Doctoris, Prætoris, ex professione artis liberalis, & intuitu ejus, ex dono patris, vel Clericatu, item dono Regis, vel Reginæ, ex Beneficio Ecclesiastico, propriâ parsimoniâ, & quæ dantur filio, ut ipse tantùm, & non pater usumfructum habeat. Denique omnia, quæ post Clericatum acquirit. *Auth. Presbyt. Cod. de Episcopis.*

Adventitia sunt, quæ aliunde filio proveniunt

niunt, sed nec à patre, nec intuitu patris donata, v. g. successione in bona ex linea materna, donatione, vel legato, inventione thesauri, propriâ industriâ, vel per artes mechanicas, labore, negotiatione per pecuniam alienam, aut à patre mutuo acceptam, modò non negotietur nomine patris; tum enim lucrum ad bona profectitia pertineret. Item quæ donantur à patre donatione remuneratoriâ, vel gratitudinis causâ, aut ut in partitionem non veniant.

Profectitia sunt, quæ filius accepit à patre vivente ex affectu tantùm paterno, vel intuitu patris principaliter data sunt filio, non tamen intuitu militiæ, aut quasi militiæ, item quæ ex bonis paternis acquiruntur, v. g. negotiando patris nomine.

Resp. 1. Bona castrensia, & quasi castrensia pleno jure spectant ad filium familias. Unde potest pro libitu suo de illis disponere sine consensu patris (modò pubes sit, id est annorum 14.) per donationes, aliosve contractus, & per testamentum, cæterasque ultimas voluntates; pater autem nihil potest de prædictis usurpare, nisi pro alimentis filii (filium enim habentem bona castrensia, vel quasi castrensia, aut adventitia non tenetur pater de suo alere) sique faciat pater tenetur ad restitutionem, quam, si omnino velit habere filius, & nequeat obtinere, poterit uti occultâ compensatione, vel ab hæredibus mortuo patre postulare, quia certum est jus ejus. Dixi: *Modò pubes sit:* nam aliàs administratio tantisper ad patrem, vel ad eum, sub cujus patria potestate est, spectabit.

42. *Pleno jure castrensia, & quasi castrensia sunt filii.*

Resp. 2. Bona adventitia quoad dominium directum, seu quoad proprietatem pertinent ad filios familias, quoad usumfructum, vel utilitatem, & administrationem regulariter ad patrem. Est communis, & de jure certa ex lege: *Cùm oporteat 6tâ.* Durat hic usufructus patris, quamdiu pater vivit, etsi per Clericatum, vel per professionem religiosam filii patria potestas solvatur, aut ante moriatur filius, quanquam hoc mortuo mater cum patre succedat in bona filii quoad proprietatem. Si tamen bonum filii adventitium esset majoratus, vel aliud bonum vinculatum, quod ad alium, moriente filio, transire deberet, tunc hic, & non pater usumfructum haberet. Dixi: *Regulariter*: Nam certis casibus filius retinet usumfructum: ac 1mò quidem, si pater illum remittat, quo casu tamen pater, nisi in perpetuum remiserit, cessionem illam revocare quidem potest, non tamen fratres; quia non est donatio inofficiosa, sed mera non usurpatio juris, sicque non minuitur fratrum hæreditas, sed tantùm non augetur. 2. Si quid donetur filio, patre contradicente, quia tunc æquum non est, ut pater ex eo commodum reportet. 3. Si quid donatione, aut testamento non necessario, sed liberali obveniat filio eâ lege, ut in eo usumfructum pater non habeat. 4. Si filio tantùm relinquatur ususfructus alicujus rei; quia non potest super usumfructum constitui alius ususfructus: non enim, ùt Jura ajunt, datur servitus servitutis. 5. Si pater cum filio succedat in non extranei aliquam hæreditatem. 6. Si filius familias exeat patriâ potestate per mortem patris, vel per eman-

43. *Adventitia sunt quidē filii, sed usumfructum habet pater regulariter.*

emancipationem legibus inductam, v. g. si fiat Episcopus.

Extra hos casus filius non potest disponere de bonis adventitiis, potest tamen de iis donare mortis causâ, patre consentiente, non tamen de iis testari, nisi ad pias causas ex Cap. *Licet pater* 4. *de sepulturis in 6*.

Resp. 3. Bona profectitia pleno jure dominii, tam quoad proprietatem, quàm quoad utilitatem, & administrationem pertinent ad patrem. Est communis & certa de jure ex lege, *cùm oportet. Cod. de bonis, quæ liberis*. Excipe, quæ pater dat filio in patrimonium ad suscipiendos sacros ordines, aut ad nuptias, vel filiæ in dotem; nam horum dominium, & usufructus ad filium, vel filiam spectat. Dicuntur tamen profectitia; quia postea quoad substantiam, licèt non quoad usumfructum afferri debent in partitionem hæreditatis. Hoc tamen commodi habet filius ex bonis suis profectitiis, quòd si bona patris ob hujus delictum publicarentur, vel Fisco addicerentur, profectitia manerent filio. Ex dictis resolves. 44. *Profectitia pleno jure sunt patris.*

1mò. In divisione hæreditatis inter liberos nec castrensia, nec quasi castrensia, nec adventitia veniunt in partitionem, secus est de profectitiis. 2. Si bonum adventitium sit res usu consumptibilis, utì pecunia, frumentum, & pater eâ utatur, tenetur filio ad æquivalens. 3. Si dubium sit, an bonum sit adventitium, vel profectitium, tum si filius de se industrius sit, censetur adventitium, si omnibus expensis dubium manet, deferendum est ejus possessori: unde si filius possideat, adventitium; si verò pater possideat, profectitium censetur; si 45. *Corollaria.*

neuter possideat, dividendum est, quia res tradenda est secundùm jus, quod quisque habet; cùm itaque pater & filius habeant jus dubium, res pro qualitate dubii ab utroque participari debet. 4. Si filius aliquid patri surripiat ex bonis profectitiis, tenetur vel restituere, si possit, vel postea, si non possit, adducere in divisionem hæreditatis, nisi quid aliunde excuset, v. g. donatio patris, vel æquale ab aliis liberis subductum. Hactenus dicta de jure communi statuta sunt, cui si alicubi derogaverit jus particulare, hoc observandum est. An filius, si bona patris administret, plus laboret, possit petere salarium, dictum est in Neo-Confess. N. 145. Videri potest La Croix L. 3. P. 2. N. 1034.

QUÆSTIO III.

Quæ bona temporalia subsint Dominio conjugum tum privativè, tum simul & cumulativè?

46. Resp. Bona temporalia conjugum quadruplicia sunt. Nempe:

Bona dotalia. 1. Bona dotalia, seu dos, quæ est omne id, quod marito futuro ab uxore, vel alio ejus nomine datur, vel promittitur eum in finem, ut ex ejus fructibus onera matrimonii sustineat. Dotis dominium naturale (nisi sit æstimata in venditionem, vel sit res mobilis, & usu consumptibilis, ùt pecunia) est penes uxorem; civile verò, ususfructus, & administratio est penes maritum. Constat ex lege *in rebus. 30. Cod. de Jure dotium.* Ratio est; quia maritus onera matrimonii sustinere debet,

bet, uxor autem non eſſe expoſita periculo paupertatis. Proinde marito debent cedere fructus dotis, & uxori manere dominium naturale dotis: Unde & uxori, etiam durante matrimonio, competit vindicatio dotis, ad illamque pertinet ejus periculum, commodum, & incommodum, v. g. ſi res creſcat, vel decreſcat, augeatur, vel minuatur ejus pretium ſine culpa mariti, creſcit & decreſcit uxori, etſi maritus teneatur de damno, ſi ex ejus culpa proveniat. Dixi 1mò: *Niſi ſit æſtimata in venditionem*; quia tunc perinde eſt, acſi marito eſſet vendita, ejuſque traditæ maritus habet dominium, ideoque omne periculum, & commodum ad maritum pertinet, ità, ut, ſi conventum ſit, ut ſoluto matrimonio dos reſtituatur, teneatur maritus, vel ejus hæredes pretium taxatum, vel rem reſtituere in eo valore, quem tempore venditionis habebat. Dixi 2. *Niſi ſit res uſu conſumptibilis*; Nam ſi eſt ejuſmodi, etſi non ſit æſtimata, dominium naturale habet maritus, quia talis traditur marito, ut eam poſſit alienare, & conſumere: unde & eam habet ſuo periculo; ſoluto autem matrimonio maritus, vel ejus hæres tenetur uxori, vel ejus hæredibus tantundem reſtituere ejus ſpeciei, & bonitatis, ſive tempore reſtitutionis plus, ſive minùs valeat, quàm tempore traditionis. Quod ſi ex contractu teneatur ſolvere pretium, tenetur ad pretium quo valebat tempore non traditionis, ſed tempore diſſoluti matrimonii. Pro majore ſecuritate dotis uxor habet hypothecam privilegiatam præ omnibus creditoribus in omnia bona mariti.

2. Sunt bona paraphernalia, ſic dicta, quia juxta, *Paraphernalia.*

juxta, seu præter dotem afferuntur ab uxore, sive eâ donatione, sive hæreditate acquisiverit, vel acquirat. Hæc pleno jure pertinent ad uxorem, nisi ità tradantur, ut instar dotis marito cedant. Habet tamen maritus eorum administrationem, sed ad nutum uxoris revocabilem. Si autem ità tradantur, ut ipsius fiant, sequuntur naturam dotis, hoc excepto, quòd fructus illorum non lucretur maritus; quamvis possit eos expendere in uxoris, & suam simul utilitatem: capitalia verò, quæ reluuntur, vel fundorum, qui retrahuntur, pretium, servari debent uxori, nec nisi secundùm ejus voluntatem expendi.

Contra-dotalia. 3. Sunt bona antiphernalia, seu contradotalia, quæ maritus, vel alius nomine ejus uxori assignat ad assecurandam ejus dotem. Horum dominium proprietatis saltem naturale, fructus, & administratio est penes maritum; quia contrados à marito unicè præstatur uxori ad assecurandam dotem, ab illa marito allatam: huic autem fini plenè satisfit absque eo, quòd in uxorem transferatur naturale dominium ejus, vel ususfructus, & administratio; cùm à lege fiat uxori potestas (quæ dominium civile dicitur) contradotem vindicandi etiam durante matrimonio contra creditores mariti: unde sicut marito à legibus est potestas, quæ dominium civile dicitur, prohibendi omnem dotis alienationem, retractionem, depravationem, quam attentare vellet uxor in præjudicium viri, ità quoque uxori est facultas tuendi contradotem, habetque in bonis mariti tacitam hypothecam. Quòd si contrados consistat in rebus immobilibus, maritus non potest eam alienare etiam consentiente uxore, nisi trans-

acto biennio iterum consentiat, sintque aliæ res mariti, ex quibus uxori succurri possit, si læderetur in dotalibus. Ex quo patet contradotem uxori perutilem esse: cui & hoc accedit, quòd quando pactum est, ut præmortuâ uxore maritus lucretur dotem, utì sæpe fit, tum etiam, uxor viro præmortuo, lucretur contradotem. Quanquam artifices plerumque pro contradote vix assignent aliud, quàm suam artem, & frequenter Advocati, & Medici vix aliud, præter suam scientiam.

4. Sunt bona communia, quæ conjuges stante matrimonio per mercaturam, aliumve laborem communem, & industriam acquirunt. Hæc tam quoad proprietatem, quàm quoad utilitatem pertinent ad utrumque conjugem; administratio ad solum maritum: æquum enim est, ut, quod communi labore, & industriâ acquiritur, commune fiat; cumque maritus præsumatur communiter capacior administrationis, ad illum hæc pertinere debet, utpote familiæ caput. Talia sunt bona provenientia ex capitali utriusque conjugis, fructus provenientes ex officio unius, vel utriusque conjugis, bona ex iis de novo empta, acquisita labore unius, vel utriusque conjugis, modo uterque suo debitè fungatur officio. Aliud est de iis, quæ vir, vel mulier ante initam societatem sibi habuit, & retinuit, vel stante matrimonio aliunde obvenerunt, v. g. testamento, legato, donatione, &c. Quòd si aliquid de capitali conjugis consumptum, vel quid in bonum domûs venditum esset; deberet compensari ex lucris. Lucrum enim dicitur, quod salvis capitalibus, & soluto ære alieno superest. Si tamen vir prædives, aut mer-

Bona communia.

mercator induſtrius nollet ducere filiam imparem, niſi lucris ſaltem ex parte renuntiet, nihil, præter ſuam dotem, vel capitale ſuum, poſſet exigere, niſi de quo conventum eſt. Secus tam vir, quàm uxor ſoluto matrimonio, etſi ad ſecundas nuptias tranſeat, poteſt diſponere de medietate lucrorum, quæ in priori matrimonio acquiſita ſunt. Hæc intelligenda ſunt tanquam dicta ſecundùm jus commune: nam ubi jura particularia aliud ſtatuunt, aliter dicendum. Vide La Croix L. 3. P. 1. N. 1020. ubi cum aliis refert Gobatum exiſtimantem, viri eſſe, quæ lucratur ſtante matrimonio per laborem, & induſtriam ſuam, ſicut & uxoris, quæ extraordinariâ induſtriâ lucratur. Sed contradicit communior. Plus concedi viro poſſet, ſi ipſe ſeveris occupetur ſtudiis, gravibus fatigetur laboribus, multis ſe debeat committere periculis, & uxor, domi ancillis proviſa, vix quidquam lucretur ſuâ induſtriâ. Sed ſpectanda eſt conſuetudo loci, & circumſtantiæ expendendæ cùm fructibus ex dote. Ex his reſolves

47. *Obligationes & jura conjugũ circ bona.*

1mò. Sicut maritus peccat graviter contra juſtitiam, ſi ſuâ negligentiâ, vel culpâ gravi grave nocumentum bonis uxoris afferat: ità graviter peccat uxor, ſi viro rationabiliter invito quantitatem notabilem uſurpet, vel conſumat de bonis, quorum dominium, vel uſumfructum, vel adminiſtrationem maritus habet; quia læditur jus ſtrictum in re gravi, adeoque oritur, per ſe loquendo, obligatio reſtituendi damni illati.

2. Quamvis maritus poſſit aliquid ad honeſtum luſum exponere, honeſtæ recreationi impendere; ſi tamen id faciat in magna ſum-

ma sæpius, aut ex consuetudine, vel cùm notabili neglectu rei domesticæ, peccat mortaliter, tenetur que damnum ex bonis propriis resarcire. Nec capax est absolutionis, nisi consuetudinem emendet, quod bene notent Confessarii, ut non indulgenter tractent habituales ejusmodi lusores, & potatores, quos plerosque omnes constat lusu, & potatione ad mendicitatem redigi. Idem dic de uxoribus, quæ consortia frequentant, ludunt, &c. & rem domesticam negligunt.

3. Potest uxor invito marito, si suæ obligationi desit, de bonis, aliquo ex prædictis modo ad ipsam pertinentibus, impendere in victum, vestitum convenientem, moderatas eleëmosynas, honestas recreationes, decentes donationes, quæ permissæ sunt aliis similis conditionis mulieribus, attentis tamen rei familiaris, & statûs sui circumstantiis; quia illa pertinent ad decentem uxoris sustentationem, ad quam se vir per matrimonium obligavit.

4. Potest in defectu viri ex iis exponere, quæ necessaria judicat ad grave malum familiæ impendens avertendum.

5. Potest filio, in studiis, vel bello ex voluntate patris versanti, necessaria mittere, si pater id negligat, item suis parentibus, liberis ex primo toro, imò & fratribus, in gravi necessitate constitutis, ex bonis communibus moderatè succurrere, saltem si propria, quibus possit, non habeat, aut parcior deinde sit salvâ decentiâ erga pauperes alios, vel subtrahat sibi permissa.

6. Si bona maritus dilapidet, potest clam sibi & familiæ necessaria subducere; imò etsi

non timeret familiæ, sibique necessaria defutura, potest clam reservare, quantùm maritus immoderatè potu dilapidat; quia medietas ad ipsam pertinet, quam vir ipsâ invitâ minuere non potest.

7. Non peccat uxor, si accipiat aliqua, quæ maritus facilè, & certò concederet, si rogaretur; quia adest licentia præsumpta, & plerumque justa causa non petendi, ne cogatur se ostendere velut ancillam. Potest quoque licitè retinere ea, quæ per parsimoniam supersunt ex iis, quæ maritus ei pro vestitu, vel familiæ sustentatione ad certum tempus assignavit; quia reputatur fructus industriæ: & quamvis ab injustitia non excusetur præcisè ex eo, quod largam dotem attulerit; censetur tamen ideo maritus minùs invitus, & liberalior erga uxorem.

8. Ad debita, stante matrimonio à viro contracta, solvenda non tenetur concurrere ex bonis suis dotalibus, etsi communia non sufficiant, juncta bonis viri propriis. De bonis autem aliis, si quæ habet, concurrere ex dimidio tenetur, si stante matrimonio in bonum familiæ, deque utriusque consensu contracta sunt. Secùs si ante matrimonium, vel non in bonum familiæ, aut citra uxoris consensum contracta sunt. Pleraque ex dictis maximè valent marito absente, vel amente, quo casu postremo administratio ad uxorem devolvitur, potestque administrare secundum prudens dictamen, quod ipsa sibi format, & non tenetur, ùt judicat facturum fuisse maritum; quia ipsi competit administratio.

QUÆSTIO IV.

Quæ bona temporalia cadant sub dominium Ecclesiasticorum sæcularium?

Resp. Bona, quorum dominium habere possunt Ecclesiasticæ personæ, quatruplicia sunt. Nempe patrimonialia, quasi patrimonialia, Ecclesiastica, & beneficialia, seu reditus ex beneficiis.

1mò. Patrimonialia sunt, quæ illis conve- 48.
niunt sine respectu ad beneficia, & munia Ecclesiastica; talia sunt, quæ hæreditate, successione, contractu, donatione, præscriptione, usu, labore, industriâ acquisiverunt, vel acquirunt. Hæc pleno jure pertinent ad illos, possunt de illis perinde disponere, acsi essent Laici. Neque enim ligantur voto paupertatis, neque ullâ lege prohibentur plenè de iis disponere.

Patrimonialia pleno jure sunt Ecclesiasticis.

2. Quasi patrimonialia sunt, quæ Clericus acquirit quidem intuitu, & occasione Ecclesiastici ministerii, non sunt tamen fructus beneficii, sed potiùs habent se velut præmium, & stipendium laboris, v. g. in concionando, celebrando, Sacramenta administrando, funeralia exequendo, assistendo matrimonio, & obeundo similia iis, quæ Capellani, Oeconomi, & Vicarii temporales exequuntur. Unde ad hanc classem pertinent, quæ jura stolæ vocantur. Huc quoque spectant juxta probabiliorem distributiones quotidianæ, seu præsentiæ, licet ex fructibus præbendæ deducantur. Item parsimonialia, quæ sibi Clerici ex bene-

Item quasi patrimonialia.

ficialibus ad congruam ſuſtentationem pertinentibus parciùs vivendo comparſerunt. Atque hæc quaſi patrimonialia pleno & abſoluto dominii jure ad Clericos pertinere, ità, ut de iis non ſecùs, ac de patrimonialibus poſſint diſponere, habet communis, veraque ſententia. Ratio eſt, cum quia miniſtri Eccleſiaſtici, cùm ratione officii ſpiritualis ſtipendium accipiant, non debent eſſe deterioris conditionis, quàm alii Officiales, v.g. Judex, Tabellio, Advocatus: dignus enim eſt operatius mercede ſuâ; tum quia fideles, miniſtris Eccleſiæ ſtipendium offerentes, intendunt abſolutè id donare, nec reperitur ulla lex, quæ tales donationes infirmet; tum quia diſtributiones quotidianæ videntur eum in finem ab Eccleſia deſtinari, ut ſint in præmium aſſiſtentibus in choro officio divino; ſicque magìs in Clericis excitetur ſtudium cultûs divinì, ùt rectè notavit Lugo hìc diſp. 4 n. 25.

Secùs ſtrictè Eccleſiaſtica.

3. Strictè Eccleſiaſtica bona ſunt tum mobilia, & immobilia, quæ ad fabricam, & ornatum Eccleſiarum, vel ad officia divina peragenda ſpectant, ùt ſunt templa, vaſa, ornamenta ſacra; tum quæ ad ſtabilem miniſtrorum ſuſtentationem ab Eccleſiis ſunt deputata, ùt fundi, & prædia. Et hæc bona non pertinent ad ullum Eccleſiaſticum particularem, ſed ad Eccleſiam particularem, quatenus eſt pars Eccleſiæ univerſalis: omnia enim bona Eccleſiarum particularium pertinent ad Eccleſiam univerſalem, cujus caput eſt Romanus Pontifex: Fideles enim dederunt eâ intentione bona Eccleſiis ſuis particularibus, ſeu communitati perſonarum etiam futurarum, conſtituentium Eccleſiam particularem, quæ etiam alie-

alienari non poſſunt ſine conſenſu Pontificis ſecundùm dicenda.

Beneficialia ſubſunt pleno jure eorum diſpoſitioni, excipe ſuperflua ſuſtentationi.

4. Bona beneficialia, quæ in latiore ſenſu etiam Eccleſiaſtica dicuntur, ſunt proventus, qui intuitu beneficii obveniunt, ùt decimæ, aliique reditus annui & fixi, jamque recepto nomine corpus appellantur. Originem beneficiorum vid. P. 2. N. 387. Horum bonorum pars, ad competentem ſuſtentationem neceſſaria, pleno, & abſoluto jure dominii pertinet ad Clericos, ùt habet communis, certaque ſententia: unde poſſunt de iis diſponere non minùs, ac de patrimonialibus. Ratio eſt, quia hæc pars eſt juſta eorum merces, qui Eccleſiæ deſerviunt: qui enim Eccleſiæ ſervit, jure poteſt de Eccleſiæ bonis vivere; competens autem ſeu honeſta ſuſtentatio illa eſt, quæ convenit Clerico ratione ſui ſtatûs, dignitatis; eſtque triplex: infima, media, & ſumma; neque excludit honeſtas recreationes, moderatas donationes, aliaſque ſimiles expenſas. Quanquam hæc magis arbitrio timoratæ conſcientiæ, quàm unà generali regulâ determinari poſſint.

49. *Tenentur ſuperflua expendere in pias cauſas:*

Pars quoque ſuperflua honeſtæ ſuſtentationi juxta nunc communiorem, & probabiliorem jure dominii pertinet ad Eccleſiaſticos; tenentur tamen, ſaltem ex præcepto Eccleſiæ, eam expendere in pias cauſas. Prima pars colligitur ex Trid. Seſſ. 24. Cap. 12. de Reform. ubi ſtatuit, ut beneficiatus intra tres menſes à die adeptæ poſſeſſionis emittat profeſſionem fidei, alioquin *fructus non faciat ſuos*: &, ſi quis ultra tres menſes abfuerit ab Eccleſia, primo anno privetur dimidiâ parte fructuum, *quos fecit ſuos*: quibus ſatis apertè innuit, quòd alioquin fructus faciat ſuos. Loquitur autem indi-

indistinctè, videturque potiùs velle Ecclesiasticos privari superfluis, quàm necessariis. Et ratio est, quia reditus omnes indistinctè assignati suntCle- cis velut stipendium, & merces : stipendium autem, & merces, etiam honestæ sustentationi redundans, transit in dominium operariorum sæcularium : an dicemus, quòd Ecclesia operarios spirituales minùs liberaliter habeat ? Quod autem teneantur partem superfluam, saltem ex præcepto Ecclesiæ, expendere in causas pias, constat tum ex Jure Canonico Can. 7. causâ. 1. q. 1. & Can. 13. q. 3. &c. tum ex Trid. Sess. 25. Cap. 1. in decreto Reform. interdicente, ne Clerici ex reditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresque suos augere studeant, sed si pauperes sint, uti pauperibus distribuant; tum denique ex communi consensu DD. estque omninò decens, ut quæ ad cultum Dei promovendum, & conservandum destinata sunt, eidem impendantur : unde peccat Clericus, si sustentationi honestæ superflua non expendat in usus pios, non quidem contra religionis legem naturalem ; cùm reditus Ecclesiastici in se non sint sacri, & quamprimum dantur Ministris, seu Sacris, seu Laicis, extrahantur de dominio, & ærario Ecclesiæ ; sed vel ex obedientia tantùm, vel ex justitia.

Probabiliter ex justitia. Dixi : *Saltem ex præcepto Ecclesiæ* : Nam Laym. l. 4. tr. 2. cap. 3. n. 3. Gormaz, & alii concedunt quidem beneficiatis dominium partis superfluæ, sed restrictum, & sub onere eam expendendi in usus pios, adeoque ex justitia, ità, ut, si secùs fecerint, teneantur ad restitutionem : sicut, si quis tibi pro viatico ad peregrinationem offerret 100. aureos, eâ tamen con-

conditione, ut, quod tibi superfuerit, pauperibus teneris erogare; habes dominium totius summæ, objectivè quidem, non tamen subjectivè perfectum: uti &, si quis alienam pecuniam misceret suæ, ità ut discerni non posset, acquireret quidem totius cumuli dominium, sed non subjectivè perfectum; cùm teneatur alienæ pecuniæ Domino satisfacere. Ratio hujus sententiæ est, quia juxta omnes est obligatio expendendi superflua in usus pios: sed non apparet, ex qua lege, nisi justitiæ: non enim ex lege tantùm Ecclesiastica; aliàs posset Ecclesia in ea lege dispensare, quod plerique negant; non ex lege charitatis tantùm, quia hæc non obligat ad eleëmosynam, nisi quando est proximi necessitas, quæ non semper adest; non ex virtute religionis, quia bona superflua non sunt ex se sacra, & quamprimùm dantur Ministris, seu Sacris, seu Laicis, extrahuntur de dominio, & ærario Ecclesiæ. Ergo obligatio oritur ex justitia, quia fundatores bona dederunt Ecclesiæ, ut impendantur ad cultum Dei, nempe ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, & usus pios, quæ superflua sunt sustentationi. Abundantiora autem dederunt, ut prospectum esset necessitati pro temporum diversitate; & quia videbatur pertinere ad Ecclesiæ honorem, & commendationem, ùt ejus Ministri, utpote patres pauperum, eleëmosynas in pauperes erogarent. Hæc sententia probabilis est. Econtra alii nunc communiùs tenent, non esse obligationem ex justitia. Ratio est, quia obligatio justitiæ est onus grave, utpote obligans ad restitutionem, ubi violata fuerit; talis autem obligatio imponenda non est, nisi sufficienter

probetur: in dubio enim nemo spoliandus est jure, quod possidet, uti habet regula juris, & in pari causa melior est conditio possidentis; atqui talis obligatio non probatur. Imprimis non ex modo donandi fidelium; quia non constat, quòd hi bona Ecclesiæ donaverint, illam ex justitia obligando ad superflua pauperibus distribuenda, vel in alios pios usus expendenda: etsi enim id desiderârint, reverentia tamen erga illam, cùm scirent esse sollicitam, & fidelem, potius suadet non imposuisse obligationem justitiæ, sed obtulisse bona ex fiducia bonæ administrationis, & pii usûs. Neque probatur ex dispositione Ecclesiæ, cùm id nullibi reperiatur expressum. Quæ tamen, si esset ista obligatio, debuisset aliquando declarare; cùm in minoribus non defuerit ejus sollicitudo, nempe statuendo, ut, qui horas uno, vel pluribus diebus omittit, fructus non faciat suos secundùm dicta. Deinde plures Pontifices dederunt de facto pluribus Clericis facultatem reditus superfluos expendendi in usus profanos honestos, uti constat ex Bulla: *Etsi universi.* Sixti IV. Anno 1474. Ex Bulla *Cupientes.* Julii III. 1550. Ex Bulla, *In eminenti,* Pauli V, 1606, Hoc autem non fecissent illi Pontifices in præjudicium pauperum, & causarum piarum, si ex justitia deberetur illis pars redundans honestæ sustentationi beneficiatorum.

50. *Probabiliùs ex præcepto Ecclesiastico solùm.*

Restat tamen dubium, unde oriatur obligatio reditus superfluos exponendi in causas pias. Aliqui censent oriri ex religione, quia valde indecens est bona, quæ sunt destinata ad cultum Dei, ideoque à sacris Canonibus dicuntur res Dei, patrimonium Christi, vota fide-

fidelium, pretia peccatorum, expendere in usus profanos, ideoque Ecclesiam, ejusque ministros teneri eos expendere ex reverentia erga Deum in usus pios. Alii tenent, oriri obligationem ex præcepto Ecclesiæ, fundato in naturali quadam condecentia, ità, ut tamen non sit obligatio gravis naturalis ex Religione, quod contendunt alii; quia per destinationem ad cultum Dei, etsi inducatur condecentia aliqua, ut in usus pios expendantur bona superflua, non tamen in se fiunt sacra, utì calices per Consecrationem; & quando dantur ministris, extrahuntur de dominio Ecclesiæ, & ærario Christi: aliàs ministri Laici, qui participant de reditibus Ecclesiæ, non possent de iis disponere ad usus profanos. Hæc sententia videtur probabilior, secundùm quam resolves sequentia.

1. Si Clericus ex superfluis Beneficii reditibus notabilem summam impenderit in usus profanos, non tantùm peccavit mortaliter; sed etiam, si ità aliis suis pepercerit, tenetur ex his tantundem expendere in usus pios, quantum suis pepercit, quia illa habet æquivalenter ex beneficio: si aliis suis non pepercit, ad restitutionem non tenetur; quia non peccavit contra Justitiam. Quantitas autem, ut notabilis sit, hìc major esse debet, quam in materia Justitiæ, v. g. furto, & determinanda est ex circumstantiis, præsertim proventuum, & personæ sustentandæ. Lugo hìc Disp. 4. S. 3. num. 42. dat hanc regulam: ut culpa gravis evitetur, debet esse verum, quòd, moraliter loquendo, totam summam expenderit in usus pios; moraliter verò censetur, totam expendisse in eos, si expenderit circiter totam: unde docet, non peccari mortaliter, si ex 100. tan- 51. *Quando hic graviter peccetur?*

tùm 5. vel ex mille 50. expenderentur in usus profanos.

An consanguinei teneantur restituere? 2. Si consanguinei, vel alii non pauperes, ex superfluis Beneficii reditibus à Clerico acceperint, fiunt eorum domini, nec tenentur ad restitutionem, aut expendere in usus pîos; quia obligatio Clerici eos expendendi non est Justitiæ, nec realis, sed personalis, quæ ad hæredes, aut donatarios non transit. An autem tales, acceptando ejusmodi à Clerico, peccent, variant sententiæ. Affirmat probabiliùs Sanch. L. 2. Cons. Cap. 2. Dub. 38. num. 14. quia, inquit, cooperantur peccato donantis. Negat probabiliter Lugo D. 4. n. 48. &c. eò quòd peccatum donantis compleatur per oblationem, & activam translationem dominii, non verò per acceptationem, quæ velut effectus sequatur oblationem. Sic dicitur conjux non cooperari peccato conjugis, si illi habenti votum castitatis, & petenti debitum, reddat. Ità Lugo, qui videri potest de *Sacramentis in genere* sect. 11. n. 180. disp. 8. *Excipe*, nisi, acceptans instigaverit Clericum ad donandum, qui tamen si aliunde habeat ad dona resarcienda; à peccato potest esse excusatio.

An Clerici beneficiarii testari possint, 3. Etsi Ecclesiasticus beneficiarius de Patrimonialibus, & quasi patrimonialibus ad causas etiam profanas; de proventibus verò ex beneficio, congruæ sustentationi superfluis ex consuetudine contra jus scriptum in variis locis receptâ ad causas pias disponere, & testari possit, saltem ex licentia ab Episcopo obtenta, non potest tamen disponere, & testari de iis ad causas profanas per se loquendo licite; sed si in magna quantitate id faceret, v. g. eos transcribendo amicis, vel consanguineis divitibus, vel sponte permittendo, ut hi ab intestato succederent; peccaret mortaliter, quia

ageret

ageret in re gravi contra præceptum Ecclesiæ, non secus,ac si in vivis impenderet eos usibus profanis. Dixi 1mo: *Per se loquendo.* Nam si ex facultate à Papa impetrata, procederet ex justa causa non peccaret. Dixi 2dò: *Licitè:* quia dispositio probabilius foret valida : nam, uti dictum, verum habet talium etiam proventuum dominium : unde hæredes etiam valide succederent ; nec juxta Less. & alios peccarent relicta jure hæreditario admittentes, nisi testatorem ad talem dispositionem induxissent, verùm esto, hoc concedatur velut probabile; an non mirum, si in quibusdam Ecclesiasticis tanta sit salutis suæ incuria, & futurorum malè persuasa securitas, ut, etiamsi mox rapiendi ad Christi tribunal sint, ea tamen negligant ; quibus salutem facile possent consequi, & insuper rem adeo periculosam audeant tentare, ut consanguineos suos ditent cum tanto salutis suæ periculo ; cùm & experientiâ constet, sic ditatos non raro esse valde ingratos, relicta malè consumere, &, Deo justè disponente, delabi in statum deteriorem quam fuerint, antequam Piis causis applicanda perceperint. Certè viri pii, & timorati ab ejusmodi dispositionibus semper abhorruerunt, & abhorrent modò, deque Superfluis ex beneficiis ad pias causas, quales sunt templa, sacella, beneficia Ecclesiastica, capellaniæ, hospitalia, sacrificia pro defunctis, pauperes, qui non habent ad naturam, vel statum convenientem necessaria, aliaque quæ cultum Dei, & misericordiæ opera spectant, sollicitè disposuerunt, & etiamnum disponunt.

Omnia ad sustentationem potest desumere ex beneficialibus.

4. Quamvis possit Beneficiatus omnia, quæ spectant ad honestam suam sustentationem, secundùm conditionem sui statûs desumere ex reditibus sui Beneficii, adeoque & debita solvere, con-

contracta ob suam sustentationem, vel piam causam; non tamen, quæ contraxit ante Beneficium obtentum, si ea ex aliis solvere possit. Imò juxta Sanch. si patrimonialia, vel quasi patrimonialia habet, non potest se ex beneficialibus alere secundùm conditionem statûs, quæ provenit ex qualitate personæ; sed tantùm, quæ provenit ex qualitate beneficii: qua fit, ut plus possit expendere Episcopus, quàm Decanus, & hic plus, quàm simplex Canonicus &c. non tamen ideo plus, quia nobilis est; si aliunde habeat, quo & huic conditioni convenienter vivat.

5. Potest Beneficiatus, qui patrimonialia impendit sustentationi convenienti, vel causis piis, tantundem ex superfluis Beneficii fructibus* retinere; quia jus habet vivendi ex Beneficio, nec sua tenetur erogare: id quod verum est, etsi de extinguenda obligatione non cogitâsset, imò etsi intendisset non satisfacere.

6. Beneficiatus, qui parciùs vivit, quàm posset pro ratione sui statûs, vel contentus vivit sustentatione mediocri, cùm posset majori vivere, totum id, quod sic comparsit, potest retinere sibi ex fructibus Beneficii ad liberam suam dispositionem; quia jus habet sustentationem etiam summam suo statui convenientem, quæ erit 400, si media sit 350. infima 300.

Quid de Capellanis dicendum? 7. Capellani amovibiles, seu quorum Capellania non est perpetua, & collativa, quales sunt in multis castris nobilium, possunt pro libitu suo de omnibus reditibus liberè disponere; quorum verò Capellania est collativa, seu perpetua tenentur reditus superfluos expendere in usus pios, nisi illa habeat onera annexa, ità ut reditus censeantur dari in stipendium; quia Capellania perpetua ob stabilitatem inter Beneficia Ecclesiastica com-

computatur. Secùs est de Capellania non perpetua. Similiter Pensionarius licitè suam pensionem expendit in usus profanos, utpote jam extractam de bonis Ecclesiæ; secùs est de Commenda perpetua, quæ subit locum beneficii.

8. Qui pecuniam superfluam expendit in usus profanos, v.g. agros, aliave bona immobilia emendo, adhuc manet obligatus; quia res empta cedit in locum pretii. Non est tamen obligatio, superflua statim expendendi in usus pios, sed colligi possunt in summam pro erigenda pia fundatione, modò bonâ fide procedatur, nec sit periculum, ne postea ad usus profanos deveniant.

QUÆSTIO V.

An, & quatenus bona temporalia cadere possint sub dominium Religiosorum?

Resp. 1. Religiosi etiam professi in communi, seu communitates Religiosorum sunt capaces dominii bonorum temporalium, idque de facto habent, nisi repugnent specialia Ordinis statuta. Est communis contra Navarr. qui solam administrationem Religiosis, Christo verò proprietatem concedit. *Probatur* ex Trid Sess. 25. Cap. 3. *De Regularibus*, ubi concedit omnibus Monasteriis, & domibus Religiosis, tam mulierum, quàm virorum, nisi quæ huic privilegio renuntiant, ut bona etiam immobilia possidere possint, utique tanquam sua. Huic tamen privilegio renuntiant Fratres Minores de Observantia, & Capucini, uti & domus professa Societatis Jesu, quoad reditus stabiles, bonaque immobilia, præterquam, quæ ad habitationem,

52. *Religiosa communitas est capax dominii temporalium.*

villam-

villamque aliquam relaxationi animi destinatam necessaria sunt. Non verò renuntiârunt reliqui Religiosi, quanquam eorum dominium vinculatum sit; quia non extendit se ad alienandas res immobiles, & mobiles pretiosas, quæ servando servari possunt. Habet quoque Papa dominium altum in bona Religiosorum temporalia, vi cujus hæc in alios justis de causis ob bonum publicum Reipublicæ Christianæ transferre potest.

53. *Non verò Religiosus professus in particulari.* Resp. 2. Quilibet Religiosus, in Religione approbata professus, etsi non solus, est in particulari incapax omnis dominii, ususfructûs, similiumque jurium in bonis temporalibus pretio æstimabilibus, non quidem jure divino; vel ex natura voti solennis paupertatis, sed ex jure positivo Ecclesiastico. *Prima pars* constat tum ex Cap. *Cùm Monasterio 6. De Statu Monachorum*, tum ex Trid. Sess. 25. Cap. 2. ubi statuitur, ut nemo Regularium possit bona mobilia, vel immobilia tanquam propria possidere, sed statim ea Conventui incorporentur: unde Religiosus, seu subditus, seu Superior, nec cibi, quo vescitur, nec vestis, quâ tegitur, est dominus; & quidquid acquirit Professus, acquirit Monasterio, in quo non transeunter, sed habitualiter moratur. *Pars 2da* est hodie quoque communis: nam 1. Non potest afferri ullum jus divinum, ex quo illa incapacitas oriatur. 2. Non oritur illa ex natura voti Religiosæ paupertatis: nam hoc emittunt Scholastici Societatis JESU, & tamen retinent ad tempus dominium suorum bonorum temporalium, abdicantque tantùm usum, & dispositionem omnem de temporalibus, à Superioris voluntate independentem: unde votum pauper-

pertatis Religiosæ non est abdicatio omnis dominii possessionis, ac usûs proprii, ùt olim quidam existimârunt; sed libera promissio facta Deo de non utendo ullâ re temporali, pretio æstimabili, independenter à voluntate Superioris, & in hac impotentia utendi consistit abdicatio proprietatis, seu obligatio nullâ re utendi tanquam propriâ, non verò in incapacitate, seu carentiâ dominii: siquidem hoc absque capacitate eo utendi moraliter pro nullo reputatur. Quid enim juvat esse dominum bonorum, si iis uti, frui non possis? 3tiò. Non oritur incapacitas illa ex natura voti ùt solennis: nam coadjutores formati Societatis Jesu sunt incapaces dominii, & tamen non emittunt vota solennia. 4. Nec ex eo, quòd Professus renuntiet dominio, promittatque nihil temporale imposterum amplius admittere tanquam suum; quia aliàs posset se per contrariam voluntatem reddere capacem dominii: si nempe, mutatâ voluntate, acquirat aliquid, tanquam suum illud habere volens: sicut qui vovit non transferre dominium alicujus rei in alium, v. g. non inire Matrimonium; verè potest mutatâ voluntate transferre dominium, & acquirere v. g. in corpus conjugis. 5. Non ex eo, quòd omne jus suum in Ordinem transtulerit; quia Juris Ordo quidam incapax est: & esto transtulerit, tunc saltem ex consensu Ordinis posset ista incapacitas tolli, quod falsum est. Restat ergo dicendum, quòd incapacitas illa oriatur ex constitutione Ecclesiæ, sicut & solennitas voti, quæ votis Religiosis accidentalis est, utì constat ex dictis P. 2. n. 378.

Dixi in conclusione. 1. *Professus*; quia votum simplex paupertatis Religiosæ compatitur domi-

dominium. Dixi 2. *Etsi non solus*; quia coadjutores formati in Societate JESU sunt incapaces dominii. Dixi 3. *Est incapax Jurium in rebus temporalibus*? nam Religiosi, etiam professi, sunt capaces dominii, vel quasi dominii quorundam incorporalium, utì famæ, vocis activæ, & passivæ in electionibus, item Beneficiorum Regularium, utì Abbatiæ, Prioratûs, Præposituræ, Commendæ &c. Juris habendi alimenta, & manendi in tali Monasterio, vel Ordine; neque enim per votum paupertatis renuntiant bonis spiritualibus, & prædictis Juribus, sed tantùm temporalibus & corporalibus, quæ pretio æstimabilia sunt, & hominem locupletant, seu impedire apta sunt, quò minùs sit reipsa pauper.

Notandum. Etsi, quidquid Religiosus professus acquirit, acquirat suo Monasterio, vel domui, aut Provinciæ, ad quam non ùt hospes, sed ùt habitualis subditus pertinet, modò Ordo sit dominii capax; attamen Scholastici Societatis JESU non tantùm retinent bonorum suorum, quæ in sæculo habuerunt, dominium, donec cum facultate Superioris omnibus renuntient, sed etiam sibi acquirunt ea, ad quæ jus habebant, quæque sine nova acceptatione obveniunt, ùt fructus fundi, reditus annui, legatum rei determinatæ, & quæ cum permissu Superiorum ab eorum parentibus, cognatis, amicis donantur, non ad consumendum, sed ad eorum patrimonium stabiliter augendum; quia dominii sunt capaces, & institutum Societatis non repugnat. Secùs tamen est de iis, quæ non donantur in eum finem. Quomodo Ordo succedat in bona, & Jura Religiosi dicetur infrà, ubi de Successione, & Testamentis. n. 385. *Ex dictis resolves*

1. Si

1. Si Religiosus disponat de re aliqua temporali, v. g. donando, acceptando, commutando, utendo, abutendo, vel aliâ ratione disponendo sine omni Superioris licentia, peccat contra votum paupertatis pro quantitate materiæ; quia per hoc se obligavit ad non disponendum de ejusmodi re sine licentia Superioris sui. Quòd si dominus rei sit rationabiliter invitus, peccat quoque contra Justitiam eum damnificando, vel Jus lædendo. Dixi 1. *Sine omni licentia Superioris*; quæ triplex est, expressa, quæ verbis, aliove signo à Superiore manifestatur; alia tacita, quæ fundatur in consuetudine Superioribus nota, & tolerata, cùm impedire facilè possent; alia præsumpta, & interpretativa, quæ fundatur in judicio prudente ex rationabilibus causis affirmante, Superiorem non esse invitum, ut subditus hîc & nunc de aliqua re disponat sine expressa licentia. Prima & 2da licentia sufficit ad licitè operandum, 3tia verò tunc solùm, & quando Superior adiri non facilè potest, nec sine incommodo actio differri. Vide dicta P. 1. n. 195. Dixi 2. *Peccat pro quantitate materiæ*, nempe mortaliter, si materia gravis; venialiter verò, si levis sit. Gravitas autem materiæ æstimari debet non solùm ex gravitate damni temporalis, quod patitur domus Religiosa, sed etiam ex gravitate damni spiritualis, quod patitur Religio ex vitio proprietatis, seu violatione paupertatis: ex utroque enim hoc capite judicari debet, an Superior sit graviter invitus: unde licèt Religiosi communiter æquiparentur filiis parentum mediocriter divitum, & ad peccatum mortale contra votum paupertatis sufficiat materia,

54. *Corollaria. Peccata contra paupertatem Religiosam.*

quæ secundùm se sufficit ad grave furtum filii de bonis parentum; non sunt tamen quoad materiam paupertatis omninò filiis æquiparandi; quia Superior est magìs invitus ratione damni spiritualis, neque necesse est, ut furtum de se sit grave. nam si Religiosus admitteret 10. aureos sibi oblatos eâ conditione; ut Monasterio non acquirantur, graviter peccaret contra votum paupertatis; etsi nec ipse, nec Monasterium pecuniæ dominium acquireret; quia illis utendo, etsi cum voluntate domini, proprietatis vitium contraheret, quanquam contra Justitiam non peccaret. Similiter peccaret contra votum paupertatis Religiosus, si sine omni licentia Superioris apud externos comederet, vel biberet, quia, licèt dominium cibi & potûs dicas manere penes externos, non abesset tamen vitium proprietatis propter usum independentem à voluntate Superioris. Etsi putet Suar. sæpe excusari à mortali, & regulariter non perveniri ad materiam gravem contra paupertatem, nisi frequenter in notabili quantitate fieret; eò quòd Religiosi æquiparentur filiis familias, & major quantitas requiratur materiæ pertinentis ad externos, quàm pertinentis ad Monasterium; quia Superior, quoad posteriorem, est magis invitus. Sed attendi debet damnum spirituale ex vitio proprietatis. Econtra non videtur peccare mortaliter Religiosus, si Religioso ejusdem Monasterii donet librum 5. aureorum sibi permissum, & emptum pecuniâ sibi oblatâ; quia, cùm liber maneat ejusdem Monasterii, Prælatus non videtur graviter invitus Sanch. Neque si ex rebus sibi ad usum concessis commodet etiam externo, modò certus sit rem esse restituendam, nec notabiliter deterio-
ran-

randam ; quia dominium non transfertur, nec concessio usûs temporalis, nisi foret valde longi temporis, videtur tanti esse, ut censeatur materia gravis. Idem est, si pecuniam permutaret cum alia simili, vel commodatò acciperet ad breve tempus rem etiam magni valoris; secùs si re notabili uteretur ad notabile tempus v. g. per annum.

2. Peccat Religiosus contra votum paupertatis, si sine licentia Superioris fidejubeat, aut accipiat aliquid custodiendum in vim contractûs depositi ; quia tales in se obligationes susceptæ actus dominii post se trahunt : & quamvis fortè obligationes nullæ sint, intenduntur tamen actus dominii ; secùs esset, si quis rem alterius tantùm acciperet in fidam custodiam. Vide Castropal. D. 4. P. 13. §. 4. Disp. 3. P. 21. n. 6.

3. Religiosus professus, sine licentia aliquid alienans, disponit invalidè, teneturque repetere, &, qui accipit, reddere, si adhuc res in se, vel in æquivalenti existat : quia Religioso professo deest potestas disponendi : unde, si ex præsumpta licentia aliquid exposuit, tenetur indicare ; quia si Superior reipsa sit invitus, res manet sub dominio Monasterii : si tamen ex licentia præsumpta consumpsisset, necesse non esset indicare; quia res non est amplius, atque eâ non utitur. Dixi : *Professus* : nam Scholasticus Soc. secundùm Lug. contra Sanch. disponit validè, etsi illicitè ; quia non reperitur lex irritans.

4. Non potest Superior Religiosus sine peccato contra paupertatem disponere de bonis Religiosæ communitatis ea consumendo, expendendo, nisi ex rationabili, & conformi

regulis voluntate Ordinis, quam ille congregatus ediceret, si rogaretur: quia Superior non est dominus illorum bonorum, sed tantùm administrator, & ipse voto paupertatis obstrictus est, nec majorem habet facultatem, quàm ipse Ordo, vel Religiosa communitas concedat, cujus nomine bona administrat: proinde non potest ea expendere, aut veniam dare expendendi in usus vanos, superfluos, inutiles, indecentes sine peccato contra paupertatem: unde & subditus sic expendens, juxta Sanch. & alios, peccat contra paupertatem; licèt Ordo det licentiam, ut disponat validè: ùt fit in emptione inutilium, vel superfluorum ob bonum commune, & confusionem vitandam. Qui plura de his desiderat, videre potest La Croix L.4. à n.96.& 97. & alios.

QUÆSTIO VI.

Quæ cadant sub Dominium Servorum, seu Mancipiorum?

55. *Non carent omni dominio.* Resp. Etsi non habeant dominium lucri, & fructûs sui laboris dominis impensi, habent tamen dominium suæ famæ, bonorumque spiritualium, & quorundam temporalium; ac 1. Eorum, quæ habuerunt ante servitutem. 2dò. Quæ dantur illis, ut se redimant, vel eâ lege, ut non fiant domini. 3tiò. Quæ de bonis suis aliquâ negotiatione sine detrimento domini lucrantur: unde Jura, quæ dicunt, quæ acquirit servus, domino acquirit, intelligenda sunt regulariter de lucro sui laboris.

CAPUT

CAPUT IV.

De Modis acquirendi Dominium Proprietatis citra Præscriptionem, seu Usucapionem, & Contractum.

NAtura equidem bona quædam divisit, quæ homini insunt, eumque intrinsecè perficiunt, certis subjectis ea attribuendo: ùt sunt vires, valetudo, complexio, membra; adeoque eorum divisio formaliter, determinatè, & immediatè est jure naturæ inducta; bona tamen externa homine inferiora, ùt sunt fundi, metalla, feræ, animalia &c. etsi recta ratio dictaret utile esse, imò in statu naturæ lapsæ quodammodo necessarium, tum ad acuendam hominum industriam, tum ad vitandum lites, jurgia, & confusionem, tum ad materiam pluribus virtutibus subministrandam v. g. misericordiæ, liberalitati, justitiæ &c. formaliter determinatè, & immediatè non divisit, nec modò dividit, sed mediatè solùm, & radicaliter inclinando, & dictando, eorum divisionem perutilem esse, & suo modo necessariam: hinc inventi sunt diversi dominium acquirendi modi, qui generatim in triplici sunt differentiâ. 56. *Bonorum divisio.*

1mus est occupatio, quâ bona, quæ antè nullius erant, fiunt primo occupantis: sub hoc continentur etiam inventio, piscatio, venatio, aucupium &c. Hic introductus est jure gentium, seu mutuo populorum omnium, seu ferè omnium consensu; etsi legibus deinde firmatus, & circumscriptus sit.

2dus est, quo bona, quæ antè alicujus erant, fiunt alterius, ipso licèt invito: utì fit per præscriptionem, accessionem tam naturalem, quàm industrialem, sententiam Judicis, crimen læsæ Majestatis &c. Hic inductus est lege civili, saltem quoad formam.

3tius est, quo, quæ alterius antè erant, cum illius consensu transeunt ad alium, ùt fit in contractibus. Hic certis etiam legibus circumscribitur. De primo. & ex parte de secundo modo hoc capite tantùm agitur.

QUÆSTIO I.

Quænam generatim necessaria sint ad acquirendum Dominium proprietatis?

57. *Tria: intentio, titulus, & regulariter traditio.* Resp. Hæc tria. 1. Intentio rem ùt suam habendi, sive jam quis eam per se, sive per alium, qui ejus personam fictione Juris repræsentet, concipiat; quia aliàs lex non assistit, utpote non obtrudens favores. 2. Titulus; quia, hoc deficiente, non est ratio, cur lex uni potiùs alios gravando faveat, quàm alteri: est enim titulus dominii causa habilis à legibus approbata, ut illâ positâ dominium acquiratur. Proinde radix & fundamentum dominii est, consistitque ùt plurimùm in actione. vel quasi actione hominis, ùt sunt emptio, donatio, occupatio rei, quæ nullius antè erat.

Titulus triplex. Quòd si fundamentum acquirendi dominii revera subsistat, v. g. Sit emptio rei à legitimo ejus domino legibus conformis, dicitur titulus verus; si autem non subsistat, habeat tamen speciem veri tituli, dicitur titulus coloratus, ùt

ùt emptio rei à fure, qui putatur verus dominus. Si rationabiliter putetur subesse causa, vel fundamentum dominii, de quo non constat, dicitur titulus præsumptus. 3. Ad acquirendum dominium rei, sub alterius dominio existentis, regulariter requiritur ejusdem traditio, ubi dependenter ab ipsius voluntate acquirendum est, non quidem ex natura rei, sed lege ità disponente ad majorem Reipublicæ tranquillitatem. Est autem traditio, translatio rei, vel possessionis de persona in personam.

Dixi *Regulariter*; nam in quibusdam casibus traditio non requiritur, ac 1mò quidem dominium Beneficii Ecclesiastici acquiritur Clerico solâ collatione; & Beneficii acceptatione. *Can. Si tibi absenti. De Prabendis in 6.* 2. Dominium hæreditatis acquiritur solâ ejus aditione, id est, si hæres eam acceptet, & profiteatur, se velle esse hæredem. 3. Dominium legati in specie determinati, id est, legati singularis, v. g. hujus agri, hujus vestis, acquiritur legatario, hoc ipso, quòd hæres adeat hæreditatem; ità ut, etsi legatarius ignoret, aditam esse hæreditatem, sibique relictum esse legatum, fictione Juris tale legatum retrotrahatur ad punctum mortis testatoris, perinde ac si ab illo puncto legati dominus fuisset. Secùs est, si legatum quidem sit determinatum in quantitate, non tamen in individuo, v. g. si legata sit tanta pecuniæ summa, tot mensuræ tritici; hujus enim dominium non acquiritur aditione hæreditatis. Conceditur tamen legatario actio hypothecaria in bona defuncti, ut, ad quemcunque devenerint, is vel legatum solvat, vel bona defuncti tradat ad petendam ex iis solutionem. 4. Dominium rei donatæ,

Quibus casibus non requiratur traditio?

venditæ, legatæ Ecclesiis,civitatibus,monasteriis, aliisque piis locis acquiritur absque traditione, & juxta aliquos, solo titulo absque acceptatione. V. La Croix L. 3. P. 2. à n. 767. apud quem alii requirunt acceptationem. 5. Dominium rei donatæ sub modo, ut donatarius præbeat alimenta donatori, non impletâ conditione, redit ad donatorem absque traditione, potestque is eam vindicare. *L.* 1. *Cod. De Donationibus sub modo.* Extra hos casus titulus sine traditione tantùm tribuit Jus ad rem.

QUÆSTIO II.

An, & quomodo acquiratur Dominium animalium per occupationem, venationem, aucupium, piscationem, &c.?

58. *Tria animalium genera* NOta sequentia. 1. Animalia alia sunt mansueta, & domestica, ùt equi, oves, boves gallinæ, &c. alia fera, aut sylvestria, ùt cervi, lepores, cuniculi, capreæ, apri, &c. ad quæ revocantur aves, & pisces, quæ nempe naturâ suâ talia sunt, nec educatione sunt cicurata. Aliqua tamen sunt partim sylvestria, partim domestica, ùt columbæ, apes, cervi, capreoli, aliaque ex natura sua quidem fera, attamen cicurata.

Venatio, piscatio jure naturæ licent. 2. Certum est, quòd venatio, piscatio, aucupium jure naturæ nemini sint illicita, dum feræ retinent naturalem libertatem; quia tamdiu nullius sunt: quæ autem nullius sunt, licitè occupantur, nisi lex positiva obstet: cùm enim bona homine inferiora sint ad ejus felicitatem condita; hinc tacito hominum consensu, etiam legibus firmato, conventum est, ut,

quæ nulli sunt appropriata, licitè occupentur, & approprientur.

3. Certum quoque est, quód Princeps, vel Respublica certis de causis sibi reservare, vel prohibere subditis (utì Jure Canonico Clericis venatio clamosa secundùm dicta P. 2. n. 415. prohibita est) possit venationem, piscationem, aucupium: ac imò quidem propter publicam utilitatem certis anni temporibus, v. g. ne fiant ante messem, ob periculum damni in frugibus, vel tempore fœturæ; ne soboles ferina extinguatur cum publico detrimento; item, ne fiat certis instrumentis, aut pharmacis, quibus plurimi pisces v. g. simul enecentur, aut fluvii inficiantur. 2. Potest Princeps in loco aliquo communitatis jus venandi sibi reservare, idque vel ex consensu subditorum gratuito, aut per contractum onerosum debito, vel etiam sine eorum consensu; si id, vel ad Principis sustentationem, vel ad honestam Principis recreationem necessarium sit, quia hæc ei debentur: imò potest & id in loco certo publici juris, vel communitatis reservare personis aliis de Rep. benè meritis, v. g. nobilibus, & Toparchis.

An, & quomodo possit Princeps venationem prohibere?

Dixi; *In aliquo loco communitatis*; quia nimis inhumanum foret, sui commodi, & recreationis causâ universim populo in omni communitatis loco prohibere; nisi remissione, vel aliâ ratione id compenset: ad quod tenetur, si locum aliquem præ aliis pro sua recreatione, vel sustentatione prohibendo venationem gravet; quia subditi debent cum proportione æqualiter concurrere ad Principis sustentationem, & recreationem. Imò si ob has causas venationem in certo districtu, intra quem sunt prædia privatorum, qui ante illam reservationem

jure communi venandi gaudebant, reſervare ſine conſenſu libero omnium, & ſingulorum, talia prædia habentium; teneretur compenſare omnia damna, quæ feræ illis inferunt: nec ſufficit conſenſus metu mali alterius injuſti extortus, vel conſenſus primariorum; quia non licet etiam de conſenſu rectoris populi inferre damnum ulli privato invito in rebus ipſi propriis: nec ſufficit pro compenſando damno tributa remittere, niſi ex illa remiſſione ſinguli reportent tantùm lucri, quantùm acceperunt damni ex illa reſervatione. Secùs eſſet, ſi prædia ab initio cum illo onere vendita, data, vel in Emphyteuſi tradita eſſent, vel Domini prædiorum poſtea gratis, aut pretio, vel alio contractu oneroſo in id onus conſenſiſſent: tunc enim ad reſtitutionem non teneretur. Quòd autem prædia diſtrictui illi contermina, à multiplicatis feris fortè damnum paterentur, id per accidens eſſet, & cum commodo conjunctum; quia contermini poſſent in ſuis prædiis feras capere, & in ſuam utilitatem vertere, quin & in locis, ubi venatio juſtè prohibita eſt, ſubditi licitè feras occidunt, ſi aliter à frugibus arcere non poſſint. Nec poſſunt id prohibere Principes, ſique prohiberent, ne arceantur, aut multiplicando feras ruſticis cauſent damna, quæ hi avertere vetantur, aut non poſſunt, tenentur ea Principes compenſare; quia, cùm liceat ſe defendere contra homines injurioſos, multò magìs contra feras id licebit. Neque cenſentur ſubditi unquam conſenſiſſe in damna immodica: unde & ſi Principes, vel jus venandi habentes, conculcando ſegetes in venatione cauſent damna, tenen[tur] ea reſarcire. 3. Poteſt Princeps vena[t]ionem prohibere

bere publicæ utilitatis causâ, ut v. g. ex ejus elocatione confletur vis pecuniæ ad sustinenda Reip. onera, aut ne plebeji suis laboribus se abstrahant, & obsint familiæ, &c. His præmissis.

Resp. 1mo. Animalia mansueta, & dome- 59.
stica, quantumvis aberrent, semper remanent *Anima-*
prioris Domini, nec fiunt occupantis, etsi na- *lia man-*
turalem eorum possessionem capiat. §. *Gallina-* *sueta, &*
rum inst. de rerum divisione, ubi dicitur furari, *cicurata*
qui hæc animalia, cùm fugerint, detinet; pro- *aber-*
inde sine injustitia non licet ea detinere: imò si *rantia*
quis ea, vel partem eorum ex ore lupi, vel alte- *non licet*
rius bestiæ extraheret, certò alias perituram, *detinere*
teneretur Domino restituere, quamvis præmium negotii utiliter gesti petere posset. *L. Pompeius ff. de acquirendo rerum dominio. Instit. de rerum divisione §. Gallinarum.* Idem dicendum de iis, quæ naturâ suâ sunt sylvestria, sed usu vel educatione cicurata; hæc enim occupare non licet, quamdiu retinent redeundi consuetudinem, tunc enim naturalem libertatem necdum recuperâsse censentur; id quod prudentum judicio, spectatâ varietate animalium, & circumstantiarum, est determinandum; nam cervi, capreæ, aliæque feræ cicuratæ per plures sæpe dies vagantur in vicinis sylvis, agris, vineis, & tandem tamen revertuntur.

Resp. 2. Animalia fera, & sylvestria, si 60.
antea nullius fuerint, aut si ante capta, & in *Fera, &*
alterius potestate constituta, naturalem liberta- *sylve-*
tem recuperaverint, fiunt primò occupantis, *stria ad-*
licitèque, per se loquendo, capiuntur in fundo *huc fiunt*
tum proprio, tum alieno aperto. Ratio 1mæ *primò*
partis est; quia ejusmodi animalia sub nullius *occu-*
sunt dominio; quod autem nullius est, & ali- *pantis.*
cujus esse potest, jure naturali, & gentium fit

Imò

1mò occupantis. Ratio 2dæ partis eſt; quia feræ non ſunt fructus fundi, cumque naturalem libertatem habent, nullius ſunt. Secùs eſt, ſi fundus ſit clauſus ità, ut fera cenſeatur naturalem libertatem amiſiſſe, tunc enim fera eſt illius, cujus eſt fundus; quod fit, quando locus clauſus non ità eſt vaſtus, ut facilè capi feræ, vel piſces poſſint: ſi enim æquè difficulter in eo capi poſſint, ac in loco non clauſo, non cenſentur naturalem libertatem amiſiſſe, adeoque nec pertinere ad Dominum fundi, quod accidit juxta Leſſ. quando v. g. ſylva eſt duarum, vel trium leucarum. Porro ſicut feræ cicuratæ naturalem libertatem cenſentur recuperâſſe, & eſſe nullius, ſi conſuetudinem redeundi amiſerint: ſic captæ, & non cicuratæ recuperâſſe cenſentur libertatem; cùm captoris cuſtodiam ità evaſerunt, ut oculos ejus effugerint, vel ſi ſint adhuc in conſpectu, tamen non ſit facilis eorum comprehenſio, v. g. ſi avis ex cavea in liberam auram evaſerit, ſi piſcis ex vivario tuo in fluvium tranſierit.

Quid de apibus? De apibus id ſpeciale eſt: ſi examen integrum ex tuo alveario avolet, tamdiu eſt tuum, quàm diu eſt in conſpectu tuo, & illud perſequeris cum ſpe recuperandi; ubi verò diſparuerit. & ſpes recuperandi ceſſat, deſinit eſſe tuum, & fit primò occupantis. Quamvis autem examen aliquod in tuo fundo, vel arbore tuâ conſederit, nondum eſt tuum; ſed ſi alius te præveniat, idque occupet, fit illius, etſi prior videris, alterique prohibueris, ne fundum tuum eâ de causâ ingrediatur. §. *Apum quoque Inſt. de rerum diviſione.* Idem dic, ſi caſu expoſitum tuum alveare occupâſſet, ſecùs ſi ideo à te expoſitum. Dixi: *Per ſe loquendo*, id

id est, seclusa justâ prohibitione: Nam si venatio, piscatio, &c. sit justè prohibita, peccatur secundùm dicenda. Ex dictis resolves

1mò. Si feram ità vulnerâsti, aut retibus implicâsti, ut à te moraliter certò capienda sit; si laqueum, vel rete posuisti, quo avis, vel piscis captus est, ità, ut non possit evadere; sic capta erunt tua, cùm naturalem libertatem amiserint, sintque moraliter potestati tuæ subjecta: unde alius ea occupans tenetur ad restitutionem. Si autem fera non sit ità vulnerata, aut conclusa retibus, quin moraliter possit effugere, non fit tua, sed capientis: quia necdum amisit naturalem libertatem. In dubio an ità vulnerata, vel capta fuerit. in praxi suadenda est divisio. Quòd si fera, quam tu actu persequeris, incidat in laqueum alterius, vel rete, juxta Lugonem est ejus, qui laqueum, vel rete posuit. Juxta Less. uterque habet jus eam occupandi, fitque primo apprehendentis. Juxta Molinam inter utrumque dividenda est. Hoc videtur æquitati conformiùs, saltem quando uterque æqualiter, vel fere æqualiter confert ad ejus captionem. 61. *Corollaria.* 1. *De fera vulnerata.*

2. Cum columbaria habere consuetudo recepta, & Resp. permittat, tum quia confert ad communem utilitatem, cùm aliàs columbæ magìs multiplicatæ plus nocerent, magisque fugerent manus coquorum; tum quia non inferunt damnum notabile, utpote colligentes in agris tantùm grana aperta, non verò cooperta, & mala absumant, quæ relicta magìs nocerent, quàm ipsæ columbæ: hinc non licet, per se loquendo, occidere pascentes in agro tuo, quamvis eas possis abigere. Si tamen dominus eas in fame detineret, ut egres- 2. *De columbariis.*

ſæ irruant in alienas ſegetes; poſſent capi, & juxta Lug. occidi, quia fraus fieret: ſed ſpectanda eſt conſuetudo. Similiter non licet alienas columbas per illecebras inuſitatas, vel fraude aut arte ad tuum columbarium allicere; quia non minùs pertinent ad Dominum, quàm gallinæ: licet tamen facere aliqua utilia circa ſuas columbas, etſi per accidens alienæ columbæ alliciantur; quæ ſi prius columbarium reviſendi conſuetudinem amiſerint, ceſſant eſſe prioris Domini, & fiunt ejus, ad cujus columbarium veniendi, ſine fraude conſuetudinem habent.

De feris in ſaltu vaſto. 3. Feras, quæ in circumſeptis ſaltibus admodum vaſtis ità continentur, ut nunquam captæ cenſeantur, ſeu ùt Dominus non poſſit eas, quando vult capere, ſed ibi naſcantur, vel etiam aliunde importentur, capere furtum non eſt; quia feræ naturalem libertatem non amiſerunt; cùm captura multùm difficilis, & anceps ſit. Atque juxta Rebell. & Dicaſt. ſufficit, ſi locus tantus ſit, quantus ſolet eſſe curſus feræ, ut evadat per fugam. Si tamen Dominus ſolus habuit jus ibi venandi, fieret ei injuria, reparanda non ſecundùm æſtimationem feræ, ſed ſpei talem feram capiendi. Idem dic de lacu vaſtæ magnitudinis, ex quo piſces extrahi vix poſſunt. Secùs eſt, ſi feræ ſint ità ſeptis concluſæ, aut piſces in vivario. ùt facilè capi poſſint: & hinc ſi fera etiam ſuâ ſponte incurreret in tuum ſeptum, ex quo exire nequiret, & facilè poſſet capi, fieret tua. Idem eſt, ſi piſces ex fluvio defluerent in tuam piſcinam; quia talia receptacula ſunt ex natura ſua ordinata ad talem capturam, ſemperque adeſt animus ibi capiendi, ſi adveniant.

QUÆSTIO III.

An, & quomodo peccet, qui venatur, vel piſcatur in loco aperto, ubi, & quando adeſt juſta prohibitio?

Reſp. 1mò. Si venatio, vel piſcatio ſit prohibita alicui tantùm ratione ſtatûs, uti venatio clamoſa prohibita eſt Clerico, & Religioſo; eam exercens peccat plerumque venialiter tantùm, niſi frequens eſſet, vel ſcandalum, contemptus, vel periculum mutilationis accederet; non quidem contra juſtitiam, ſed contra religionem, vel obedientiam: unde ad reſtitutionem non tenetur. 62. *1. Venatio prohibita ratione ſtatûs.*

2. Qui exercet venationem prohibitam ratione modi, aut circumſtantiæ, v. g. ne fiat certis inſtrumentis, vel artibus, aut certo anni tempore, peccat ordinariè tantùm venialiter; quia ordinariè non damnificat graviter communitatem, non tenetur reſtituere, quod cepit, quia hoc, cùm nullius ſit, fit 1mò occupantis, & licèt leges prohibeant actum venandi, non tamen invalidant acquiſitionem dominii in feram captam. Dixi: *Ordinariè*; quia, ſi modo uteretur notabiliter pernitioſo communitati, v. g. quo proles ferina notabiliter extingueretur; peccare poſſet mortaliter, teneretur que ad compenſationem juris ad rem injuſtè impediti, ſecundùm æſtimationem ſpei, judicio prudentum taxandam, & ad pœnam legis, ſi per ſententiam Judicis ad eam condemnaretur. *2. Ratione modi.*

3. Qui

3. Ratione rei. 3. Qui venatur in loco publico, vel tam modicè clauso, ut feræ ibi libertatem naturalem, potentiamque fugiendi non amiserint, etsi is venationi Principis, alteriusve Magnatis, vel Officialis justè reservatus esset; acquirit dominium feræ, nec peccat, saltem secluso damno gravi, nisi venialiter; quia rationi consonum est, ut obligatio illa non ità strictè accipiatur. Ità Less. hìc N. 44.

An autem peccet peccato injustitiæ, teneaturque ad compensationem secundùm æstimationem spei jus habentis, controvertitur. Affirmant multi cum Molina & Less. qui tamen fatetur, feram fieri capientis, cùm nullius fuerit, & occupatio non sit injusta ex parte rei acquisitæ, sed extrinsecè tantùm, non quatenus est acquisitiva hujus juris; excusatque à restitutione, etsi damnum aliquo modo notabile sit; eò quòd Principes non soleant talem restitutionem curare, sed requirant tantùm, ut deprehensi pœnam luant, quæ non debet esse corporalis, sed pecuniaria tantùm, nisi fortè iterata sæpiùs nihil perficeret. Econtra alii non pauci cum Lugone Disp. 6. N. 69. Vasq. *De restitutione.* Cap. 5. §. 2. D. 7. N. 19. negant peccari contra justitiam, etsi admittant, peccari contra obedientiam. Ratio illorum est, quia licèt Princeps posset sibi, vel alteri reservando jus venandi obligare subditos ex justitia: id tamen non censetur facere; sicut quando sibi vel alteri licentiam reservat certas merces vendendi, conficiendi saponem, aliamve actionem lucrosam exercendi, non censetur sibi reservare, vel in alterum transferre jus proprietatis, obligans ex justitia alios, ne tales actiones exerceant, sed ex potestate legis-

lativa solùm prohibet illam, non auferendo potestatem acquirendi dominium lucri, ex prohibita actione provenientis, nec auferendo illis jus in actu primo, sed tantùm prohibendo actum secundum. Et in hoc sensu leges prohibentes venationem videntur accipiendæ, nisi aliud aliunde constet; cùm præsumendum sit pro benignitate Principis, nolentis aliter obligare, quàm bonum commune exigat, adeoque ex obedientia tantùm. Imò non desunt, qui probabiliter docent, leges illas esse merè pœnales, eò quòd non aliter intendat Princeps obligare, aut subditi aliter leges non acceptent, idque etiam, etsi alteri id reservet pro pretio. Accedit, quòd sæpè dubium sit, an toparchæ jus venandi habeant ex concessione Principis, vel consuetudine vim legis habente: unde cùm obligatio non sit imponenda, nisi satis probetur; mitior pars hìc amplectenda est, donec obligatio major constet. Quin & asserentes hìc obligationem justitiæ, dicunt ordinariè, & secluso notabili dâmno, non peccari nisi venialiter; damnum notabile autem dicunt, si quis venatione frequenti magnam solitudinem alieno solo inferret, non verò si magna in sylva unum tantùm, vel alterum cervum prosterneret. Imò Palao de justitia in genere N. 4. P. 17. ait: hoc damnum in æstimatione morali nullum esse, cùm animalia facilè aliò fugiant, sicque spes Domini sit nullius pretii.

4. Venator egrediens terminos suos ad loca vicina, in quibus alteri jus venandi competit, ordinariè non peccat; quia id Domini sciunt, & invicem faciunt, contenti mulctâ, vel pœnâ, si quis deprehendatur fuisse transgressus. *4. Ratione termini.*

§. Ratione contractûs. 5. Si subditi ex contractu alicui reservent jus venandi, nascitur obligatio justitiæ, idem est, si ex contractu oneroso Principi esset jus concessum. Denique, quia privatus non potest secluso alio damno prohibere, quominùs venatio fiat in ejus fundo aperto, hinc venâtio in illo licet. Si tamen posset prohibere ingressum in suum fundum, indirectè posset prohibere venationem in eo.

QUÆSTIO IV.

Cui per inventionem acquiratur Thesaurus?

63. *Quid sit thesaurus?* *Nota.* Thesaurus, prout hic sumitur, est vetus quædam depositio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam Dominum non habeat. Nomine pecuniæ etiam veniunt pretiosa mobilia alia; ùt vasa aurea, torques, gemmæ, aureæ catenæ, &c. Unde thesaurus à Layman hic L. 3. cap. 5. definitur: vetus depositio pecuniæ, vel similis rei, quæ ante alicujus erat, ut de ejus depositione, & dominio nulla cognitio, vel memoria extet. Quare, si ex moneta abscondita, vel ex involucris, vel aliunde colligatur, depositionem non esse veterem, sed recentem, non erit thesaurus; sed, si Dominus ejus inveniri non possit, annumerabitur rebus incertis. Si autem depositio sit vetus, sciri tamen possit, à cujus majoribus pecunia, vel alia res pretiosa fuerit deposita, putat Less. & Reiffenstuel adhùc thesauris esse annumerandam; eò quòd tanto tempore dominiûm jam desierit, sed negat Lugo hic Disp. 6. Cap. 11. N. 110. quia dominium non

perit.

perit, quamdiu manet Domino potestas bona per se, vel per alium recuperandi: quilibet enim censetur bona ante à se, vel suis antecessoribus, quibus ùt hæres succedit, possessa retinendi habere animum, quamdiu per ipsum, vel alium recuperari possunt: ùt patet in aliis deperditis, v. g. naufragio mari immersis &c. Nec obstat, quòd Dominus boni non recordetur; quia per alium edoceri potest de re antiquitus non minùs, quàm recenter depositâ: quanquam rarò contingit, ut res antiquitus deposita resciri possit; quia licèt in communi sciatur, quæ gens, vel quæ familia ibi habitârit, non potest tamen sciri, quæ persona pecuniam illam ibi absconderit, nec quos hæredes habuerit, unde nemo potest rem recognoscere tanquam suam. Si verò constaret de legitimis thesauri Dominis, jam thesaurus appellari non deberet; quia, ut res sit thesaurus, debet ejus Dominus esse ignotus omninò ex *Lege unica Cod. de thesauris.* Hoc notato

Resp. Thesaurus in quocunque loco inventus, jure naturali, & gentium est inventoris; quia cùm ante nullius sit, fit imò occupantis: jure autem positivo civili statuta sunt sequentia.

1mò. Thesaurus in proprio fundo, sive casu, sive industria inventus, totus est inventoris: si tamen arte magicâ esset inventus, pertineret ad Fiscum, non quidem ante, sed post sententiam Judicis; quia lex pœnalis est, non obligans ante sententiam §. *Thesauros* 39. *Inst. de rerum divisione.* Idem dicendum, si inveniatur in loco publico, speciali dominio ad nullum pertinente, v. g. littore maris, fluvio, plateâ publicâ, foro, aliove loco, cujus nec 64.

Inventus in fundo proprio, vel publico, est inventoris totus

Princeps, nec Resp. habet proprietatem, sed tantùm dominium jurisdictionis, quia sic thesaurus non invenitur in loco alieno, sed communi omnibus. Nec obstat, quòd §. *cit.* dicatur: Thesauri in loco publico inventi medietas spectare ad Fiscum, vel communitatem: nam per locum publicum ibi intelligitur non locus omnibus communis, sed quem communitas, aut Princeps speciali jure possidet, ùt sunt v. g. sylvæ, pascua, domus publica, &c. quia leges restringentes jus naturale loquuntur de Domino speciale dominium habente, non de alio, in quo proinde thesaurus modo licito etiam de industria inventus, pertinet totus ad inventorem. Aliqui probabiliter dimidium Fisco attribuunt.

Casu inventus in fundo alieno ex æquo dividendus est.

2. Thesaurus inventus casu in fundo alieno etiam Principis, ut v. g. si operarius conductus fodiat alienam terram, vel lapides eruat, & inveniat thesaurum, ex æquo dividendus est inter inventorem, & Dominum fundi, ex *lege unica Cod. de thesauris.* Quæ lex ubi viget juxta communem obligat in conscientia ante sententiam Judicis; quia lex non est pœnalis, sed ex æquitate naturali de proprietate disponit, ut medietas per occupationem inventoris pertineat ad Dominum fundi. Ità Haunold. Unde si inventor illo inscio sibi totum reservâsset, teneretur in conscientia ad restitutionem dimidii. Dixi: *Casu inventus*: Nam inventus in fundo alieno de industria sine consensu Domini, totus ad hunc spectat *ex lege unica Cod. de thesauris*: ubi id rectè statuitur, ut tollatur ansa effodiendi alienos agros. Hæc tamen lex, quia pœnalis videtur, non obligat ante sententiam Judicis ad tradendum totum, sed

tan-

tantùm ad dimidium est obligatio, quia inventus in fundo alieno. Colligitur id ex ipsa lege, quæ ait : *totum reddere compellatur* : proinde supponit sententiam Judicis. Quòd si verò Dominus fundi consensisset, ut quæratur in suo fundo ; standum erit pacto, si quod præcesserit : quod si nullum adfuerit, juxta Less. totus erit inventoris ; quia Dominus fundi tunc jure suo cessisse videtur, nisi tamen fraus intervenerit, v. g. si quæsitor scivisset ibi latere thesaurum, & simulâsset se nescire : tunc enim Dominus sic deceptus, non censetur juri suo renuntiâsse.

Inventus in fundo ad duos Dominos imperfectos pertinente, quomodo dividendus?

3. Si thesaurus inveniatur in loco ad duos Dominos imperfectos pertinente, quorum unus sit proprietarius, alter verò feudatarius, seu Emphyteuta ; Less. Mol. & alii probabiliter censent eam partem, quæ Domino loci debetur, æqualiter dividendam esse in proprietarium, & feudatarium, vel Emphyteutam. Proinde si unus horum thesaurum inveniret, haberet medietatem, ùt inventor, & alteram medietatem divideret ex æquo cum alio. Alii probabiliter cum Palao integram partem, Domino fundi debitam, adjudicant feudatario, vel Emphyteutæ ; quia hi substituuntur proprietario in omnibus, præterquam in casibus à jure exceptis, inter quos non est casus præsens : proinde solus feudatarius, vel Emphyteuta hìc pro Domino fundi reputandus est. Quod confirmatur ex eo, quia hi possunt proprietario invito de industria quærere thesaurum, illis autem invitis sine injuria non potest id proprietarius. Aliter tamen sentiendum de conductore, usuario, imò & usufructuario : hi enim habentur pro extraneis :

proinde iis nihil de thesauro ratione fundi debetur, cùm thesaurus non sit fructus fundi. Colligitur *ex lege 7. fructus. ff. soluto matrimonio.* ubi dicitur, quòd thesaurus inventus in fundo dotali non sit viri, sed uxoris. Quidam tamen censent, usufructuarium, & qui ad vitam conduxit, censeri Dominum. Vid. P. 2. n. 389.

Inventus in loco sacro, ex dimidio cedit Ecclesiæ.

4. Thesaurus fortuitò inventus in loco sacro, juxta Less. Laym. Spor. totus est inventoris; si de industria est inventus, medietas cedit Ecclesiæ, vel Prælato. At Less. loquitur de locis sacris omninò publicis, quæ in jure dicuntur esse nullius, qualia ait, non esse monasteria, & similia. Cumque in præsenti nullus sit locus sacer, cujus dominium Prælato, vel communitati non competat; hinc probabiliùs medietas etiam inventi fortuitò tradenda est Ecclesiæ, vel Prælato. Si datâ operâ inventus sit, loquendum sicut de invento in loco alieno.

Fundus in quo scitur latere thesaurus, licitè emitur communi pretio.

5. Si scias in alieno agro latere thesaurum, & agrum emas, thesauro necdum eruto; eum postea effodiens, facis totum tuum, quia apprehendis in fundo tuo. Quòd autem possis illum fundum emere communi pretio, habet communior cum S. Thoma; quia nec fructus, nec pars agri est thesaurus, nec ager ob eum latentem in communi æstimatione plùs valet, mensura autem justi pretii est communis æstimatio. Hæc servanda sunt de jure communi: ubi verò sunt leges speciales, vel consuetudines, secundùm eas judicandum est. Sic in Gallia thesaurus, in alieno fundo repertus, dividi debet in tres partes æquales, quarum una sit inventoris, altera Regis, 3tia dynastæ loci, vel

vel Regis, si alius non sit. Inventus autem in fundo proprio, ex media parte est inventoris, & ex altera Regis, vel dynastæ. Solent & in aliis locis hodie ferè Principes potissimam saltem partem thesauri sibi vendicare, & inventori tantùm relinquere quoddam honorarium, estque ferè communis sententia DD. posse à Principe, vel Rep. justè sic decerni, etsi quis in fundo proprio thesaurum inveniat, utpote qui nullius erat. Hæc tamen appropriatio à multis dicitur se habere per modum tributi; ideoque inventorem tutâ conscientiâ posse thesaurum inventum occultare, sibique retinere, donec exigatur ab eo, qui exigere potest, ùt reliqua ferè tributa solent. Atque, ubi hæc Principum legitima consuetudo obtinet, cessant leges civiles de thesauris, illi contrariæ.

65. *An thesaurus censeatur pecunia, recondita alibi, quàm in terra?*

Petes. An thesauris annumerari debeat, si quis pecuniam, vel aliam rem mobilem, pretio æstimabilem, intra superficiem terræ, in angulo domûs, v. g. retro cistam, vel intra alias res mobiles inveniat? Respondet Layman Tract. 1. Cap. 5. N. 23. Castrop. & alii negativè, etsi res diu deposita fuisse videatur; quia thesaurus propriè non est, nisi vetus depositio, seu potiùs defossio pecuniæ, vel similis rei, vel ùt loquuntur alii, profunda & antiqua defossio in terram. Unde ad inventorem spectabit; si Dominus, vel hæredes ignorentur, & inveniri non possint; si inveniantur, eis reddenda est. Attamen Lugo thesauris annumerat, quæ alibi etiam, quàm in terris sunt recondita, v. g. in muro, pariete, arbore: idem dicit Less. de reconditis in re

 mobi-

mobili, v. gr. vase tabaci, sacco lanâ pleno; quia *L. tutore. ff. de rei vindicatione.* habetur hic casus: à tutore pupilli domum mercatus, ad ejus refectionem fabrum induxit, pecuniam invenit: quæritur, ad quem pertineat, respondeturque; si non thesauri fuerint, sed pecunia fortè perdita, vel ab alio, ad quem fortè pertinebat, non ablata, nihilominus ejus esse, cujus fuerat, ubi videtur supponi, pecuniam in pariete reconditam posse esse thesaurum: Faber enim lignarius non solet effodere terram. Ex quibus patet, dubium sæpè esse posse, an res antiquitus deposita sit propriè thesaurus, valeantque de ea dispositiones juris. Quod, si sit, standum est jure naturali, & dicendum, non esse; quia pecunia deposita non censetur esse thesaurus, antequam constet de requisitis ad eum constituendum. Videri potest Burchaber Cent. 2. Casu 1. ubi ad thesaurum requirit, ut res sit defossa in profundiorem terræ partem, vel locum ab humanis oculis remotum, seu occultum, & communiter inaccessum, ùt ait Sporer.

QUÆSTIO V.

An, & cui per inventionem acquirantur fodinæ, & venæ metallicæ?

66. *Omnes pertinent ad Dominum fundi, jure communi.*

Resp. Fodinæ non tantùm carbonariæ, arenariæ, marmoreæ, aliæque similes minores, sed & metallicæ etiam pretiosæ, v. g. argenti, & auri jure naturæ, & positivo communi pertinent ad Dominum fundi. Ità Molina, Lug. Vasq. & alii contra Less. Valentiam id negantes, præsertim de venis auri, & argenti, quas vo-

volunt esse nullius, ideoque esse primo occupantis, non tantùm, quando in loco publico, quod verum est, sed etiam, quando inveniuntur in fundo alicujus: utì si ab operario aurum inveniatur in fundo alieno; jus tamen effodiendi competere domino fundi, per se loquendo. *Ratio nostra est*; quia tam venæ auri & argenti, quà ferri, plumbi, carbonum sunt pars fundi, adeoque ad ejus dominum pertinent: neque enim hic est solius superficiei proprietarius, ùt patet ex eo, quia in fundo dominus potest fodere puteos, excavare fossas &c. unde non se habent ad agrum, vel fundum, velut accessorium, sed sunt fructus fundi in illo, Sole agente, vel igne subterraneo nati.

Non jure particulari in quibusdam locis.

Jure tamen speciali variarum nationum venæ, auri præsertim, & argenti, in quocunque fundo reperiantur, fiunt Principis, ut onera Reipublicæ sustineat; & aliqua pars datur inventori, ut homines incitentur ad venas indagandas; domino autem fundi compensatur tantùm damnum, quod patitur fossione in fundo suo. Potuisse autem sic leges statuere ad bonum commune, habet communis sententia, putatque Vasquez, agros non aliâ ratione primùm esse distributos. Quod tamen alii negant, eò quòd aliàs non liceret inventori occultare, & aliquid inde sibi retinere etiam ex proprio fundo. *Nec obstat*, quòd venæ illæ jure naturæ sint ejus, cujus est fundus, sicque videatur induci inæqualitas onerum: nam cùm ante venæ inventionem fundus, in quo vena latet, non sit ideo magìs, quamdiu vena communiter est occulta, æstimabilis, quàm alius similis, reservatioque antecedat

inventionem cujuscunque venæ in particulari; lex nata est omnes æqualiter gravare; unde nulla hìc intervenit inæqualitas onerum, manente ignorantiâ, in cujus fundo vena lateat.

QUÆSTIO VI.

Cui, & quomodo acquirantur alia bona incerta, vacantia, & derelicta?

Nota. Bona incerta sunt triplicis generis:
67. *Quæ bona incerta, vacantia, derelicta?* nam 1. Alia sunt fortuitò inventa, quorum dominus post diligentem inquisitionem adhuc ignoratur. 2. Alia sunt incerta ex contractu, vel quasi contractu justo, ùt, si quis habet rem ex emptione, vel mutuo, & nesciat, à quo, etiam indeterminatè, quod addo; quia, si sciret, se habere ab uno ex duobus, nesciret tamen, à quo determinatè; debitum esset certum, deberetque in duos dividi, si & ipsi dubitarent. 3. Alia sunt incerta ex delicto, v. g. furto, injustâ venditione, usurâ, &c. ità, ut dominus ignoretur; ùt, si mercator promiscuè ad se venientes emptores in pondere, & mensura decipiat, & nesciat postea, quos determinatè deceperit. Dein bona vacantia sunt, quæ quis moriens intestatus relinquit, & secundùm leges hæredem non habet: ùt fieri potest in bonis nothorum & peregrinorum. Bona derelicta dicuntur, quæ dominus animo non amplius inter sua habendi abjecit, vel reliquit. Quando autem de animo domini non certò constat, conjecturis agendum est, v. g. si dominus facilè sua potest recuperare, & tacet, ac negligit, præsumitur ea dereliquisse. Item si res ob temporis diuturnitatem, distantiam loci,

loci, vel similes ob causas, ità est extra potestatem domini, ut eam tanquam suam recognoscere, aut recipere non possit ex defectu alicujus principii physici ad hoc requisiti: tunc enim censetur domino carere, utì de thesauris dictum est. *Ratio est*; quia tunc prius dominium nullius est momenti, & à nullo pretio emeretur; adeoque habetur pro nullo, etiam à domino. Cæterùm, si certò non constet, omnibus consideratis, rem eò devenisse, ut planè sit extra potestatem domini, utì contingit in quibusdam raris casibus, de quibus Lugo Disp. 6. n. 100. &c. non est censenda carere domino. *Hoc notato*

Resp. 1. Circa res inventas, à thesauris distinctas, tenenda sunt sequentia. 1. Quæ nullius antè fuerunt, ùt lapilli, gemmæ inventæ in littore maris, fiunt non primò videntis, sed primò occupantis. 2. Si res inventa fuerit aliquando alicujus, sed jam nullius; fit primò occupantis, adeoque de illa tanquam suâ disponere potest. 3. Si autem meritò censeatur dominus retinere animum rem inventam adhuc habendi ùt suam; non fit inventoris, sed manet domini, qui ordinariè habet animum res perditas habendi; ùt suas, ùt quisque ex seipso, si rem amiserit, scire potest, quæ optima hìc regula est. Unde 4tò ordinariè, seriò, & diligenter inquirendus est dominus, & quidem diligentia debet esse pro rei gravitate major, & diuturnior, si res sit magni momenti, v. g. curando publicari ex Cathedra, vel in tribu, aut affigendo publicè schedulam; id enim charitas saltem exigit, obligans ad avertendum damnum proximi, quando sine gravi incommodo averti potest. Non est

68. *Quæ nullius sunt, fiunt primò occupantis.*

Rei inventæ, quæ adhuc dominum habet, dominus inquirendus est.

est tamen obligatio rem nominandi in individuo, vel specie, ne illam repetat, cujus non est: nec cuilibet statim credendum dicenti, rem esse suam; sed id prudenter exquirendum, & dijudicandum est. Quòd si dein dominus compareat, & meritò judicetur esse ipsius, ei restituenda est, deductis tamen expensis, si quæ factæ sint in gratiam domini.

Quòd, si dominus non compareat, quid agendũ?

5. Si adhibitâ sufficienti diligentiâ, & elapso tempore tali, ut meritò judicetur dominus non comparíturus, dominus non compareat; an inventor teneatur rem illam dare pauperibus, vel illam, aut ejus valorem impendere in pias causas, aut possit sibi retinere, controversia est inter DD. Primum affirmant Less. Valentia, aliique multi, eò quòd debeat de ea disponere ex præsumpta domini voluntate; quæ præsumitur esse, ut de ea disponatur modo optimo in domini utilitatem, qui hìc alius non est, quàm ut expendatur in animæ ejus bonum, seu causas pias. Concedunt tamen hi DD. quòd inventor, si ipse sit pauper, possit eam, ùt talis, retinere, cum obligatione tamen rem, si adhuc in se, vel in æquivalenti existat, domino comparenti restituendi, in quantum factus est ditior. Lugo tamen Disp. 6. n. 139. docet, quòd, quando circumstantiæ sunt tales, ut videatur, humano modo fieri non posse, ut res redeat ad dominum, vel hæredes ejus recognoscant eam, ùt suam; possit inventor eam sibi retinere, eò quòd jam censeatur carere domino. Si verò possit humano modo reperiri dominus, vel is eam pro sua recognoscere; vult, retineri posse, si conservari possit, cum obligatione tamen restituendi domino, si compareat; si autem con-

conſervari non poſſit, debere alienari, & conſervari pretium; ſi nec hoc poſſit, expendi debere in uſus pios, idque ex lege naturæ, eò quòd res maneat domini ſui, quamdiu ſpes eſt eam recuperandi: lex autem naturæ dictat, rem eſſe expendendam ſecundùm voluntatem domini ſui. Demum Dicaſt. Haunold, Illſung, & alii multi docent, poſſe inventorem rem retinere cum obligatione reſtituendi, ſi dominus compareat, antequam dominium apud ipſum periiſſe meritò cenſeatur. *Ratio* hujus ſententiæ *eſt*; quia, quamdiu ſpes eſt domino rem recuperandi, uti ſæpe eſt, etſi ipſe, factâ debitâ inquiſitione, non ſtatim inveniatur, non eſt præſumendum, illum velle, ut res expendatur in uſus pios, ſed potiùs, ut inventor bonæ fidei eam retineat cum obligatione reſtituendi, ſi adhuc exiſtat, ipſo comparente, aut ſi non exiſtat, reddendi, in quantum inde factus eſt ditior; quia ſic inventor, ex ſpe eam retinendi, ſi dominus non inveniatur, diligentiùs inquiret, remque bene conſervabit in ſe, vel æquivalenti, ſeclusâ autem ſpe illâ, minùs inquiret, minùs ſollicitè conſervabit, declinans moleſtiam. Accedit, quòd erogatio in pauperes parum videatur domino rei profutura: voluntas enim præſumpta ejus non eſt meritoria, & ipſe mallet rem ſuam recuperare, & impendere in bonum ſuum, quàm ut per alium fiat. Aliud foret, ſi ipſe advertens, difficulter rem recuperandam eſſe, optaret, ut in pauperes, vel alios uſus erogaretur. Hæc ſententia probabilis eſt, & in praxi tuta; prima eſt magìs pia, & ſuadenda, niſi inventor ſit ipſe pauper; ſi enim expendatur in cauſas pias, orabitur pro domino. *Ex dictis*

Colli-

69. *Modus pro praxi de tali re inventa.* *Colliges.* Si rem alienam invenisti, in praxi sic procede: 1. Diligenter inquire in dominum rei, qui, si adhibitâ pro rei qualitate, & circumstantiis diligentiâ non inveniatur, eam retinere tibi potes; sed eâ lege, ut, si dominus compareat, & tibi res adhuc sit integra, eam sincerè restituas, dempto pretio laboris tui, si quem impendisti: eâ enim conditione rem assumpsisti, ut inquireres dominum, & conservâsti, ut redderes: dominus autem tacitè consensit in compensationem laboris tui: si autem res tibi integra non sit, citra tamen culpam tuam; restitue, quantum factus es ditior ex illa. Si autem jam erogâsti in pauperes, quod certò poteras, quia dominus præsumitur id permittere, etsi ad id non obliget; jam ad nihil teneris amplius: sed nec plerumque pauperes; quia plerumque jam absumpserunt in necessitatem suam. Quod si necdum fecerunt, putant aliqui, pauperes teneri ad restitutionem; eò quòd dominus consenserit in illam distributionem sub conditione, ut, si is re adhuc integrâ compareat, ei restituatur. Negant id probabiliter alii, eò quòd pauperes, vel loca pia jam acquisierint dominium: distributio enim facta est, quando dominus non poterat censeri rationabiliter invitus. Lug. Disp. 21. à n. 101. La Croix L. 3. P. 2. n. 95. Quòd si rem distribuisses, non factâ debitâ inquisitione, & adhuc existeret apud pauperes, vel locum pium; hi juxta omnes tenerentur restituere, & in horum defectu tenereris tu, quia, domino rationabiliter invito, facta est à te injuria, & dominium non translatum: unde, si pauperes rem absumpsissent bonâ fide, nec quisquam inde esset factus ditior, tu tene-

teris ex injuria: domino enim rationabiliter invito, de ejus re diſpoſuiſſes. Vide quoque La Croix n. 97.

Quæ dixi de bonis incertis inventis, pariter procedunt de incertis ex contractu licito, v. g. ſi habes apud te rem depoſitam, & neſcis ejus dominium, & hæredes, &c.

Reſp. 2. Bona incerta, ex delicto debita, 70.
non poteſt ſibi acquirere debitor, ſed domino, quem tenetur inquirere, non comparente, tenetur in uſus pios erogare. Eſt communis. Conſtat ex Cap. *Cùm tu.* *De uſuris*, & Cap. *Nemo. causâ* 14. Q. 5. ubi Pontifex pro ratione aſſignat, quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Dein videtur id dictare lex naturalis, quæ vetat, quen quam habere emolumentum ex delicto ſuo, ne hâc ſpe homines alliciantur ad multiplicandas injurias; unde meliori modo in bonum damni expendenda ſunt. Et, ut practicè loquar, ſi quem malè defraudâſti, ſed neſcis poſtea, quis ille fuerit, vel, ſi quid furatus es, neſciens, cujus fuerit, & poſt diligentem inquiſitionem eum nequis invenire; non potes retinere tibi, ſed in uſus pios erogare debes: niſi fortè ipſe ſis pauper, & hoc titulo velis applicare tibi præ aliis: hoc enim tandem poteris, & ità quidem, ut dein factus ditior, non tenearis tantundem aliis dare pauperibus; quia hoc jam ſemel pauperi applicâſti. Quod dixi de incertis ex delicto, idem dicendum de inventis, ſi tuâ culpâ, cùm poſſes, & deberes, non inquiſiviſti in dominum, & ideo jam eum ſcire non potes: tunc enim incipiûnt deberi ex delicto; quia ſuſcipiens rem alienam, ſubit obligationem inquirendi, eam-

Incerta ex delicto, ſi dominus reſciri non poſſit, in pios uſus ſunt expendēda

eamque habendi velut in deposito, idque ex tacito consensu communi per praxin hominum declarato: sicut qui habet rem, de qua dein incipit dubitare, num sit sua, ex eodem capite tenetur inquirere.

71. *Quid de bonis vacantibus, & derelictis?* Resp. 3. Bona vacantia per mortem domini, ex dispositione Juris communis devolvuntur ad fiscum, seu ærarium Principis; bona verò derelicta, ùt insinuavi, fiunt primò occupantis. Prima pars constat ex *Lege: Scire debet gravitas tua. Cod. de vacantibus*, & ibidem *Lege: Vacantia.* Excipe mobilia peregrini in hospitio, sine testamento, & hærede legitimo defuncti: hæc enim per Episcopum in pias causas erogenda sunt. Si verò peregrinus habeat hæredes, illis per Episcopum tradenda sunt. *Auth Omnes peregrini. Cod. de successoribus.* 2da pars constat ex §. *ultimo. Inst. de rerum divisione.* Et ratio est; quia, cùm dominus ea nolit amplius habere inter sua, jam sunt nullius, adeoque fiunt primò occupantis; nisi tamen hic falsò putâsset, rem esse derelictam, & necdum legitimè præscripserit: quò non sufficit error, nisi sit inculpabilis. Quæ autem censeantur derelicta, ex dictis colligendum est. His non annumerantur, quæ metu naufragii ejiciuntur ex navi, vel inadvertente domino ex rheda currente decidunt, vel naufragio deperdita sunt, vel liberantur ex incendio, vel hostium direptione, etsi aliàs peritura fuissent. Constat ex §. 48. *Inst. de rerum divisione*, & *L. Pompejus. 14. ff. de acquir. rer. dom.* Ratio est; quia omnia ea dominus cupit in bonis suis remanere, quoad fieri potest, donec spes omnis ea aliquando recuperandi, vel per se, vel per

alium

alium perierit. Tenetur tamen dominus pro labore, & periculo ea salvanti satisfacere.

Petes. Cùm incerta ex delicto jure naturæ debeant expendi in causas pias, quomodo potest Pontifex illam obligationem, ùt videmus fieri, remittere, vel mitigare? Resp. Summo Pontifici concessa est à Deo potestas administrandi res piis causis applicandas; creditor autem non vult bona incerta applicari piis causis, nisi cum subordinatione ad legitimum Superiorem: quare si Pontifex judicet magis expedire bono communi, ut parum exigatur, & multum remittatur, ùt fit per compositionem, ùt vocant, consentit creditor. 72. *Compositio cũ Pontifice.*

QUÆSTIO VII.

Quomodo acquiratur Dominium Lignatione, Pastione, & Jure belli?

Resp. 1. Qui in loco particularis alicujus domini ligna cædit, aut pecora pascit, ipso rationabiliter invito, injuriam facit, teneturque ad restitutionem. *Ratio est*; quia ligna sunt sylvæ, & pascua sunt pratorum fructus; res autem fructificat suo domino. Dixi: *Ipso rationabiliter invito*; quia aliud est, si adsit consensus ejus saltem tacitus: sic licèt quis jure communi post messem collectam possit sibi reservare herbas residuas, & sponte nascentes in suo fundo, ex consuetudine tamen multis in locis receptâ, non peccat, qui inducit pecora sua in agros alterius apertos, collectis jam frugibus: utì nec, qui in sylva hominis privati unum, alterumve baculum exscindit, vel ligna arida pauca colligit. 73. *Lignatio in loco alieno privati.*

74. *In loco communitatis propria.* Resp. 2 Circa eum, qui lignatur, vel pabulatur in loco suæ communitatis, observanda sunt sequentia. 1. Qui ligna cædit, vel pecora sua pascit in loco communitatis, cujus ipse pars est, id suo jure facit, nec ad quidquam tenetur, sed ligna facit sua, si non excedat modum, saltem usu à communitate præscriptum, quem ipsa præscribere omninò potest, v. g. ne nova germina præscindantur, ne in illa quantitate, ut sylva brevì reddatur inutilis. 2. Si contra factam prohibitionem ejusmodi cædat, non tenetur restituere ligna, nec reparare damnum, nisi notabile esset; quia communitas non censetur in tanto rigore id velle membro suo prohibere, quod absque eo partiale jus habet: unde sic cædendo ordinariè non peccat, nisi venialiter tantùm. Si tamen damnum inferret valde notabile, graviter peccaret, teneretur que restituere, vel compensare damnum: hoc enim velle communitas meritò censetur, urgeretque etiam compartem jus communitatis, quæ per hoc pateretur. Quandonam autem damnum sit grave, prudentis arbitrio definiendum est, habitâ ratione sylvæ, & lignorum cæsorum, v. g. an arbores sint grandes, an sanæ, vel cariosæ, vel annosæ &c. 3. Si sylva communitatis sit alicui tertio, aut etiam uni de communitate elocata, consideranda est ùt sylva privati, cædensque faceret injuriam; quia & ipse elocavit. 4. Non potest Princeps, invitâ communitate, lignationem in sylvis communibus universim prohibere; quia partes communitatis jus habent necessaria inde sumendi, quo jure, sine consensu suo, privari non possunt, nisi fortè aliunde satis sibi valeant providere, ratioque prohibendi valde foret æqua, v. g. quia veteri-

bus

bus lignis excisis, sylva de novo germinare incipit. 5. Si quæ pars communitatis in sylva communi cædat non ad usum proprium, sed ad vendendum, modò fiat absque notabili damno, probabiliter non tenetur ad restitutionem, juxta Sanch. In hoc tamen spectanda est consuetudo, & sensus communitatis, qui in diversis locis diversus esse solet.

Resp. 3. Qui ligna cædit, aut pascit in loco communitatis alienæ, ipsâ rationabiliter invitâ, peccat pro ratione damni illati, tenetúrque ad restitutionem; quia communitas habet se erga extraneos, sicut jus hominis privati: quanquam major requiritur quantitas ad mortale, dum jus communitatis læditur, quàm dum læditur jus privati. Dixi: *Ipsâ rationabiliter invitâ*: non enim peccat, quando non est rationabiliter invita, uti v. g. 1. Quando ligna colliguntur, hinc inde sparsim jacentia. 2. Quando viator eques equum pascit, aut ligna civis cædit necessitate compulsus: quod enim lege licitum non est, sæpe necessitas licitum facit. 3. Quando duæ communitates habent sylvas, vel pascua contigua, & lignando, vel pascendo mutuò sibi damna inferunt: tunc enim censentur damna invicem remittere, & nihil aliud velle, quàm ut deprehensus (quod & de privatis quandoque dominis præsumitur, ùt ex eorum statutis, usu, & famâ colligitur) mulctam pendat, & tunc, nisi damnum notabile sit, non peccatur. Imò multi docent, nunquam peccare saltem mortaliter illum, qui in locis sive communitatum, sive privatorum non circumseptis, neque humanâ industriâ cultis, & plantatis, sed naturaliter fructificantibus, ligna cædit, & pascit, modò stragem ma-

75. *In loco communitatis aliena.*

gnam non faciat; quia acquiescunt, quòd deprehensi mulctam luant, eoque fine silvis custodes solent adhibere, qui licèt jurârint, se denuntiaturos lignantes, non tenentur denuntiare sine peccato injustitiæ lignantes; quia juramentum intelligitur de denuntiandis, qui cum peccato & onere restitutionis lignantur. Sed circa hæc omnia, ùt rectè monet Lugo, attendenda locorum consuetudo, & communis existimatio.

76. *Res bello captæ.* Resp. 4. Res immobiles justo bello captæ, fiunt Principis, vel Reipublicæ; quæ, si à parte adversa iterum ipsi eripiantur, sunt antiquis dominis restituendæ. L. 20. §. 1. *ff. de Capt.* At si res sint mobiles, eæque vulgares, acquiruntur capientibus; imò juxta Dicast. & Haunold. etsi sint pretiosæ; quia *Cap.* 17. *Inst.* de rerum divisione absolutè dicitur: *Item ea, quæ ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt.* Quòd si capiantur, quæ hostes injustè rapuerant, legitimis dominis restituenda sunt jure naturæ; jure tamen Cæsareo ad vitandas lites fiunt capientium, si hostes ea jam deportaverant ad præsidia, vel loca tuta. Sed hoc tantùm valet pro subditis Cæsari, & circa bona fortunæ Laicorum; quia de illis solis Jus Cæsareum potest disponere. Si autem hostes ea necdum deportârint ad præsidia, vel loca tuta, aut si dominium habentes adhuc insequantur, de Jure etiam Cæsareo restitui debent prioribus dominis. Dixi: *Bello justo*: nam quæ occupantur bello injusto, furta sunt, & rapinæ.



QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

Quomodo Dominium acquiratur per accessionem tum naturalem, tum industrialem?

Nota. Accessio generatim accepta, est, cùm 77.
res unius ad rem alterius, ità ut hic prioris ac- *Accessio*
quirat dominium, accedit. Alia est naturalis, *in genere.*
ùt fœtura, seu nativitas, & alluvio; alia industrialis, ùt specificatio, specifica accessio, confusio, & immixtio, inædificatio, implantatio, inseminatio, impictio, inscriptio, &c. *Hoc notato*

Resp. Circa hos modos dominii acquirendi 78.
tenenda sunt sequentia: 1. Si per alluvionem, *Alluvio.*
id est, vi aquarum insensibiliter uni fundo detrahatur, & alteri adjiciatur pars, hæc domino fundi, cui fit adjectio, acquiritur. Dico: *Insensibiliter*: nam si vis fluminis partem aliquam notabilem, tuo fundo detractam simul, vicino adjiceret, non esset alluvio, sed incrementum patens, tibique maneret.

2. Quod ex animali fœminei generis na- 79.
scitur, pertinet ad dominum animalis: res *Fœtura.*
enim suo domino fructificat, & partus sequitur ventrem; unde, si quis habet usumfructum animalis, illi acquiritur partus. Partus tamen hominis v. g. ancillæ non annumeratur fructibus.

3. Si per specificationem res aliena ità mu- 80.
tetur in aliam speciem, ut ad pristinum sta- *Specifi-*
tum utiliter reduci nequeat; utì, si ex aliena *catio.*
lana fecisti pannum; pannus est tuus, sed teneris solvere pretium lanæ, damnaque, si quæ

sint . compensare , & ad hoc datur actio alteri. Probabiliùs tamen requiritur, ut processeris bonâ fide ; secùs nova species ad dominum pertinebit materiæ. Si autem res aliena ad pristinum statum reduci possit , ùt vas argenteum in massam argenteam , dominium vasis acquiritur illi, cujus est materia.

81. *Accessio specifica.* 4. Si per accessionem specificam , seu simplicem additionem , res aliena tuæ , speciem suam retinenti , humanâ industriâ tuâ accedat, v.g. ansa scypho , gemma annulo ; hoc additamentum cedit tibi : teneris tamen domino additamenti ad æquivalens : hoc tamen solùm verum probabiliter est , si additamentum separari non possit , salvâ rei substantiâ ; secùs enim manet domini.

82. *Confusio* 5. Si per confusionem , quâ duæ materiæ liquidæ , vel per mixtionem , quâ duæ res solidæ humanâ industriâ in unum coëunt , v.g. vinum tuum cum alio confundatur , vel frumenta tua misceantur cum alienis ; totum inde consurgens sive fiat casu , sive communi consensu , fit utriusque , si materiæ ab invicem separari nequeant , ùt fit in exemplis allatis : si verò separari possint , ùt oves permixtæ in grege , debent separari. *Excipe* , nisi fieret specificatio , v.g. si cum intentione acquirendi dominium , ex melle tuo , & vino alieno faceres mulsum : tunc enim mulsi esses dominus , cum obligatione tamen alteri compensandi damnum , sive bonâ , sive malâ fide processisses ; quia nemo locupletari ex re aliena debet cum damno domini.

Si tamen pecuniam alienam , inscio , vel invito domino , ità ut discerni non possit , misceas tuæ , volens totam habere ùt tuam ; acqui-

quiris ejus dominium, ſaltem ſi tua fuerit in majore quantitate. Habetur ex *L.* 78. *de ſolut.* Ratio ſic ſtatuendi videtur fuiſſe, ne, cùm uſus pecuniæ in humano commercio ſit frequentiſſimus, ob incertum pretii dominium multi contractus invalidi, aut invalidandi forent. Dixi: *Saltem ſi pecunia tua fuerit in majore quantitate;* quia pars major trahit ad ſe minorem. Si autem aliena fuiſſet major, aut æqualis, juxta Lugonem non fieret tota tua, neque alterius, cùm hic non habeat voluntatem acquirendi dominium totius. Idem dicit de mixtione frumenti. Si autem commixtio ſive pecuniæ, ſive alterius rei fiat communi conſenſu, vel caſu, dominium cumuli ad utrumque pertinet. Ad quid autem teneatur, qui ſuæ pecuniæ miſcuit alienam, diſtinguendum eſt: nam ſi id fecit bonâ fide, & pecuniam accepit in ſolutionem debiti, domino comparente, ad nihil tenetur, juxta Sporer &c. quia pecuniam fecit ſuam, nec inde factus eſt ditior, cùm acceperit ſolùm, quod ei debetur. Si acceperit illam gratìs, tenetur ad æquivalens: quia ex aliena factus eſt ditior. Si pars cumuli pereat, vel furto ſubducatur, debet reſtituere tantum, quanto nunc retinet plus, quàm retinuiſſet, ſi mixtio facta non eſſet. Si autem malâ fide proceſſit, tenetur dominum ſervare indemnem.

6. Qui in proprio ſolo ædificat ex materia aliena, fit dominus ædificii; quia, quod ſolo inædificatur, ſolo cedit. Hinc dominus materiæ, ſtante ædificio, non poteſt eam ſibi vindicare; ædificans tamen tenetur de damno. Econtra ſi quis ex propria materia ædificet in alieno fundo, ædificium cedit domino fundi, 83. *Inædificatio.*

 qui

qui tenetur alteri materiam, & operas solvere, si bona fide ædificavit, secùs, si malâ fide. Ecclesia tamen trahit ad se fundum. La Croix L. 6. P. 2. N. 299. Idem dicendum de eo, qui plantam suam in alieno fundo, vel plantam alienam in suo fundo posuit, ubi hæc radices egerit. Idem quoque valet de frumentis, & aliis satis, juxta vulgatum illud:

Quidquid plantatur, seritur, vel inædificatur
Omne solo cedit, radices si tamen egit.

84. *Impictio, & inscriptio.* 7. Pingens in aliena tabula, etsi teneatur de damno alteri, acquirit tamen dominium tabulæ, nisi pictura foret vilis, & tabula pretiosa. Per scripturam olim non acquirebatur dominium chartæ, sed illa cedebat chartæ, sic tamen, ut, si scriptor bonâ fide processisset, illi dominus chartæ teneretur operam compensare scripturæ utilis. Hodie charta cedit scripturæ, nisi tamen charta valde pretiosa foret, & scriptura vilis; quia olim utebantur membranâ, nunc chartâ viliore passim utimur.

Hæc omnia lege civili statuta sunt, & justè ob bonum commune; nec ideo quisquam lucratur ex alieno cum ejus damno. nam si malâ fide processit, tenetur ad restitutionem vi injustæ damnificationis; si bonâ, tenetur, in quantum factus est ditior.

85. *Ad quē pertineat insula recens nata?* *Petes.* Cujus sit insula recens nata? Resp. Recens nata in mari, fit imò occupantis; nata in fluvio, acquiritur illi, vel illis, quibus sunt fundi ex ripa propinquiores. Si sit nata in medio fluvii, fundos ex utraque ripa habentibus cedit, dividenda secundùm fundorum proportionem insulæ respondentium. Idem dicen-

dicendum de alveo antiquo, quem flumen naturaliter totum reliquit. Novus autem alveus ejusdem est Juris, cujus est flumen, nempe publici, vel privati, ùt flumen est. Ut autem aqua novum censeatur habere alveum, non sufficit mera inundatio, sed occupatio aliquanto diuturnior, & continua. Quòd, si dein flumen novum alveum deserat, hic non redit ad priorem Dominum, ut fieret, si tantùm fuisset inundatio, sed pertinebit ad eos, qui ad ripas ejus habent prædia. *Inst. de rerum divis.* §. 5. & *seq.*

CAPUT V.

De modo acquirendi dominium per præscriptionem, seu usucapionem.

QUÆSTIO I.

Quid sit Usucapio, seu Præscriptio?

Resp. Usucapio, seu præscriptio, utì hìc accipitur, est acquisitio dominii, seu juris, vel immunitatis per possessionem tempore, & modo per legem definitis continuatam. Dicitur 1mò. *Acquisitio Dominii, seu Juris,* sive id sit personale, quo persona, sive reale, quo res nobis astringitur. Dicitur 2. *Vel immunitatis*, puta ab obligatione aliqua, v. g. alteri permittendi transitum per tuum hortum &c. Præscriptio enim eò tendit, ut vel Jus ante non habitum acquiratur, & hæc dicitur præscriptio positiva, vel Jus alterius præhabitum 86. *Definitio.*

bitum extinguatur, & præscribens liberetur obligatione præhabitâ, & hæc dicitur præscriptio privativa. Per 1mam dicimur rem, servitutem, jurisdictionem præscribere; per 2dam dicimur juri, obligationi, servituti, vel contra ea præscribere. Dicitur 3. *Modo, & tempore, per legem definitis*; quia præscriptio, quoad modum, & determinationem certi temporis, à jure civili primùm, deinde à Jure Canonico oritur: quanquam quoad substantiam videatur esse Juris gentium; quia omnes ferè gentes pro bono communi videntur in hoc conspirâsse, ut per possessionem debitè continuatam dominia transferantur, ad bella, litesque vitandas.

Ordinaria, & extraordinaria. Porrò præscriptio alia est ordinaria, quæ absolvitur tempore ordinario, nempe triennio, & hæc dicitur brevis temporis; vel decennio, aut vicennio, & hæc dicitur longi temporis. Alia extraordinaria, quæ non absolvitur, nisi 30, 40, &c. annis, & dicitur longissimi temporis. Alia centenaria, quæ centum annorum possessionem requirit. Alia immemorialis, quando captæ possessionis initium excedit hominum memoriam, sive jam possessio 100, sive paucioribus annis duraverit.

QUÆSTIO II.

An per præscriptionem transferatur dominium etiam pro foro conscientiæ?

87. *Transfertur.* Resp. Per legitimam præscriptionem transfertur dominium, seu jus; & immunitas ab obli-

obligatione acquiritur etiam pro foro conſcientiæ. Eſt communis nunc omnium : Ratio eſt, quia ſine dubio leges potuerunt ob bonum commune ſtatuere, nempe ne dominia nimis diu manerent incerta, ne lites multiplicarentur ſine fine, ne homines negligentes eſſent in rebus ſuis conſervandis, & requirendis, ut dominia, continuata cum bona fide, titulo, per certum tempus poſſeſſione, transferantur pro utroque foro. Quòd autem ſic ſtatuerint, patet, ex pluribus legibus Juris Civilis, à Jure Canonico approbatis, & communi omnium conſenſu, ſic leges intelligentium; quæ niſi locum haberent pro foro etiam interno, finem ſuum non obtinerent. Confir. leges, ubi conſtat, præſcriptionem eſſe completam, aſſiſtunt præſcribenti, etſi adverſarius probare poſſit, rem antè fuiſſe ſuam; hoc autem faciendo injuſtæ eſſent, ſi dominia pro foro conſcientiæ non transferrentur.

Hinc, qui finitâ præſcriptione deprehendit, rem hactenus fuiſſe alterius, non tenetur illam reſtituere; ſed vi præſcriptionis tutâ poteſt eam conſcientiâ retinere, niſi in caſibus, quibus prior Dominus per Judicem reſtituitur in integrum; ſique per ignorantiam alteri reddidiſſet, eam retinere hic non poſſet.

Dices : Leges poſitivæ non poſſunt derogare juri naturæ; atqui juris naturalis eſt, ne quis invitus ſpolietur re ſuâ; ergo. Reſp. Non poſſunt derogare juri naturæ, relictâ ejus materiâ, faciendo, ut, quod illicitum erat, fiat licitum, C. immutando materiam, & ſic indirectè faciendo, ut ceſſet lex naturæ N. Et ità hìc fit. Sed neque rei Dominus eſt rationabiliter invitus, ut legitimâ præſcriptione com-

88. *Solvitur objectio.*

completâ, amittat rei suæ dominium ; cùm id ad humanæ communitatis felicitatem, in quam consentire debet, ordinatum sit, ipseque gaudeat facultate etiam aliena præscribendi.

QUÆSTIO III.

Quænam requirantur ad legitimam præscriptionem?

Resp. Hæc quinque : Possessio, bona fides, tempus lege definitum, & Titulus, ac res apta præscribi.

89. *Quinque requiruntur.* *1. Possessio.* 1mò. Itaque requiritur possessio, vel quasi possessio, nempe civilis, & legaliter continua, & completa juris, vel rei præscribendæ : nam possessio naturalis nec requiritur, nec se solâ sufficit, etsi utraque simul ad præscribendum sit efficacissima. Hinc occupans rem alienam, non potest inchoare præscriptionem, quamdiu Dominus adhuc eam possidet civiliter : & qui incapax est possessionis, ùt religiosus Respectu bonorum temporalium, Laicus respectu rerum sacrarum, v. g. Beneficii Ecclesiastici, etiam incapax est præscriptionis : & quamvis possit præscribere, qui per alium possidet, v. g. per Procuratorem, per Colonum ; non tamen, qui possidet alieno nomine. Sic Depositarius, Commodatarius, Tutor, aliique similes, non præscribunt res depositas, commodatas, &c. Nec Usufructuarius: Feudatarius, Emphyteuta, saltem quàm diu se gerunt pro talibus, præscribunt dominium directum ; quia proprietatem non possident animo eam habendi ùt suam. Dixi 1mò. *Vel quasi possessio* : Nam ut præscribas immunitatem ab aliquo onere, v. g. à servitute passiva permittendi alteri

alteri aquæ ductum per fundum tuum, non requiritur possessio propriè dicta, sed sufficit quasi possessio alicujus negativi, ut nempe alter legitimo tempore suo jure usus non sit. Dixi 2. *Possessio legaliter completa:* Nam leges non computant semper possessionem secundum partes physicas continuas, sed quando dormit, seu quiescit præscriptio, partem posteriorem cum priore nectunt. Dixi 3. *Rei, vel Juris:* Nam etiam Jura præscriptione acquiri, vel amitti possunt, nec unquam plus præscribitur, quàm possidebatur. Hinc, licèt Abbas legitimo tempore possederit certo in loco Jura Episcopalia, non ideo præscribit cætera, ùt patet ex *Cap. Cùm olim* 18. *de præscriptionibus.* Subinde tamen ex uno actu continuato præsumitur integra Jurisdictio: utì si dubium sit, cujus Episcopi sit aliqua Parochia; adjudicatur illi, qui aliquem actum Episcopalem consuevit in ea exercere. *Continua, & legaliter completa.*

Notandùm tamen hìc, præscriptione non acquiri Jus per actus meræ facultatis, seu prorsus liberos, sed debere esse actus, vel omissiones Juri, vel legi debitas, factasque cum animo jus possidendi: Juri enim, vel actioni ex altera parte obligatio respondet. Hinc dum aliquis liberè, vel non tanquam ex obligatione aliquid præstat; non consurgit præscriptio: ùt, si Titium singulis annis invites ad convivium; accedas ad tabernam, des 10. aureos Ecclesiæ, multis annis non extollas altiùs tuam domum ex mero beneplacito. Aliud esset, si alter exigeret, vel impedire vellet, tuque acquiesceres: sic enim exerceret actum possessorium, & jus contra te possidere inciperet, actusque tui essent tanquam debiti. Similiter, 90. *Actus meræ facultatis ad præscriptionem non juvant.*

quam-

quamdiu quis se gerit tanquam obligatum, vel communiter habetur tanquam obligatus, v. g. ad præstandas angarias, tributa, decimas, non consurgit præscriptio, etsi exactio facta non sit. Ratio est; quia non exactio est meræ voluntatis. Econtra si non præsentes ad beneficium vacans, potes præscriptione jus amittere; quia leges requirunt certum tempus ad præsentandum. Si quis verò se neget obligatum, aut se gerat velut non obligatum, jam incipit possidere immunitatem, nisi contradicatur.

91. 2. Requiritur bona fides, seu judicium practicum, non ortum ex ignorantia juris clari, quo quis prudenter existimat, se justè & licitè rem possidere ùt suam, vel non agere contra jus alterius ponendo, aut omittendo actionem; quia iniquum est, alienum, cognitum ùt tale, sibi arrogare: unde leges civiles, quæ approbant præscriptionem longissimi temporis malâ fide inchoatam, & longi temporis bonâ fide cœptam, etsi dein mala superveniret, à Jure Canonico sunt correctæ, requiriturque bona fides toto tempore ad præscriptionem necessario.

2. Bona Fides.

Dixi: *Non ortum &c.* Nam licèt quis sincerè, & prudenter judicet se non agere contra jus alterius, sicque habeat fidem Theologicè bonam, seu à peccato excusantem; si tamen hoc judicium repugnet legi, seu juri claro, fides præsumitur mala, & civiliter bona non est, nec ad præscribendum sufficiens saltem præscriptione ordinariâ: utì, si acceperis aliquid à pupillo sine authoritate Tutoris, ignorans invincibiliter eam requiri, non præscribis. Secùs est de ignorantia facti invincibili, utì si igno-

ignores illum esse pupillum : tunc enim præscriptio ex *L. 4. ff. de Juris & facti ignorantia* procedit : utì & , quando adest ignorantia juris clari, probabiliter non obest præscriptioni longissimi temporis, v. g. 30. 40. an. quia Jura loquuntur de præscriptione ordinaria, quæ 3, vel 10, vel 20. annos complectitur: cùm illa sola , teste Lessio, cognita sit ex *ff:* unde jura desumpta sunt. Ratio horum est, quia præscriptio omnem vim suam habet à legibus; hæ autem tolerant ignorantiam invincibilem facti, modò proprium non sit, & ignorantiam juris dubii, cùm hoc vim legis non habeat : non verò tolerant ignorantiam juris manifesti, ùt constat ex *lege* 4. *juris & facti ignorantia* , saltem regulariter : quod addo, quia toleratur in minorennibus , & militibus &c. Lugo hìc N. 33. defendit, præscriptioni non obstare ignorantiam Juris clari pro foro interno , sed tantùm pro externo , quod præsumit ignorantiam illam esse culpabilem, & hanc sententiam probabilem agnoscit Haunold , Less. Castrop. Ex dictis

Colliges 1mò. Qui bonâ fide incepit rem possidere , & dein dubitat, an sit sua, vel aliena , non amittit bonam fidem , si, factâ diligenti inquisitione, maneat dubium speculativum ; sed potest cum eâ præscribere , quia non obstante dubio speculativo, potest formare judicium practicè certum, quod justè , licitèque rem possideat ùt suam , nec teneatur ob dubium se eâ spoliare juxta *regulam Juris* 65. *in* 6. *In pari causa melior est conditio possidentis.* Et illud Sancti Augustini : *Tam diu quis bonæ fidei possessor rectissimè dicitur , quam diu se possidere ignorat alienum.* 92. *Corollaria.*

Econ-

Econtra, qui cum dubio, seu practico, seu speculativo de proprietate, vel jure incipit possidere, non est bonæ fidei; quia non habet titulum sibi rem usurpandi, & sibi eam appropriando, exponit se periculo alteri faciendi injuriam. Imò, si esset tibi ratio probabilis, quòd res ab altero possessa ad te pertineat, necdum posses eam tibi accipere; quia in dubio melior est conditio possidentis. Si autem à nullo possideretur, pro ratione dubii foret dividenda, partemque obvenientem tibi, posses bonâ fide possidere, & præscribere.

2. Si rem accepisti donatione, vel emptione, & statim incipis dubitare, an sit aliena, potes adhibitâ sufficienti inquisitione, formare judicium, si non sciatur esse aliena, fuisse donatoris; quia nemo præsumendus est malus, & melior est conditio possidentis. Atque ità potes præscribere. Quod verum est, etsi & ipse donans dubitaret, modò adhibita sit debita in inquirendo diligentia, & antè bonâ fide rem possederit. Si tamen esset dubium de honestate inchoandæ, vel continuandæ possessionis; adesset quoque mala fides, etsi reipsâ possessio esset materialiter honesta, & justa. Habetur expresè: *Lege si Fur.* relata à Lessio N. 13.

3. Si dubius, an res sit aliena, insistas possessioni animo conditionato eam habendi ùt tuam, si non sit aliena, non præscribis; quia si aliena sit, non voluisti habere ùt tuam: si non fuit aliena, præscriptio locum nòn habet. Similiter si scivisti, rem esse alienam, & per inculpabilem oblivionem reliquisti in tua cista, non præscribis; quia vel voluisti restituere, & jam

jam non possedisti ùt tuam, vel noluisti restituere, & jam fuisti malæ fidei.

4. Si fides tua ab initio non fuit nisi venialiter mala, v.g. ob negligentiam in inquirendo, probabiliter potes præscribere; quia jura loquuntur de peccato mortali, & quidem contra justitiam, & fides dein supponitur fuisse indubia. Si autem ab initio fuit fides graviter mala, & postea superveniat bona fides per oblivionem, vel alium titulum, cujus causa sit illa prior possessio malæ fidei, non præscribes, vel saltem obligaberis compensare damna inde secuta, inter quæ est amissio rei, quá privaretur Dominus. Ratio est, quia prior possessio fuit injuriosa. Si verò aliunde proveniret bona fides, præscriberes; tum enim damnum non proveniret ex mala fide, hancque bona fides purgâsset: ait enim reg. Juris 36. in 6. *Pro Possessore habetur, qui dolo desiit possidere.*

3. Requiritur titulus aliquis ad præscribendum, à Jure approbatus: qualis est successio vel ab intestato, vel per testamentum, emptio, donatio, legatio, occupatio derelicti, assignatio pro dote, permutatio, transactio, &c. & dicuntur tituli pro hærede, pro emptore, pro donato, pro derelicto, pro dote, &c. Ratio, cur titulus requiratur, est; quia, hoc deficiente, non est causa, cur lex assistat possidenti ad acquirendum dominium, & bona fides esse non potest. 93. 3. *Titulus.*

Dixi: *Requiritur titulus aliquis*: Nam non requiritur verus, seu validus, v.g. emptio valida, quia si is adsit, habetur dominium; sed sufficit imò. qui prudenter existimatur validus, qui coloratus, & apparens dicitur, licèt

licèt ex circumstantia vitietur: ùt, si bona fide emisti rem à non Domino, quem ejus Dominum prudenter existimabas. 2. Sufficit etiam prudenter existimatus. si fundetur in errore facti alieni; non verò, si oriatur ex errore facti proprii: hujus enim ignorantia à Jure non toleratur, uti ignorantia facti alieni: unde si putes; te rem emisse, vel tibi donatam esse, & à te acceptatam, & revera nihil horum fuerit, non usucapies; usùcapies autem, si errore probabili putes, quòd servus, vel Procurator tuus, cui in mandatis dedisti, rem emerit, quam tibi tradidit; vel si putes, eum emisse, in cujus locum successisti hæreditario Jure, is autem non fuerit malæ fidei. 3. Item in præscriptione contra servitutem sufficit quasi titulus, quæ est Domini non usus, seu negligentia. Idem dicit Pichler de positiva præscriptione servitutis, v. g. aquæ ductûs, ad quam putat, pro titulo sufficere patientiam Domini, modò non fiat clam, vel precariò. Sed in hoc alii contradicunt, voluntque, sicut & in Jure venandi, & pascendi præscribendo, ità hìc requiri alium titulum, sine quo vix aderit bona fides. 4. Denique titulus præsumptus sufficit non quidem ad ordinariam, sed extraordinariam præscriptionem, id est, ad præscriptionem temporis longissimi, & immemorialis saltem *regulariter*, ità, ut possidens non teneatur ullum titulum determinatum assignare, sed sufficiat temporis, quo possedit, antiquitas, ex qua Jura præsumunt, titulum aliquem præcessisse. Sumitur ex *Lege 4. Cod. de præscript. 30. 40. ann. & ex Can. Ad aures, de præscript.* Et ratio est; quia difficilè

ficile est post lapsum tanti temporis assignare determinatum titulum. Secùs est de præscriptione ordinaria, pro qua titulus assignari debet.

Dixi : *Regulariter* : quia si Jus resisteret prohibendo, etsi non irritando possessionem, vel aliunde esset gravis præsumptio malæ fidei, teneretur præscribens titulum assignare, & probare, ut, si Clericus in aliena Parochia prætenderet præscriptionem decimarum, Præscriptioni tamen immemoriali prohibitio possessionis non obest. An autem præscriptio extraordinaria corruat, si titulus vitiosus detegatur, dubium est. Affirmat communior cum Pichler, *hoc tit.* N. 47 eò quòd præsumptio cedat veritati, negat Illsung hìc N. 294. eo quòd Judex debeat attendere ad leges universaliter præsumentes, non verò ad causas particulares, quæ in ejusmodi casibus allegari possunt. Videri possunt citati Authores.

94. 4. Requiritur tempus lege determinatum. Quod aliud est breve, aliud longum, aliud longissimum, aliud centenarium, aliud immemoriale. Breve, quod est minus decennio : longum, quod est decennii, vel vicennii, longissimum, quod est 30. 40. annorum, vel plurium usque ad 100. exclusivè : immemoriale, cujus initii non extat memoria. *4. Tempus lege determinatum.*



QUÆSTIO IV.

An, & quomodo bona fides Auctoris, seu antecedentis Possessoris prosit, & mala obsit successori in ordine ad præscriptionem ?

95. *Bona fides possessionis prodest successori.* Resp. 1mò. Bona Fides Auctoris, seu antecedentis Possessoris, prodest in tantum successori tam singulari, quàm universali, eandem rem bonâ fide possidenti, ut illud tempus, quo prior possedit, possit computare, atque ità non sit necesse ad præscribendum, ut posterior toto tempore possederit. Est communis & certa ex §. 12. & 13. *Inst. de usucap.* Cujus ratio est; quia possessor unà cum re in successorem transfert omne Jus suum: cùm ergo per possessionem, v. g. per annum continuatam, bonâ fide Jus acquisiverit, ut adjectâ possessione ulteriori præscriberet; hoc totum suum Jus transfert in successorem, qui proinde, completo tempore præscriptionis, rem usucapiet. Porro successor universalis est, qui titulo hæreditatis succedit vi testamenti, vel successionis ab intestato. Singularis est, qui succedit titulo particulari, v. g. donationis, emptionis, legati, &c. Item qui succedit alteri in officio, beneficio, dignitate. Excipe præscriptionem beneficii vi triennalis possessionis, ad quam requiritur, ut præscribens per se possederit triennio. Vide La Croix L. 4. N. 697.

96. *Mala fides antecesso-* Resp. 2. Mala fides Auctoris nocet successori universali, seu hæredi immediato, ità ut hic nec antecessione temporis prioris uti possit,

nec,

nec, spectato Jure communi, de novo inchoare præscriptionem saltem ordinariam. Est communis, & certa. Ratio est; quia hæres repræsentat personam Auctoris, & fictione Juris civilis, quod in hoc non est correctum à Jure Canonico, moraliter una censetur esse persona cum Auctore defuncto, sicque eandem cum illo habet obligationem, sicut & idem Jus habet. Unde sicut Auctor nunquam ope malæ fidei poterat præscribere rem illam, sed tenebatur ad omnia damna, ex injusta detentione rei, Domino hujus evenientia, in quibus unum, idque præcipuum, si præscribere aliquando posset, erat privatio istius dominii, quæ præscriptione causatur: sic etiam hæres, qui repræsentat personam defuncti. Si tamen hæres immediatus præscriptionem ordinariam inchoaret bonâ fide rei alicujus, quam haberet à defuncto, alio insuper titulo, v. g. emptionis, posset legitimo tempore præscribere.

ris nocet successori universali immediato.

Dixi 1mò. *Jure communi*: Nam si alicubi, Jus municipale vetet tantùm uti accessione temporis ab Auctore malæ fidei continuatâ, sinatque inchoari præscriptionem à successore bonæ fidei universali; eo standum erit.

Dixi 2. *Successori immediato*: Nam an ità etiam noceat mediato, id est, hæredi hæredis, controvertitur utrimque probabiliter. Negat Less. Molina, Haunold, & alii, eò quòd is non censeatur una persona cum defuncto, malæ fidei Auctore: proinde si successor immediatus habuit fidem Theologicè bonam, licèt malam habuerit fictione Juris, successor mediatus possit à se ipso inchoare præscriptionem, & perficere; cùm hic non habeat malam fidem fictam, eò quòd in Jure non detur

duplex fictio in eadem causa, adeoque malæ fidei fictio non causet in successore mediato malam fidem fictam: sicut umbra non causat umbram. Affirmat Lugo hìc N. 16. docetque successorem mediatum saltem teneri ad compensationem, eò quòd succedat in omnes obligationes succesforis immediati: sed admittunt hoc alii, nisi præscripserit.

Dixi 3. *Præscriptionem saltem ordinariam*: quia cum aliis probabiliter docet Illsung hìc N. 308. quòd successor immediatus bonæ fidei veræ possit inchoare, & perficere præscriptionem extraordinariam, seu longissimi temporis, ità, ut quoad hoc ipsi non obsit fides mala ficta. Ratio est; quia spectato Jure civili præscriptionem longissimi temporis non impedit mala fides vera, seu Theologica: ergo nec ficta: quia Jus Canonicum, corrigens Jus civile, non attendit malam fidem fictam, sed tantùm Theologicam, quæ peccatum involvit. Talis proinde præscribit non quidem titulo pro hærede, sed titulo præsumpto.

Resp. 3. Mala fides Auctoris non nocet suc-
97. cessori particulari, quominus hic possit bonâ
Non tamen successori particulari. fide incipere, & complere præscriptionem etiam ordinariam; quia non facit unam cum illo personam, & censetur illi tantùm succedere in Juribus realibus, non autem in vitiis personalibus. Excipe tamen res furtivas, vel vi possessas; has enim, si Auctor malâ fide possedit, successor non præscribit, nisi præscriptione longissimi temporis, etsi aliàs potuisset præscribere ordinario tempore, seu intra 10. vel 20. annos. Habetur *Authent. malæ fidei. Cod. de præscript. longissimi temporis.* Similiter mala fides tutoris non nocet pupillo, uti

utì nec mala fides Prælati Eccleſiæ, quoad præſcriptionem; quia ſunt tantùm adminiſtratores, qui cauſam Domini non poſſunt facere deteriorem: ſed neque mala fides in communitate, v. g. Collegio, Monaſterio, nocet ſucceſſoribus bonæ fidei, quod verum eſt de præſcriptione ſaltem longiſſimi temporis, etſi concedatur, quòd ſucceſſores in communitatibus ſint ſucceſſores univerſales; eò quòd communitas ſit ſemper moraliter eadem: nec Jus Canonicum correxit Jus civile quoad malam fidem fictam. Ità Pichler, & alii contra alios, probabiliter diſſentientes.

QUÆSTIO V.

Quantum temporis requiratur, ut præſcribantur tum mobilia, tum immobilia, præſcriptionis capacia?

98.

Nota. Bona præſcriptionis capacia alia ſunt mobilia, alia immobilia. Mobilia ſunt res corporales, quæ loco moveri poſſunt, ùt pecunia, fructus, animalia, naves, &c. quibus annumerantur actiones, jura, & debita, quæ rebus mobilibus adhærent. Immobilia ſunt res corporales, quæ loco moveri non poſſunt, ùt prædia, domûs, &c. quibus annumerantur reditus annui, pecunia ad emptionem prædiorum deſtinata, jura debita, & actiones. quæ rebus immobilibus adhærent. Item ſervitutes, & jura ad aliquid iteratis vicibus faciendum, recipiendum, exequendum, ùt ſunt Beneficia Eccleſiaſtica, Cathedra Theologica, Jus patronatûs, cenſus, uſusfructus ſine limite conſtitutus, officium, utpote Jura ex ſe perpetua. *Bona mobilia & immobilia.*

 petua.

petua. Census autem redimibilis annumeratur mobilibus. His notatis

99. *Res mobiles triennio præscribuntur.* Resp. 1mò. Ut res mobiles præscriptionis capaces, etiam pretiosæ, sive sint Ecclesiæ, vel loci pii, sive privatorum, præscribantur præscriptione principali, requiruntur, & sufficiunt cum titulo tres anni, sine titulo 30. Sic enim leges universaliter statuunt: unde licèt res pretiosæ Ecclesiæ nonpossint alienari sine solennitate, præscribi tamen possunt. Dixi: *Præscriptione Principali*. Nam, ut præscribantur res mobiles accessoriè, tres anni non requiruntur. Sic fructus cum fundo, cui inhærent, præscribuntur hoc ipso, quòd fundus præscribatur. Imò & fructus percepti. *Ex L. eos. 26. Cod. de usuris*, cum fundo præscribuntur, etsi necdum sint tanto tempore possessi. Ita Dicast. L. 1. Tr. 2. D. 5. dub. 3. N. 86. Krimer in L. 2. Tit. 26. N. 240. & alii. Porro res dicuntur præscribi sine titulo, quando non debet determinatus allegari, sed præsumitur à jure temporis longinquitatem.

100. *Immobiles verò regulariter decennio vel vicennio.* Resp. 2. Immobilia, quæ speciali non gaudent privilegio, præscribuntur cum titulo, seu causa determinabili 10. annis inter præsentes, & 20 inter absentes: sine titulo autem, id est, non determinabili cum ratione, non præscribuntur, nisi 30. annis. *Inst. de usucapionibus, & L. Finali Cod. de præscript. longi temporis.* Præsentes dicuntur, qui sub eodem Duce Comite, & Præfecto habitant; qui verò domicilium habent sub diversis Præfectis, & Judicibus, etsi sub eodem Domino, pro absentibus in ordine ad præscriptionem habentur. Quòd, si quis, contra quem currit præscriptio, præsens fuisset partim, partim absens,

duo

duo anni absentiæ pro uno præsentiæ computandi essent, v. g. si sex annis tantùm fuisset præsens, & 4. absens, pergeretque manere absens, quatuor adhuc anni adjiciendi essent pro complendo decennio: si autem deinceps præsens foret, duo tantùm anni addendi essent.

Dixi: *Quæ speciali privilegio non gaudent*: uti plerumque non gaudent privatorum bona profana; gaudent verò 1mò pupilli, contra quos non currit Præscriptio. 2. Minores, contra quos non datur Præscriptio, nisi 30. annorum. 3. Ecclesiæ, contra, quas non præscribitur: nisi saltem 40. annis. Reliqua constabunt ex dicendis.

Resp. 3. Beneficium Ecclesiasticum vacans potest, incipiens bonâ fide id possidere, intra triennium præscribere, etiam quoad forum internum; quia Pontifex vetat in *Regula* 3tia *olim* 35. *Cancellariæ*, possessorem talem inquietari post triennalem possessionem: proinde præsumitur velle eum securum reddere in conscientia. Ad hanc autem Præscriptionem requiritur 1. Titulus coloratus, nempe Canonica institutio apparenter valida, & facta ab eo, qui aliàs instituendi facultatem habet; licèt institutio sit reipsâ invalida v. g. ob defectum ætatis, vel excommunicationem provisi. 2dò. Triennalis possessio quieta, id est, sine contentione juridica. 3. Bona fides Theologica, nec vitiata cognitione Simoniæ, etiam à tertio commissæ. 4. Ut possessor non sit intrusus in Beneficium reservatum reservatione generali in corpore Juris clausa. Vid. La Croix L. 4. à n. 689. *Ex dictis deduces* 101. *Beneficium Ecclesiasticum potest triennio præscribi.*

102. *Quo tempore servitutes, & actiones præscribantur?* 1. Servitutes activæ præscribuntur, & passivæ extinguuntur plerumque tempore, quo præscribuntur immobilia, quibus annumerantur.

2. Actiones verò reales extinguuntur Præscriptione ejusdem temporis, quo præscribuntur res, & Jus reale, in quo fundantur; actiones autem personales extinguuntur regulariter 30. annis.

3. Immunitas ab obligatione solvendi census. & præstationes annuas, menstruas, vel alio singulari tempore solvendas, tota præscribitur, ubi bonâ fide cessâsti solvere per 30. vel 40. annos jam completos. Ità Haun. Tom. 1. Tr. 5. n. 358. & alii contra alios. Colligitur ex *L.* 3. *& 4. Cod. de Præscriptione* 30. *&* 40. *ann.* ubi generaliter statuitur, ut omnis actio præscriptione longissimi temporis extinguatur, ab ea autem generalitate nullibi excipitur actio, quæ datur ad præstationes annuas exigendas. Dein *L.* 26. *Cod. De Usuris* dicitur unicâ 30. vel 40. annorum Præscriptione tolli obligatio solvendi usuras, quæ utique annua est. Denique Jus Canonicum *Can.* 4. *&* 6. *De Præscriptione* statuit, ut obligatio solvendi decimas extinguatur 40. annorum Præscriptione, illa autem obligatio est annua. Dicitur; *Vel* 40. *annorum*, ob Ecclesias &c.

Debita pecuniaria excipiuntur. 4. Contra debitum tamen pecuniarum v. g. ex mutuo non præscribitur 30. annis, si intra hos creditor id non exigat, ùt habet communior contra Pichler, Schmier, & alios quosdam; quia debitor licitè non potest habere animum non solvendi; sed cùm sciat, se debere solvere, habere debet intentionem solvendi, ubi vel exiget creditor, vel tempus præfixum solutioni aderit, aut in quo ex usu & consuetu-

dine

dine solvi debet. Aliud est in præscriptione contra servitutem, in qua nullus præscribentis actus intervenire debet, & in Præscriptione contra pœnam pecuniariam, ubi reus scit, se non teneri solvere, nisi exigatur.

5. Servitutes continuæ præscribuntur, vel extinguuntur, ùt immobilia: idem dic de discontinuis, si adsit titulus: hìc enim, si desit determinatus, non absolvitur Præscriptio, nisi tempore immemoriali, & idem est de aliis Juribus similibus v. g. Jure Patronatûs. Contradicit tamen Pichler n. 69. Vide Burghaber Cent. 2. Cas. 16. Cæterùm, ut extinguatur servitus urbana, debet eam patiens aliquid agere; contrà, ut extinguatur rustica, sufficit non usus jus habentis: sic enim leges statuunt. V. g. ut fias liber ab obligatione Titio permittendi altiùs attollere domum, debes aliquem actum exercere: contrà, ut libereris à servitute patiendi aquæ ductum per tuum prædium, sufficit mera negligentia domini.

QUÆSTIO VI.

Quandonam Præscriptio dicatur non procedere dormire, & interrumpi?

Resp. 1. Non procedere dicitur, si ab initio, defectu alicujus requisiti v. g. tituli, bonæ fidei etiam inchoari non possit. Subinde, *Tò* non procedere usurpatur pro non currere. 103. *Si ab initio defecit aliquod requisitum.*

2. Dormire dicitur, quando illi, semel legitimè cœptæ, impedimentum objicitur, ut eo quidem stante cesset currere; eo tamen sublato currere pergat, prius tempus cum posteriore

riore utiliter computando, non computato tamen intermedio. Quod fit 1mò, dum judicia exerceri nequeunt, ùt tempore belli & pestis &c. 2dò. Dum Ecclesia caret Rectore. 3tiò. Quando is contra quem præscribendum esset, non potest jus suum prosequi: hinc respectu pupilli dormit omnis præscriptio tempore ætatis pupillaris, ordinario verò respectu minoris, & filii-familias, quoad bona adventitia; quam diu tales sunt.

3. Interrumpi dicitur, quando inchoata, exorto impedimento, sic cessat, ut de novo inchoari debeat ab initio, quòd fit dupliciter: 1. Naturaliter, quando deficere incipit aliqua conditio, ad præscribendum requisita: utì, si desinat bona fides, aut possessio civilis, vel titulus deprehendatur non subsistere. 2. Civiliter per litis contestationem coram Judice competente, per Judicis sententiam, per citationem ad judicium. Litis contestatio fit, quando actor contestatur sibi jus competere, reus verò asserit contrarium verbis saltem generalibus: v.g. non credo narrata, ùt narrata sunt, vel, nego, me debere, quæ petita sunt. Si diceret: Fateor, me debuisse, sed solvi: non esset litis contestatio; esset, si actor reponeret: nego solutum, tuncque probatio incumberet debitori, asserenti factam esse solutionem.

QUÆSTIO VII.

Quæ Præscribi non possint.

104. Resp. Quædam, quia ex se non omnes conditiones, ad Præscriptionem requisitas, recipiunt,

piunt, ex natura sua, quædam ex juris dispositione Præscribi nunquam possunt, quædam nonnisi tempore extraordinario; ob quam causam non nulla ex iis dicuntur non Præscribi: sunt autem sequentia

1. Ex natura sua nunquam Præscribuntur. 1mo, res sacræ, ut templa, calices, vestes sacræ, aliaque utensilia, ad cultum Dei, usûs que Sacros ab Ecclesia sacrata. Ita habet communis sententia, cujus ratio est; quia non sunt in commercio humano seu privatorum bonis, verùm quia hodiedum, quædam sunt in dominio Ecclesiarum, collegiorum, imò & privatorum, non videntur ea omnem Præscriptionem excludere, sicut non excludunt alienationem per donationem &c. 2dò. Publicis usibus deputata, uti viæ publicæ, pontes, flumina, fontes, aliaque communia, quæ à privatis non præscribuntur, quamdiu communia sunt; quia ab iis non possidentur. 3tiò. Res aliæ pluribus communes necdum divinæ, ut lucra ex contractu Societatis, res hæreditatis, si ab uno socio, vel cohærede possideantur, ab eo non præscribuntur, quia censentur possideri nomine omnium. 4. Jura spiritualia, & Ecclesiastica à Laico Præscribi nequeunt; quia est incapax possessionis nisi ad eam ab Ecclesia speciali Privilegio habilitetur, quod ex immemoriali possessione concessum quidem præsumitur, si tamen contrarium delegatur, præsumptio cedit veritati. Talia jura sunt, jus cognoscendi, & judicandi causas Ecclesiasticas, & Clericorum, jus decimandi tum primarium, seu directum, & fundamentale, quod Ecclesia habet exigendi à subditis congruam ministrorum suorum sustentationem pro qua assignavit

Quæ ex natura sua non præscribuntur.

ſignavit decimas, pendendas tum ex religione in recognitionem Dei eſt omnium bonorum authoris, tum ex juſtitia, manetque jus illud ſemper penes Eccleſiam; tum ſecundarium, ſeu indirectum, & utile, quamdiu non eſt ſeparatum authoritate Eccleſiaſtica ab officio ſpirituali, à quo, ut tranſeat ad Laicum, poſt Conc. Lateranenſe ſub Alexandro III. Papa Anno 1179. celebratum ſeparari nequit, niſi à ſummo Pontifice. Si autem ſemel ſit legitime ſeparatum, & Laico conveniat, contra illum Præſcribi poteſt tempore ordinario cum titulo, ſine titulo tempore 30. annorum. Idem eſt, ſi conveniat Clerico privato. Poteſt quoque immunitas à decimis ſolvendis Præſcriptione acquiri à Laicis, & Clericis contra privatum Laicum, vel Clericum tempore ordinario; contra Eccleſiam verò non Parochialem annis 40. ſine titulo, contra Eccleſiam autem Parochialem 40 annis, ſed non niſi cum titulo; quia jus aſſiſtit Parocho. Per conſuetudinem à communitate acquiri poteſt 40 annis ſine titulo, quia licet ad conſuetudinem inducendam contra legem ſufficiat decennium, quando nullum alteri affertur præjudicium; attamen quando alterius jus læditur, idem tempus requiritur, quod ad Præſcriptionem. Dixi: *A Laico præſcribi non poteſt jus utile decimarum non ſeparatum*: nam Eccleſia monaſterium, cui Parochia eſt plenè incorporata, præſcribere id poteſt 40. annis cum titulo, ſine titulo tempore immemoriali; quia jura humana etiam ſacra præſcribi poſſunt ab illis, à quibus poſſunt poſſideri. Parochialis tamen Eccleſia, ut præſcribat decimas 40. annis in fundis intra ſuos fines exiſtentibus, non indiget titulo con-

contra Ecclesiam extraneam, quia assistentia juris, quam habet, est loco tituli extranea verò indiget titulo. 5. Subditus nequit Præscribere immunitatem ab obedientia superiori debita, nec à correctione, visitatione, nec à debitis principi in recognitionem supremæ potestatis ejus, suæque subjectionis, ut sunt appellatio ad ipsum, census tributa, eum in finem solvenda &c, quamdiu subditus est, potest tamen præscribere libertatem à potestate temporali sui Principis, ut nempe desinat esse illi subjectus. Et hæc quidem 40. annis cum titulo sine eo tempore immemoriali; à potestate autem Papæ spirituali, utpote juris divini, nemo unquam Præscribere potest exemptionem.

2. Ex dispositione juris nunquam præscribuntur sequentia. 1mo. Limites novi Episcopatuum, Parochiarum, regionum, ubi certum est fuisse alios, ne scilicet confundantur termini, ad vitandam confusionem posito. Secus dicendum si sint dubii: hoc enim casu Præscriptio prodest possidenti. Fines agrorum etiam Ecclesiasticorum etsi præscribi possint quoad proprietatem, & dominium, præscribi tamen non possunt, quatenus sunt fines certorum districtuum constituti. 2do. Res mobiles, & immobiles pupilli, etsi tutorem habeat: harum enim Præscriptio ex speciali favore juris tempore ætatis pupillaris nec inchoari, nec compleri potest. 3. Beneficia Ecclesiastica sine titulo colorato possessa: hæc enim sine Canonica institutione possideri nequeunt legitimè.

Quæ ex juris dispositione.

3. Tempore ordinario non præscribuntur. 1mo res immobiles Ecclesiæ & quidem, ut contra Ecclesiam Romanam Lateranensem præ- scriban-

Quæ non nisi extraordinario tempore.

ſcribantur, requiruntur 100. anni, ut contra alias Eccleſias loca religioſa, pias caulas 40. anni, ut contra ordinem S. Benedicti, quorum privilegio gaudent ordines mendicantes 60. anni requiruntur. 2. Res quæcunque minorennium non ſubſunt Præſcriptioni niſi 30. annorum. 3. Ut bona feudalia fiant allodialia ſufficiunt 30. anni. Item ut allodialia tranſeant in feudalia, ſufficit, quod extraneus tanto tempore, illa ut allodialia bonâ fide poſſederit, idem tempus ſufficit, ut feudum ab uno vaſallo transferatur ad alium vaſallum verum, aut putaritium. Idem, ut dominus cum dominio directo utile conſolidet, ut tamen contra Eccleſiam penes quam eſt dominium directum præſcribatur, tempus longius requiritur V. Pirrh. L. 2. t. 20. §. 3. §. 5. & alios. 4. Res furtivæ vel vi expulſiva occupatæ, & detentæ, quia ex juris diſpoſitione laborant reali vitio furti, vel violentiæ, cum quo ad quoſcunque poſſeſſores deveniunt, etſi per mille manus tranſiviſſent, nec à fure nec à tertio præſcribi poſſunt, niſi vitium ſit purgatum; purgatur autem primo per 30. vel 40. annorum bonæ fidei poſſeſſione & hac completâ, præſcriptio quoque completa eſt. 2do. Purgatur, ſi res ad dominum poſt furtum, violentamve detentionem redierit in ſe, vel in æquivalenti, vel fur aut raptor fiat hæres domini: vitio ſic purgato poteſt à tertio bonæ fidei poſſeſſore præſcribi tempore, quo res aliæ ejuſmodi præſcribuntur. Res vi detenta poteſt eſſe tum mobilis, tum immobilis; furtiva verò eſt res mobilis plerumque, & externa, injuſtè ablata, ut pecunia equus ovis &c. Quare ſi dolo malo, cauſam contractui dante, ſit ac-

quiſita,

quisita, vel purè detenta, propriè furtiva non est, potestque, si ad tertium pervenerit, bonæ fidei possessorem, præscribi, ut res aliæ. Fructus quoque, modò adsit bona fides, rei furtivæ, vel vi detentæ à tertio præscribi possunt tempore ordinario; quia non sunt pars rei. 5. Jus patronatûs, si constet, Ecclesiam fuisse liberam, à Laico præscribi non potest, nisi tempore immemoriali; ab Ecclesiastico verò 40. annorum lapsu cum titulo, sine eo, tempore, quod excedit hominum memoriam; si autem constet Ecclesiam esse patronatam, contra Laicum, cui id competit ratione Patrimonii, præscribitur tempore ordinario cum titulo, sine eo 40. annis; contra Ecclesiasticum vero, cui id convenit ratione dignitatis, beneficii, officii, vel administrationis Ecclesiasticæ, præscribitur ab Ecclesiasticis 40. annis, à Laico tempore immemoriali: quamvis enim jus illud spirituale sit, nec à Laico possideri possit, sine speciali privilegio, attamen possessio, tanto tempore continuata, fundat præsumptionem tituli, seu privilegii concessi, sic, ut censeatur dominium translatum, non quidem vi Præscriptionis, sed, quia ex tali possessione præsumitur titulus dominii translativus concessus: unde talis Præscriptio non est propriè dicta Præscriptio. An autem sit possessio temporis immemorialis, si ejus initium ex documentis authenticis probari possit, non convenit inter A. A. Negantdicast. Illson apud La Croix L. 3. p. 2. n. 520. Esse nihilominus, si hominum existentium ejus initium memoriam excedat, affirmat Pichler; quia possessio temporis immemorialis sumitur ab hominum memoria: dicitur enim L. 3. §. *Du-*

ctus aquæ & Cod. de aqua quotit, & æstiv. *cujus origo memoriam excedit.* Convenit tamen inter omnes non obstare, quod probari possit possessionem ante 100. 200. annos fuisse penes alium, modò præsentis possessionis non possit ostendi initium : aliàs enim (id quod absurdum foret) mille anni non sufficerent ad tempus immemoriale, cùm ex vetustis documentis ostendi possit, regna, principatus, eorúmque jura ante mille annos ab aliis fuisse possessa. Quæ sint prærogativæ possessionis immemorialis, & quomodo probari possit, ac debeat, videri potest apud Pichler, La Croix, & alios. 6. Debita rerum tam mobilium, quam immobilium, actionesque, quibus exigi possunt, præscribuntur cum bona fide à debitore contra creditores 30. annis. Excipe debita Ecclesiæ, aliisque piis locis : ad horum enim præscriptionem requiruntur 40. anni. 7. Fundus dotalis, res majoratûs, primogenituræ, fidei commissi, legata rei certæ præscribi quidem possunt contra primogenitum, fidei commissarium. Legatarium, &c. Sed non nisi longissimo tempore, quia tempus ordinarium non supplet titulum, nec evacuat malam fidem injuste alienantis, at tempus longissimum, supplet titulum, facitque ut mala fides alienantis non noceat bona fide accipienti. Ita Less. An autem Præscriptio reicommissariæ primogenituræ majoratûs, male alienatæ, contra primum agnatum præjudicet agnatis remotioribus, ita, ut rem ad se revocare non possint, dubium est. Affirmat Covar. negat Pichler, Schmier, & alii, quia remotiores agnati, vivente proximiore à jure vel consuetudine prohibentur agere in judicio ; universim autem non præscribitur

bitur contra eos, qui ex impedimento juris non possunt sua tueri in judicio: æquum enim non est, tales detrimentum pati ex præscriptione, per jus inductâ, ob juris dispositionem, iis actionem negantis. Hinc nec contra filium familias quoad bona adventitia, quamdiu est in patria potestate, nec contra uxorem quoad bona dotalia, stante matrimonio, præscribi potest, nisi maritus redigatur ad incitas; tunc enim uxori competit actio.

Ex dictis colligitur, posse præscribi res alienari prohibitas sine solennitate, uti sunt res immobiles Ecclesiæ, res dotales, majoratus, fidei commissi &c. Uti habet communior contra nonnullos. Dicunt quidem jura talia præscribi non posse, sed intelligenda sunt de tempore ordinario. Vide Schmalzgruber, qui excipit res fidei commissi, majoratûs, & primogenituræ.


QUÆSTIO VIII.

Quibus concedatur restitutio in integrum contra Præscriptionem?

Resp. Conceditur 1. Minoribus quadriennio integro à die, quo majores facti sunt, id est, ab anno 25. completo ad annum 29. completum. 2. Ecclesiis aliisque piis locis intra quadriennium à completa præscriptione intellecta, modò integrum sit petere restitutionem: Ecclesiæ enim quoad hoc sunt instar pupilli, & minoris, cùm & illæ per alium debeant agere. 3. Majoribus ex causa, quæ justa videbitur Judici: ùt, si currente præscriptione aberant Reipublicæ causâ, vel in publica expedi- 105. *Minoribus, & locis piis*

 tione,

tione, vel in captivitate, vel qualibet justâ de causa præscriptionem non poterant interrumpere. Talis tamen causa ex communi non est ignorantia; aliàs Præscriptio magna ex parte esset inutiliter constituta.



TRACTATUS II.

DE Justitia servanda in Contractibus, & Jure per illos acquirendo.

HActenus egimus de modo acquirendi Dominium absque alterius consensu, nunc agendum de modis acquirendi illud ex consensu prioris domini, quòd potissimùm fit per Contractus.

CAPUT I.

De Contractibus in genere.

QUÆSTIO I.

Quid sit Contractus, & quid Pactum?

106. *Definitio.* RESp. Pactum, & Contractus latiùs acceptus, est liber plurium in idem consensus, & conventio, obligationem in unam saltem partem inducens. Si obligationem in unam tantùm

râm convenientium partem inducat aliquid pendendi, erit contractus gratuitus; si in utramque partem, contractus onerosus: & hic est contractus strictè magisque propriè dictus.

Clariùs Contractus sic definiri potest: *Liber & legitimus plurium in idem consensus, mutuò manifestatus, & acceptatus, pariens obligationem Justitiæ in alterutra saltem parte contrahentium ad aliquid præstandum, vel omittendum.*

Dicitur 1. *Consensus*, puta, internus, verus, & sincerus, isque reciprocus, quo unus intendat Jus; vel Dominium in alterum transferre, & hic velit acceptare. *Ratio est*; quia translatio Juris, quæ fit per contractus, pendet à voluntate contrahentium: unde sicut non acquiro dominium sine intentione illud habendi: sic sine ea dominium in alium non transfero, etsi dicam, me emere librum pro me, habeam autem animum emendi pro alio; emo non mihi, sed illi. Hinc si sim Religiosus, non pecco contra votum paupertatis, nec egeo ad id veniâ Superioris. Contendunt quidem Vasq. Dicast. & alii, si verba, vel signa externa consensûs interni, etsi ficti, ponantur, transferri jus ab uno in alium per leges, Republicâ defectum consensûs supplente: verùm id imprimis falsum est, juxta omnes in contractu Matrimonii. Dein licèt leges supponant tum consensum verum, cùm quisque censeatur animo gerere, quod verbis exprimit; tamen obligatio naturalis vi contractûs non oritur, etsi dominium per Judicis sententiam transferri possit.

Dicitur 2. *Consensus liber*, nempe perfectè, eâque libertate, quæ ad mortale peccatum requiritur. *Ratio est*; tum quia ad negotia

 majo-

majoris momenti, qualia censentur omnes contractus, requiritur perfecta deliberatio: tum quia per contractus alienatur libertas propria, hanc autem nemo censetur alienare, nisi cum plena deliberatione; tum quia obligatio ex Justitia est effectus perfectus, efficax, & stabilis, qui causam proportionatam, adeoque perfectam requirit: unde contractus facti cum semiplena tantùm deliberatione, nullam etiam levem inducunt obligationem; quique capaces non sunt plenæ deliberationis, contrahere non possunt, ùt infirmi delirantes, semifatui, semisopiti &c. Sufficit quidem semiplena libertas ad contrahendum reatum peccati levis, & juxta multos ad obligationem restituendi, vel reparandi damnum leve; quia reatus peccati, & obligatio levis restituendi rem levem necessariò, & connaturaliter sequitur ex positione actûs, & non pendet à voluntate nostra antecedente, quæ actu posito ea impedire possit; at obligatio ex contractu pendet à voluntate nostra antecedente, quâ impediri possit, actu etiam posito: potest enim homo sic esse constitutus, ut nolit se rebus suis, & libertate privare, nisi per actum plenè perfecteque liberum; sic autem quivis censetur habitualiter constitutus, quæ constitutio sufficiens est ad impediendam obligationem: hinc si quis dicat: Nolo imposterum ullo voto astringi, sique immemor hujus propositi votum fecero, ex nunc revoco, quidquid vovero nisi memor hujus voluntatis eam revocavero; juxta communem non obligatur voto subsequenti, quod immemor hujus voluntatis emittit. E-contrà, si quis diceret: Nolo imposterum consentire turpibus desideriis, sique fortè immemor

hujus propositi consensero, ex nunc revoco consensum, & protestor, me non consentire; nihilominus, si licèt immemor hujus propositi, postea cum sufficienti advertentia consentiret, revera peccaret; quia prior voluntas non potest turpitudinem impuri desiderii impedire, sicut potest impedire obligationem voti.

Dicitur 3. *Consensus legitimus*; id est, à lege non reprobatus, qualis est consensus pupilli sine authoritate tutoris &c.

Dicitur 4. *Mutuò manifestatus*; quia, cùm contractus obligationem inducat, sitque actus humani commercii, debet fieri humano modo, sub sensum cadente, & acceptari obligatio, quod fieri non potest, nisi consensus signis externis manifestetur: nec quis aliter vult obligari.

Dicitur 5. *Et acceptatus*; quia nemo vult alteri se obligare, nisi acceptet: unde ad contractum onerosum requiritur acceptatio mutua consensûs, & manifestatio illius mutuæ acceptationis; quia utrimque obligationem parit. Secùs est de contractibus gratuitis, v. g. promissione, donatione, qui, sicut in unum tantùm obligationem inducunt, & in alterum jus transferunt; sic tantùm unius v. g. promissarii acceptationem manifestatam requirunt.

Dicitur 6. *Pariens obligationem*; id est, vinculum morale, quo necessitate astringimur ad aliquam rem, vel actionem præstandam, faciendam, vel omittendam. Est autem obligatio ex contractu triplex: nempe 1ma merè naturalis; quæ ligat sub peccato, sed non parit actionem in foro externo. 2da merè civilis; quæ parit actionem, sed non ligat sub peccato: ùt obligatio solvendi debitum ex con-

tractu, quem scis esse invalidum, sed probare non potes. 3tia mixta, quæ ligat in conscientia, & simul parit actionem in foro externo.

Dicitur 7. *Pariens obligationem Justitiæ*; putà, commutativæ: etsi enim aliqui ad pactum putent sufficere obligationem veracitatis, aut fidelitatis: ùt, si plures consentiant dictâ horâ exire in agrum sine intentione ulterioris obligationis, quàm verba secum ferant; ad contractum tamen requirunt obligationem Justitiæ commutativæ, & ordinariè pro quantitate materiæ: quod addo; quia, ubi materia gravis est, non potest esse tantùm obligatio levis ex contractu, de quo Jura loquuntur, uti tenet Lugo & alii contra Sanch. & alios; quia in contractu transfertur jus in re, vel ad rem, quæ si gravis est, non potest jus sine gravi injuria violari, ubi simpliciter translatum est; secùs est, si diminutè tantùm transferretur: hinc, si quis promissione Matrimonii vellet tantùm obligari sub levi, non esset promissio, de qua Jura loquuntur, nec haberet rationem Sponsalium. *Ex his deduco*

107. *Corollaria.* 1. Si offeram tibi domum 1000. aureis venalem, & tu acceptes, offerasque mille aureos; venditio perficitur, non quando acceptas, sed quando acceptatio per te mihi manifestatur: mea tamen acceptatio, quâ obligationem tradendi domum, si consentias, accepto, est tibi sufficienter manifestata per hoc, quòd offeram tibi domum venalem illo pretio; proinde si tua acceptatio mihi manifestetur, hoc ipso perficitur contractus, nec opus est, ut tibi, vel mihi ulterior acceptatio manifestetur.

2. Si mecum contrahas per Procuratorem, per-

perficitur contractus, quando tuus Procurator acceptat; & ego id rescio, licèt tu necdum acceptaveris; quia illius acceptatio est moraliter tua.

3. Si tecum contraham per literas, contractus non perficitur prius, quàm per responsum innotescat mihi tua acceptatio.

4. Si donum mihi mittas, donatio completur, quando accepto, etsi tu de mea acceptatione non scias, uti dicetur.

5. Si petam gratiam, v. g. dispensationem in Jejunio, hoc ipso, quòd dispensatio sit expedita, jam deobligor; quia mea petitio est acceptatio, si detur dispensatio, etsi datam adhuc ignorem.

QUÆSTIO II.

Quomodo Contractus dividatur?

Resp. Contractus dividitur 1mò in onerosum, qui in utramque, & gratuitum, seu lucrativum, qui in unam tantùm partem contrahentium obligationem inducit. Contractus proinde onerosi sunt venditio, locatio, conductio &c. lucrativi sunt donatio, promissio merè liberalis acceptata, commodatum, precarium, testamentum, legatum &c. merè liberalia. 108. *Divisio. Onerosus, gratuitus.*

2. Dividitur in nominatum, & innominatum. Nominatus est, qui præter nomen genericum contractûs, permutationis specificum, nomen proprium habet, quo ab aliis distinguitur: ùt est venditio, emptio, conductio, pignus, commodatum, mutuum, depositum, stipulatio, cambium, emphy- *Nominatus, innominatus.*

 teusis,

teusis, feudum, dos, Sponsalia, Matrimonium, Professio Religiosa, census &c. Contractus innominatus est, qui specificum, propriumque nomen non habet, ideoque oratione exprimitur. Hujus 4. sunt species his verbis exprimi solitæ: 1ma Do, ut des, id est, rem pro re, v. g. equum pro mulo, si enim pecunia daretur pro re, esset emptio. 2da. Do rem, ut facias, v. g. triticum, ut labores in mea vinea. Si daretur pecunia pro illa opera, foret conductio. 3tia. Facio, ut des, v. g. colam agrum tuum, ut des mihi vestem. Si offerrem meum laborem pro pecunia, esset locatio. 4ta. Facio, ut facias, v. g. colam agros tuos, ut mihi ædifices domum. Ad hos contractus affirmativos reducantur negativi: v. g. Do, ut non facias &c. Quòd si pro re detur res & pecunia, v. g. pro equo sex oves, & 20. imperiales, erit contractus ex nominato, & innominato mixtus, & sortietur denominationem à parte potiore: pro qua intelligenda, est resolvendus in simplices, & juxta eum regulandus, cui similior est. Sub his continetur permutatio rei cum re; quia retinet nomen genericum subalternum saltem.

Vestitus nudus. 3. Dividitur contractus in pactum vestitum, & non vestitum, seu nudum. Pactum nudum est, quod in conscientia quidem obligat, in foro tamen externo civili ei non conceditur actio. Tales sunt: simplex promissio acceptata, omnesque contractus innominati secundùm se, seu ex neutra parte adhuc impleti, nec alio vestiti. Pactum vestitum est contractus juris adminiculo, suffultus, vi cujus parit actionem in foro externo, seu jus prosequendi in judicio, quod sibi debetur. Vestiun-

tur

tur autem contractus 1mò suo specifico nomine, ùt venditio, aliique contractus nominati. 2. Rei traditione, saltem ex una parte. 3. Stipulatione, id est, certâ verborum formâ olim usitatâ, v. g. Dabisne? dabo. Faciesne? faciam. In cujus locutionis locum jam succedit instrumentum publicum, vel scriptura promissoris manu scripta. 4. Juramento. 5. Privilegio Juris, quod quibusdam pactis nudis conceditur, ùt promissioni dotis. Si uno ex his modis pacta nuda roborentur, iis conceditur actio, aliàs tantùm potestas se tuendi in possessione. Aliis pactum nudum est nuda conventio; vestitum, quod alio firmatur. La Croix n. 588.

4. Contractus dividitur in contractum stricti juris, de quo Judex judicat secundùm rigorem verborum, quantum Justitia & æquitas patitur; & in contractum bonæ fidei, in quo, dum oritur dubium, judicatur non secundùm rigorem verborum, sed ex æquo & bono secundùm mentem præsumptam contrahentium; quia nempe præsumuntur voluisse, quod homines æqui & boni in iis velle solent secundùm leges sic contrahentium. Tales contractus sunt: venditio, emptio, permutatio, & contractus nominati ferè omnes: dico, *ferè*; nam stipulatio est stricti juris, utì contractus innominati, præter permutationem. *Stricti juris, bonæ fidei.*

5. Dividitur contractus in absolutum, & conditionatum, purum, & qualificatum. Absolutus est, cujus obligatio non suspenditur adjectâ conditione; conditionatus est, cujus obligatio alligatur conditioni de futuro: v. g. Dabo tibi librum, si cras ad me veneris. Purus est, qui fit sine restrictione ad aliquid aliud, *Absolutus, conditionatus.*

v. g.

v. g. modum, conditionem, diem, pœnam. Qualificatus seu modalis, qui fit vel sub modo, vel causâ, aut conditione, vel demonstratione, vel adjectione pœnæ.

QUÆSTIO III.

Qualis debeat esse materia Contractûs validi?

109. 1. *Debet esse possibilis.* Resp. Debet esse 1mò possibilis; quia ad impossibile nemo potest obligari; sique contrahentes; sciverint materiam esse impossibilem, non potuerunt velle obligari; si ignoraverint, errârunt circa substantiam. Si materia est partim possibilis, partim impossibilis, distinguendum est: nam manet obligatio ad partem possibilem, si divisibiliter, & proportionaliter contractum fuit: ùt, si emisti 100. modios tritici, ex quibus 30. perierunt, contractus tenet in 70. reliquis; si autem contractum est indivisibiliter, non est obligatio quoad partem etiam possibilem: v. g. emisti tres equos 200. Imp. nullius pretium in particulari determinando, si unus ante traditionem moriatur, non est obligatio reliquos acceptandi vel tradendi. Similiter, si emisti duos equos ejusdem coloris pro rheda, si unus pereat, non teneris admittere alium.

2. *Non inhonesta.* 2. Materia debet esse honesta, aut saltem non inhonesta; quia nemo ad rem, vel actionem illicitam, seu peccatum obligari potest: unde pretium datum ob opus turpe, ante impletionem operis, restitui ex Justitia debet: impleto tamen opere turpi, retineri potest, & in foro conscientiæ exigi, si datum fuit v. g. scor-

to pro usu sui corporis, sicario pro facto homicidio in gratiam alterius. *Ratio est*; quia duplex hic intervenit contractus, unus absolutus de committendo opere turpi pro pretio, & hic, ut patet, irritus est; alter conditionalis de dando pretio, si opus turpe fuerit positum: & hic, impletâ conditione, validus est, & absolutus: perficitur enim, positâ conditione turpi, oriturque obligatio ex vi consensûs, ut sequentis, non ut antecedentis opus malum, non secùs ac in voto facto sub conditione, si te inebriaveris. *Ratio est*; quia est de re pretio æstimabili, & de alterâ non illicita dein ponenda: nam licèt actus malus non sit pretio æstimabilis, quatenus malus est, est tamen talis, quatenus ementi, vel cum petenti utilis, vel delectabilis, & ponenti laboriosus, vel periculosus est. Deinde, posito opere turpi, dare pretium de se malum non est, nec magis approbatio peccati, quàm impletio voti emissi sub conditione, si peccares. Ex hoc eodem fundamento tenent multi cum S. Thoma in 4. dist. 15. q. 2. a. 4. Quæst. 2. posse Judicem retinere pecuniam sibi datam ad ferendam injustam sententiam; quia hanc non debebat, estque ipsi periculosa & onerosa, cùm teneatur ad damna. Secùs est, si pecuniam accipiat pro sententia justa; quia hanc debet ex Justitia. Item in usura, ubi deficit voluntas dandi gratìs; & in simonia, ubi res vel est invendibilis, vel vendens jure positivo redditur inhabilis ad pretii dominium acquirendum. Vide La Croix L. 3. n. 685.

Dixi: *Materia debet esse honesta &c.* Nam contractus illicitus, si materia sit licita, potest esse validus: sic emptio gladii ad inimicum occi-

occidendum, venditio armorum facta hosti Reipublicæ, Matrimonium in statu peccati mortalis non licent; valere tamen possunt. Similiter Matrimonium cum Titia post contracta Sponsalia cum Caja, ejus consanguinea in secundo gradu, validum est, etsi illicitum; quia materia talium contractuum non est actio illicita, sed gladius, arma, jus in corpora. Si tamen contraxisti Sponsalia cum una, & dein attentes Sponsalia contrahere cum alia, posteriora non subsistunt; quia obligare te vis ad translationem dominii in corpus ad usum Matrimonii: illa autem translatio est injusta. Cæterum ad exigendum pretium pro opere turpi posito non datur actio in foro externo, ùt constat ex pluribus legibus; sed non ideo deficit obligatio in conscientia.

Dices: Pro Sacrificio Missæ, actionibusque illi intrinsecis non licet accipere pretium, etiam, ùt sunt utiles ad bonum temporale obtinendum: ergo nec pro opere turpi, quatenus utile est. R. C. ant. N conseq. quia res sacra est in ordine superiore, in quo sine irreligione non potest pretio temporali æstimari: in tali ordine non est actus turpis, nec obstat quidquam, quò minùs pro eo posito, ùt utili, possit exigi pretium. Sic, si pro te faciam iter, etsi mihi præfigam finem malum, justè exigo pretium condictum. Videri potest Laym.

3. Propria. 3. Debet esse propria; quia per contractum debet jus transferri in alterum; nemo autem plus juris transferre potest, quàm ipse habeat: Unde resolves

110. *Corollaria.* 1mò. Pretium acceptum pro actione, vel omissione alteri ex Justitia debita, v. g. à Judice, ut ferat sententiam justam tibi debitam; à la-

à latrone, nec te occidat, &c. licitè retineri non potest; quia Judex, latro rem æquivalenter tuam tibi venderet. Potest tamen miles exigere stipendium pro servitio, quod debet ex Justitia; quia id exigit ùt pretium pro actione, non debitâ ex justitia, nisi detur stipendium.

2. Potes quoque conductus à Paulo: ut iter facias Parisios, adhuc accipere pretium pro tali itinere à Petro; quia non vendis Petro Jus Pauli, sed novam obligationem ad iter Petro utilem, quæ manet, etsi Paulus cederet Jure suo.

3. Potest accipi, & retineri pretium pro actione tertio ex justitia debita, non proficua danti pretium, v. g. à Cajo, tibi datum, ut restituas Titio rem ablatam, ne illum occidas; quia actio & omissio non est debita Cajo, tuque non censetis actionem tibi utilem emere: unde vel hic tantùm ponitur contractus gratuitus sub conditione talis operis, vel si interveniat ratio pretii, datur hoc pro nova obligatione actionis, vel omissionis ponendæ in gratiam dantis pretium. Dixi: *Pro actione ex justitia debita*: Nam dare, & accipere munus pro actione ex alia virtute debita, modo non detur ùt pretium, sed ùt allicium, per se licet. Sic potest pater novam vestem dare filio, ut vitet malos socios, in Paschate communicet, omni die Dominico audiat Sacrum.

4. Si emas à Titio rem alienam, v. g. furtivam, venditio est irrita, sive mala, sive bona fides fuerit in utroque. Idem est si emisti bonâ fide, & Titius malâ fide vendidit; quia rei alienæ dominium non potest transferri ab eo, qui id non habet. Attamen ex dispositio- *Emptio rei furtivæ.*

ne

tione legum civilium vendens etiam mala fide rem alienam, fit Dominus pretii, etsi plerumque cum obligatione restituendi, non tamen emens fit Dominus rei furtivæ. Similiter emens furtivo pretio, fit Dominus mercis ad vendentem pertinentis; non tamen hic Dominus pretii furtivi. Ità statuitur *L. Si emptor.* 34. in pœnam malæ fidei, & gratiam veri Domini: unde si bonâ fide mercem propriam vendidisti, & accepisti pretium furtivum; hoc Domino comparenti teneris restituere, si adhuc exstet vel in se, vel in æquivalenti. Si autem planè consumpseris, vel per mixtionem bonâ fide feceris tuum; ad nihil teneris, quia non es factus ditior: nam pro eo dedisti mercem tuam, aliàs non daturus. Idem dicit Lugo N. 171. D 6. de pecunia furtiva, quam pro debito bonâ fide accepisti. Similiter si bonâ fide emisti triticum alienum, sitque adhuc impermixtum; teneris restituere etiam cùm jactura pretii. Si autem per mixtionem bonâ fide factam fecisti tuum, potes retinere. Denique si fur pecuniæ, vel alterius rei alienæ acquisivisset dominium, & tibi donaret; acceptam posses retinere, quia donâsset rem suam. Ità La Croix L. 3. P. 2. N. 963. Id quod velut probabile defendit Molina, etsi fur esset impotens ad satisfaciendum ex aliis bonis; quia non est obligatio negligendi suum commodum, ne alteri per accidens sequatur damnum.



QUÆS-

QUÆSTIO IV.

An validus, & firmus sit contractus ex errore, vel dolo procedens?

Nota. Error in contractu interveniens provenire potest vel ab intrinseco, v. g. ignorantiâ, vel inadvertentiâ errantis, & simpliciter error hic dicitur: vel ab extrinseco, seu ex calliditate, vel machinatione alterius partis contrahentis, vel alicujus tertii ad decipiendum ordinata, vel dolus passivè acceptus dicitur; ipsa verò machinatio errorem inducens dolus activè acceptus. 111.

Error circa substantiam, & circa accidens.

Error ille uterque potest esse vel circa substantiam, vel circa accidens. Circa substantiam est 1mò, si sit circa materiam contractûs; ùt, si emas vinum, putans esse oleum. 2. Si sit circa motivum principale formale: ùt, si Cajæ promittas dotem ideo præcisè, vel principaliter; quia putas esse consanguineam, qualis revera non est. 3. Si sit circa naturam contractûs: ùt, si consentias in contractum, quem putas esse donationis, & reipsâ sit venditionis. 4. Si sit circa aliquid, ad quod sic afficitur contrahens actualiter, vel habitualiter, ut eo deficiente nolit contrahere. Universim hoc in contractu est de substantia, ad quod ex hominum usu, vel dispositione legum saltem implicitè, vel virtualiter restricta est intentio contrahentium. Dixi: *Vel dispositione legum:* nam quilibet censetur, se velle accommodare legibus. Hinc quando ex harum dispositione conditiones quædam habentur pro

non adjectis, contractus iis deficientibus subsistunt.

Error circa accidens est 1mò, qui versatur circa qualitatem rei, de qua contrahitur, non transeuntem ex intentione contrahentis in substantiam: uti si ducas per Procuratorem uxorem, quam putas divitem, cùm dives non sit. 2. Qui versatur circa qualitatem contractûs accidentalem: ùt, si Caja nubens putet viro non competere bonorum administrationem. 3. Qui versatur circa motivum aliquod minus principale, & tantùm impellens: ùt, si determinares te ad dandam eleëmosynam pauperi, quia credis esse devotum, cùm talis non sit: censeris enim primariò dare ex motivo misericordiæ, vel charitatis. Aliud foret, si absolutè nolis dare, nisi adsit talis qualitas: tunc enim ex tua intentione transiret in substantiam. Quòd quando fiat, ut intelligatur, diligenter considerandus est finis, & principale motivum contrahentis, vel Jus transferentis, quæ in diversis contractibus diversa sunt. In contractibus enim gratuitis plerumque motivum extrinsecum est, ùt motivum pietatis, misericordiæ, charitatis, gratitudinis; in onerosis motivum proximum est intrinsecum, v. g. Jus acquirendum, & transferendum. His notatis

112. *Error substantialis irritat contractum.* Resp. 1mò. Error versans circa substantiam contractûs, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, seu dolo proveniat, jure naturæ invalidat contractum. Ratio est, quia talis error impedit, quò minùs cognoscatur substantia contractûs, vel rei, de qua intenditur contractus, vel motivum ejus, adeoque facit, ut desit consensus in rem vel contractum, qui con-

contractui essentialis est. V. g. qui emit vitrum putans, se emere gemmam, non habet voluntatem emendi vitrum; qui intendit elocare domum, non consentit in venditionem; qui intendit Cajæ dare dotem, quia consanguinea est, non vult præcisè indigentis sublevare inopiam, sed singularis amicitiæ actum exercere erga sanguine junctam. Atque hæc vera sunt, sive error, vel dolus sit antecedens, id est, talis, ut si abesset, non fieret contractus, sicque det causam contractûs, sive comitans, & incidens, id est, talis, ut si abesset, adhuc fieret contractus; sive vincibilis, & culpabilis, sive invincibilis sit. Nec obstat, quòd ignorantia vincibilis non excuset à peccato: nam licèt non excuset à peccato ignorantiæ affectatæ, vel negligentiæ, excusat tamen à peccato, cujus malitia ignoratur. Similiter ergo excusat ab obligatione contractûs, cujus substantia non est cognita. Excipe tamen, nisi errans circa substantiam absolutè consentiret in rem, vel contractum, qualiscunque sit: ùt, si vellet absolutè emere, quod offertur, emeretque vitrum putans, esse gemmam. Si vellet hæreticus absolutè inire matrimonium secundùm Christi institutionem putans, esse certo casu dissolubile, v. g. ob sævitiam, vel adulterium uxoris: id est, si potiùs vellet contractum, quàm nullum; valeret. Si autem potiùs nollet contractum indissolubilem, non valeret. Ex dictis resolves.

1mò. Si ducas Titiam uxorem putans, esse Cajam, error est in substantia, & contractus nullus: Titia enim non tantùm habet rationem contrahentis, sed etiam rei, circa quam contrahitur; & quia multum interest, cum 113. *Corollaria.*

qua perpetuum matrimonii vinculum contrahatur, solet intentio contrahentium esse restricta ad personam, cum qua existimant se contrahere.

2. Si vendas equum Titio putans, esse Cajum, error est accidentalis, nisi illâ venditione specialiter voluisses gratificari Cajo: hoc enim casu foret substantialis.

3. Econtra si dones liberaliter Petro putans esse Paulum, error est substantialis; nisi donâsses præcisè, aut principaliter, quia pauper est, & talis etiam fore Petrus: tunc enim error in persona esset accidentalis.

4. Si conduxisti Advocatum imperitum, putans esse peritum, error est substantialis; quia voluisti aptum ad evictionem litis, quæ finis tuus principalis erat. Similiter si ad vestiendum te Sacerdotem absens emisti pannum album, quem putabas esse nigrum; error est in substantia, & venditio nulla. Item si emisti vas vini, putans esse oleum, quamvis æquè libenter, & eodem pretio emisses vinum; quia deficit consensus circa vinum, nec consensus habendus, aut interpretativus sufficit ad absolutam emptionem.

5. Si emisti 100. oves, quarum 60. sunt vendentis, 40. alienæ, venditio tantùm valet de 60. quia erat emptio in singulas, circa 40. autem error est substantialis.

6. Si emisti quid 100. ducatis in auro, qui hoc tempore notabiliter pluris tuâ opinione valent, est error substantialis circa pretium, venditioque invalida. Contingit tamen aliquando, ut, quando error substantialis est in parte minore, emptio valeat, & tunc minuendum sit pretium. Secùs est, si error sit in parte majore.

Cæte-

Cæterùm semper attendenda est contrahentium intentio.

Resp. 2. Error accidentalis, etsi antecedens, & ex malitia alterius contrahentis proveniens, nec jure naturæ, nec positivo contractum irritat. Non jure naturæ, quia non impedit cognitionem, nec consensum in substantiam; non jure positivo, quia nulla lex irritans clara afferri potest: proinde est standum jure naturali. Sunt quidem leges, quæ talem contractum dicunt irritum, nullum: sed intelligendæ sunt de effectu firmo: nempe quòd in æstimatione humana nulli sint; quia ab Innocente, si velit, sunt rescindibiles‘ daturque ei ad id actio contra deceptorem: unde si volenti tibi emere vinum Rhenanum, offeratur per dolum Mosellanum, contractus valet, nisi alligaveris ob certum finem, ad quem Mosellanum non conduceret, intentionem tuam Rhenano. 114. *Error accidentalis non irritat contractum onerosũ.*

Excipit Lugo contractus gratuitos, quos censet per dolum circa accidens antecedentem irritos reddi: quia cùm hi fiant sponte, & liberaliter, non censetur v. g. promittens, vel donans dolo inductus voluisse se obligare, si talis circumstantia adsit, quæ cognita à promissione, vel donatione deterruisset; idque, undecunque error proveniat, verum videtur. 115.

Resp. 3. Si error antecedens versans circa accidentia, proveniat ab altera parte contrahente, est pro libitu decepti rescindibilis, nisi sit insolubilis; quia injuriam passus est, quæ in specie reparari debet: id quod fieri non potest, nisi rescissione contractùs, quo tamen passus injuriam, si velit, stare potest. Si autem error, vel dolus proveniat ab aliquo tertio impertinente, vel à propria ignorantia, 116. *Facit irritabilẽ, si ex alterius contrahentis malitia veniat.*

 aut

aut inadvertentia, contractus non est rescindibilis. *Ratio est*, quia cùm alter contrahens injuriam non fecerit, fueritque consensus in substantiam, non est ratio resiliendi à contractu; præsertim cùm deceptus possit servare se indemnem per actionem coram Judice.

Dixi 1mò. *Error antecedens*: Nam si comitans sit, negat Sanch. posse rescindi contractum; quia respectu ementis moraliter nulla est mutatio, cùm nihilominus fuisset v. g. empturus, adeoque non reputetur injuria, aut saltem non foret efficaciter damnosa, ùt inquit Lugo. Dixi 2. *Ab aliquo tertio impertinente*: quia, si causans errorem sit moraliter una persona cum contrahente, v. g. sit ejus Procurator, negotiorum gestor, perinde est, ac si ipse contrahens decepisset.

117. *Discrimen inter sponsalia, & alios contractus.* *Dices*: Si error circa accidens interveniat in sponsalibus, quo cognito, non fuissent inita, sponsalia rescindi possunt, etsi error non proveniat ex dolo: ergo à pari. Et *confirmatur*: Si superveniat mutatio qualitatis, mutatur status; ergo est locus rescissioni in aliis etiam contractibus. R. Nego paritatem; nam sponsalia post se trahunt contractum matrimonii indissolubilem, & perpetuum, ideoque difficillimum: hinc majorem requirunt libertatem, videturque ex communi usu, vel dispositione legum voluntas contrahentium sponsalia restricta ad eam libertatem ob grave alioquin, perpetuumque præjudicium, sicque imbibere hanc conditionem: *Nisi occurrat postea, quòd prudentem meritò deterruisset.* Ad confirmationem Resp. manet status substantialis,

lis, quod in aliis contractibus sufficit: aliàs quotidiani contractus perpetuis essent litibus obnoxii, quòd repugnat recto ordini Reip. si deceptus patiatur incommodum, hoc resarciri potest per actionem quanti minoris, quæ locum non ità habet in sponsalibus.

QUÆSTIO V.

An validus, & firmus sit contractus ex metu initus, & quid dicendum in dubio?

Nota 1mò. Metus est trepidatio animi ob apprehensum instans nobis, vel nostris malum, seu actus appetitus, quo fugimus imminens malum, & ad propinquum ejus periculum trepidamus. Est autem alius gravis, alius levis. Gravis, est fuga mali gravis, probabiliter futuri, difficulter vitabilis, sive jam hoc malum sit absolutè grave, ùt mors exilium, diuturnus carcer, gravis infamia, magna temporalium jactura, sive solum respectivè grave, quod quidem non respectu omnium, attentis tamen circumstantiis, & personâ, cui imminet, meritò grave, & valde formidabile judicatur, proinde sufficiens ad metum gravem incutiendum. Metus levis est vel de levi malo, vel gravi facilè vitabili, aut difficulter futuro. Tam hoc, quàm illud imminere potest ex neglectis, vel repulsis importunis precibus. Si tamen hinc non tam grave damnum, quàm jactura magni lucri timeatur, operatio non tam ex metu, quàm concupiscentiâ lucri procedet. Porrò metus tam gravis, quàm levis potest provenire vel ab intrinseco, aut à causis naturali-

118. *Quis sit metus gravis, & quis levis?*

bus, v. g. à morbo, ab imminente naufragio, tempestate, incurrente bestiâ, incendio; vel ab extrinseco, & à causa liberè operante. Hic aliquando justè incutitur: utì, si Judex debitori minetur mulctam, nisi creditori satisfaciat: aliquando injustè: ùt, si latro tibi minetur mortem, nisi pecuniam extradas. Iterum aliquando incutitur ad extorquendum consensum, ùt in allatis exemplis; aliquando ex alio motivo: utì, si tuus inimicus intentaret tibi mortem, & ut tibi parceret, offerres ei pecuniam, quam is non intenderet. Vid. 1. P. N. 18.

119. *Contractus jure naturæ irritus.* *Nota 2dò.* Contractus jure naturæ est irritus, si ei lex naturalis absolutè resistat in ordine ad transferendum dominium: utì, si dones alteri rem alienam; jure autem positivo tantùm est irritus, si lex tantùm positiva resistat, non verò lex naturæ; sed hæc permittat transferri jus. vel dominium, nisi lex positiva resistat. Esse autem potestatem in Rep. irritandi contractus aliquos, dubium non est: nec sic lex positiva repugnat naturali; quia hæc assistit quibusdam contractibus tantùm conditionatè, nisi scilicet lex positiva resistat. His notatis.

120. *Nullus contractus ex metu non injusto est irritus.* Resp. 1mò. Nullus contractus ex metu, sive ab intrinseco, aut causa naturali proveniente, sive justè incusso ad extorquendum consensum, est jure naturæ, aut positivo invalidus, aut rescindibilis. Est communis, & certa, tum ex *L. Si mulier. 21. quod metûs causâ*, tum ex praxi Ecclesiæ, quæ sæpè metu pœnarum compellit ad contrahendum; tum ex ratione, quia adhuc adest ratio voluntarii simpliciter, nec adest injuria, nec lex ulla assignari potest,

quæ

quæ talem contractum irritum, aut irritabilem faciat. Imò lex irritans tales actus vergeret in perniciem Reip. utpote pariens innumeras confusiones, & tollens medium sæpè necessarium ad mala evitanda: unde 1mò emittens votum, ut in periculo naufragii evitet mortem, tenetur voto. 2. In captivitate detentus à Tyranno, si promittat mulieri matrimonium, si eum liberet, liberatus tenetur eam ducere, 2. Si deprehenso in furto, vel homicidio mineris, te eum ad Judicem delaturum, nisi tibi det, vel promittat certum munus, tenet promissio, nec acceptum teneris reddere, nisi forte judicio prudentis viri excessum muneris exorbitantis. Quòd etiam verum est, etsi non habuisses animum illum deferendi, sed tantùm terrendi; quia cederes saltem jure tuo id faciendi, quod est pretio æstimabile. *Nec obstat*, quòd dederit ex errore, certò non daturus, si sciret, tibi non fuisse serium: nam error non est circa materiam, nec circa motivum: ideo enim dedit, ut resignares juri tuo ad accusandum; id quod verè facis, etsi non intenderis accusare. Sanch. Less, &c.

Dices: Si acceperim à Titio 1000. ad censum 5. erga singulos centenarios; & simulem, me velle refundere capitale, nisi acquiescat 4, injuriam facio Titio, & adhuc teneor ad 5. ergo à pari: R. Si habeam pecuniam, vel possim habere, ut capitale refundam, injuriam non facio; quia cedo jure meo refundendi capitale, hocque refuso, Titius forte plus non accipiet. At si pecuniam non habeam, nec habere possim, injuriam facio; quia potestate refundendi non cedo, nec jus imminuendi pensionem habeo, sed teneor stare contractu;

121. *Quid, si simulem, me velle refundere capitale*

 adeo-

adeoque onus imminuendi censum impono Titio per dolum, nihil erga illud præstando, quod iniquum est. Vide La Croix hic N. 635. & 1018. *Nec obstat*, quòd æquè sit dolus in primo, ùt in 2do; quia ibi non est injustus, cùm jus habeas rescindendi: non verò in 2do.

123. *Contractus vi, vel metu injusto extortus, non est jure naturæ irritus.* Resp. 2. Contractus onerosus, procedens ex metu gravi, ab altero contrahentium, aut persona ei conjuncta ad extorquendum consensum injustè incusso, 1mo, Si solubilis est, non est jure naturæ irritus: ùt habet communior contra Molinam, Valent. Spor. & alios. *Ratio est*; quia metus non impedit consensum simpliciter voluntarium, nec bonum commune exigit, talem contractum esse irritum; sed potiùs consultum est, ut valeat, sitque ad arbitrium metûs passi revocabilis, cùm fieri possit postea, ut is gaudeat esse factum. Nec obstat, quòd ex injuria videatur non posse nasci jus metum incutienti: nam nascitur ex injuria tantùm mediatè, & occasionaliter, immediatè verò ex consensu mutuo, qui est titulus legitimus: utì, si rem Titio venditam, & non traditam vendas, tradasque alteri, aut tuam pecuniam misceas alienæ minori &c. Dixi: *Si solubilis*: nam si insolubilis sit contractus, ùt matrimonium, professio religiosa probabiliùs est jure naturæ irritus, utì dicetur in Tract. de Matrimonio.

Nec universim jure positivo. 2. Nec est universim jure positivo irritus; quia id nullo jure probari potest, sed potiùs oppositum: nam leges, infirmando tales contractus, volunt favere innocenti læso; regulariter autem magìs favent, si non penitus irri-

tent, ſed ad inſtantiam læſi velint irritari. Excipiuntur aliqui contractus, qui jure poſitivo ſunt, vel declarantur ipſo facto nulli: uti matrimonium utpote indiſſolubile, ſi ſemel valeat, adeoque metu extortum inducens injuriam irreparabilem; profeſſio religioſa, quæ eſt matrimonium, quoddam ſpirituale; promiſſio, aut traditio dotis, quæ ùt acceſſoria ſequitur matrimonium; promiſſio, & traditio rerum Eccleſiæ, authoritas Tutoris, jurisdictio, abſolutio à cenſuris, renuntiatio beneficii, & juxta aliquos promiſſio matrimonii, utpote via ad matrimonium; hæc enim ſi ſint gravi metu ad extorquendum conſenſum incuſſo extorta, ſunt, aut declarantur nulla. Et hinc patet, cur dixerim, nec univerſim jure poſitivo.

3. Eſt tamen talis contractus, pro arbitrio metum paſſi, irritabilis; quia injuriam paſſus eſt ab altero contrahente, quæ ſi poſſit, in ſpecie auferri debet; id quod fieri nequit niſi per contractûs reſciſſionem; proinde hanc exigere poteſt, & alter permittere debet. Pro foro externo quidem ſtatutum eſt, ut interveniat Judicis authoritas, ne jurgia, & lites multiplicentur, ſi liceret propriâ authoritate auferre jus, quod per contractum translatum eſt, unde & delictum probandum eſt; poteſt tamen privatim convenire cum eo, à quo eſt paſſus injuſtè, qui & tenetur ſatisfacere: ſi hic autem nolit, Judex adeundus; coram quo ſi delictum probari non poſſit, poteſt uti occultâ compenſatione, cùm delictum, ùt ſuppono, ſit certum. *Eſt tamen irritabilis*

Dixi 1mò in reſponſione: *Contractus oneroſus*: nam contractus gratuitus, procedens ex 123. *Excipi-*

metu

tur contractus gratuitus. metu gravi injustè incusso ab una parte ad extorquendum consensum, probabiliùs est jure naturæ irritus. Ità Dicast. & alii contra Sanch. Less. &c. *Ratio est* 1mò, quia lex naturæ non videtur assistere contractui sic extorto, v. g. promissioni pecuniæ, factæ latroni, mortem minitanti ad extorquendam pecuniam: natura enim nihil agit frustra; ageret autem frustra, si assisteret; quia ex contractûs illius valore nullum emolumentum parti lædenti provenit, cùm pars læsa statim eum rescindere possit, teneaturque pars lædens, etsi non monita, ad restitutionem. 2. Lex non debet patrocinari iniquitati, & animare ad injurias; hoc autem faceret, si assisteret tali contractui: nam iniquus Jus acquireret per violentiam sine ullo emolumento partis læsæ: unde dixit S. Th. Opusc. 77. cap. 4. *Quidquid transfertur ab uno in alium per violentiam, non datur, sed aufertur.* Aliud est in contractibus onerosis, ubi lex assistit in favorem innocentis, nec favet iniquitati, sed in favorem innocentis illam gravat: potest enim talis contractus esse utilis innocenti, cùm detur res, vel pecunia pro re. Si misceas alienam pecuniam cum tua, translatio dominii fit lege assistente amore boni communis, ne plures dein contractus sint invalidi. 3. Ad contractûs gratuiti valorem, in quo non datur res pro re, videtur requiri consensus ab omni coactione liber, & perfectè voluntarius, aliàs non censetur promittens, vel donans jus transferre. Hinc juxta Dicast. L. 2. Tr. 4. D. 3. etiam metus injustus levis obest valori talis contractûs. Secus est in contractu oneroso, in quo jus pro jure, vel res pro re transfertur. 4. Contra-

ctum

ctum esse validum, v. g. promissionem, nihil est aliud, quàm promissorem obligari ad rem tradendam, & promissarium posse exigere, & acceptare justè; atqui hæc deficiunt in contractibus gratuitis ex metu injustè, relatè ad illum, incusso, initis: nam promissarius, v. g. latro in casu posito, non potest jure exigere pecuniam promissam; quia hanc exigendo continuaret injuriam: sicut, si emeres à Titio rem, jam alteri ab ipso venditam, injuriam faceres eam exigendo. Si autem non potest justè exigere, jus ad rem non habet; ergo nec promissor obligationem eam tradendi, etsi exigatur.

Respondent Adversarii, quòd promissor teneatur rem tradere non absolutè, sed nisi promissionem revocet, quod statim facere potest; & promissarium habere jus ad eam validè accipiendam, sed illicitè, & revocabiliter, cumque obligatione restituendi ob injuriam, quæ individuo non potest aliter reparari. Hæc sententia non est improbabilis: quia metus non tollit voluntarium simpliciter.

Dixi 2. *Ex metu gravi*: nam nullus contractus, saltem onerosus, ex levi metu, si solubilis est, aut irritus est jure naturæ, aut jure positivo rescindibilis, quia metus undequaque levis in jure reputatur pro nullo, cùm facilè potuerit contemni, sique lex naturæ talem contractum irritaret, sequeretur gravissima in humana republica perturbatio, cùm metus levis sit frequentissimus. Nihilominus docet Molina, Less. & alii, in conscientia posse rescindi, si metus levis incussus fuerit injustus, & directè ad consensum obtinendum ordinatus ab altero contrahente; eò quòd injuriam passus debeat se posse restituere in integrum, seu

124. *Metu levi injusto extortus, si onerosus sit, multò minus irritus est.*

ſeu ſtatum priorem. Fatentur tamen, matrimonium ex tali metu initum validum eſſe, ſic exigente bono communi.

125. *Probabiliter in conſcientia poterit reſcindi.* *Si dicas 1mò.* Metus levis eſt frequens, ſique contractum faceret irritabilem, exponeremur innumeris ſcrupulis. Reſpondent, paſſus metum, ſi non reſcindat contractum, cenſetur nolle reſcindere, & dein non poteſt eſſe rationabiliter invitus, ut ei inhæreatur.

Si dicas 2. Inferens levem metum, non facit gravem injuriam: ergo non poteſt obligari ad contractum gravis momenti reſcindendum. Reſpondent: recipiet æquivalens, aut non multò minùs: nec æquum videtur, ut acquirat rei alienæ dominium ſtabile per injuriam: unde tenetur potiùs ratione rei, cujus dominium ſtabile non acquiſivit, ſed gravatum injuriâ: ſicut, qui alienæ pecuniæ, per mixtionem cum ſua, ſine culpa, vel nonniſi cum levi, dominium acquiſivit, tenetur ad reſtitutionem æquivalentis.

Si dicas 3. Metum levem paſſus imputet ſibi, quòd conſenſerit, cùm facilè potuerit non conſentire. *Reſpondent.* Nihilominus paſſus eſt injuriam, cenſeturque, non fuiſſe conſenſurus, ſi metus abfuiſſet: aliàs enim non conſenſiſſet ex metu. Cæterùm metum incutiens non videtur obligandus, ut alteri offerat contractûs reſciſſionem: ſique alter, dum facilè poteſt, non petat eam, cenſetur acquieſcere: & aliàs plures confuſiones ſequerentur, cùm metus levis ſit frequens.

126. *Si neutra pars injuriã fecit,* Dixi 3. *Incuſſò ab altero contrahentium, vel perſona cum eo conjuncta,* ſeu unam facientem moraliter cum ipſo: nam ſi à tertio non conjuncto ſit incuſſus, reſcindi non poteſt quidem

jure

Jure naturæ; quia, cùm neutra pars injuriam fecerit, non est ratio ex natura rei, cur potiùs possit ad libitum unius rescindi, quàm ad libitum alterius servari, attamen potest rescindi ex communi DD. Jure positivo ad instantiam metum passi, quod colligitur ex *L.* 14. §. *In hac actione. ff. Quod metûs causâ*, ubi videtur quidem textus tantùm loqui de contractibus lucrativis, extenditur à DD. ad cæteros. *Nec obstat*, quòd contractus ex dolo circa accidens, qui à tertio provenit, rescindi non possit: nam de hoc leges aliter statuunt; nec deest ratio; quia dolus is relinquit consensum circa substantiam imminutum, eumque non afficit immediatè: at metus circa substantiam eum imminuit in ratione voluntarii: metuens enim contractum tantùm amplectitur, ùt minùs malum, non ùt absolutè bonum: ideoque in tali contractu magìs deficit ratio voluntarii; hinc Jura magìs favent metum, quàm dolum circa accidens patienti, qui & ab hoc faciliùs vitari potest. Proinde metus, & dolus non æquiparantur in omnibus etiam quoad substantiam.

non potest jure naturæ rescindi, sed positivo.

127. Dixi 4. *Injuste incusso ad extorquendum consensum*: nam quando est injustè incussus, sed non ad extorquendum consensum, distinguendum est: si enim incussus est ab altero contrahentium, v. g. si in flagitio deprehensus, minitatione mortis injustè territus à Titio, contraxisti cum eo, ut mortem evadas, contractus est irritabilis; quia metum injustè incutiens tenetur tollere omnia incommoda, quæ ex injuria proveniunt, inter quæ est obligatio ex tali contractu orta. Ità probabilius Lugo. Si autem metus, non ad extorquendum

Quid, si metus sit incussus non ad extorquendum consensum?

dum consensum, à tertio impertinente est incussus, contractusque adhibeatur, ùt medium ad declinandum malum imminens; tum contractus onerosus valet irrevocabiliter. Sumitur ex *L.* 7 §. *animadvertendum. ff. quod metûs causâ.* Et ratio est ; quia imprimis non potest revocari jure naturæ : nam nullus contrahentium injuriam intulit; tertius autem metum inferens, non potest auferre obligationem consentiendo in rescissionem contractûs ; quia cum illo contractum non est : quanquam hic tenetur inducere ad rescissionem, ut ab innocente avertat injuriam, si hic velit. Deinde non est revocabilis jure positivo, ùt habetur in lege citata, cujus verba exhibet Haunold. hìc n. 117. sub finem. Et quis dicat, rescindi posse contractum, si ex metu hostis tui, tibi insidiantis, emisti gladium ad te defendendum; aut votum esse irritabile, eò quòd emissum sit ad bella injusta avertenda.

Excipit 1. Lugo contractum Matrimonii, quem putat esse invalidum, ex tali metu initum. Videri potest hìc à n. 172. *Excipit* 2. probabiliter Palav. q. 1. n. 8. contractus lucrativos : quia sic meliùs consulitur innocenti, & alter queri non potest ; quia solo lucro privatur, manens in statu, quo antè erat, & sicut ipse nollet in tali statu obligari, sic nec debet velle obligare alterum. Votum conditionatum ad contractus onerosos pertinet.

128. *Metum incutiēs vult se obligare quantū*

Dices : Contractus initus ex metu, ab altero contrahentium injustè incusso, aut jure naturæ irritus est, aut rescindibilis non est : nam nemo ex contractu obligatur ultra suam intentionem ; per consequens metum incutiens non obligabitur irrevocabiliter : non enim se inten-

intendit aliter obligare, quàm alter obligetur; aut si obligetur irrevocabiliter, sic etiam metum patiens obligabitur. *Confirmatur.* Ei, qui metum passus est, conceditur actio in rem, & personam; ergo non amisit dominium rei, consequenter contractus est nullus, saltem jure positivo. *potest, ergo irrevocabiliter.*

Resp. Neg. Ass. Ad probationem dico, vult metum incutiens ùt & decipiens per dolum obligari, quantùm vi contractûs potest, & debet, si & deceptus, vel metum patiens tantùm obligetur, quantùm debet, & obligari potest: hic autem, si metus, vel dolus sit antecedens, non potest obligari, nisi revocabiliter, & quasi conditionatè: si nempe velit postea stare contractu. *Ad Confirm.* Neg. Conseq. Metum passo manet jus ad rem, quæ, quia velut cum vitio injuriæ transfertur revocabiliter; hinc datur ei actio in rem, ad quemcunque devenerit, resque fictione juris manet in ejus bonis, utpote non extracta de ejus potestate irrevocabiliter. Atque ità potest se restituere in integrum, rescindendo contractum per actionem in rem, & personam. *Adde:* Contractus per se, & ex natura sua obligat irrevocabiliter utramque partem; per accidens ratione injuriæ non obligat injuriam passum irrevocabiliter, sicque est æqualitas substantialis, non tamen accidentalis.

Resp. 3. In dubio, an intervenerit metus injustus, dolus, vel error ex eo, standum est pro valore contractûs; quia delicta non præsumuntur. Similiter in dubio, an error fuerit substantialis, aut causa, quæ nunc cessat, fuerit principaliter movens, Jura præsumunt pro valore actûs. Denique in dubio, an consen- 129. *In dubio de metu injusto standum pro valore.*

seris in obligationem, præsumeris consensisse, si tenebaris consentire, vel verba, quibus usus es, significent obligationem; quia nemo censetur consensum injustè subtrahere, aut aliter sentire, quàm loquatur.

QUÆSTIO VI.

An, & quatenus validus, aut invalidus sit Contractus sub conditione?

130. *Quid, & quotuplex sit conditio?*

Nota. Conditio in præsenti est circumstantia dispositioni, vel contractui adjecta, per particulam *Si* exprimi solita, à cujus existentia contrahentes volunt dependere valorem; vel, si de conditione strictè dictâ loquamur, quæ suspendit obligationem in futurum. Est autem alia possibilis, & honesta; alia impossibilis, vel ex natura rei, si ex natura sua poni non possit; vel ex facto, si excedat vires illius, à quo impleri deberet; vel de lege, si sit turpis. Possibilis alia est de præsenti, vel præterito, cujus actuali existentiæ, vel non existentiæ consensus affigitur: ùt, lego tibi 100. si es meus cognatus. Alia de futuro, cujus existentiæ futuræ, vel non futuræ consensus alligatur. Hæc sola est strictè dicta conditio. Conditio de futuro alia est necessaria, quæ ex natura rei, vel revelatione certò scitur futura; alia contingens, cujus eventus est incertus, quæque existere, & non existere potest: v.g. alam te, si Professionem feceris Catholicæ Fidei. Porrò certum est, quòd conditio repugnans substantiæ contractûs, hunc irritet: ùt, si diceres: Do tibi mutuum eâ lege, ut non acquiras dominium, vel, si nolis acceptare dominium.

Cer-

Certum item est, quòd conditio de præterito, vel præsenti non suspendat consensum : si enim conditio existit, vel extiterit, valet statim contractus, etsi fortè necdum constet; si desit conditio, non valet ; quia aliter non est intenta obligatio. *Hoc notato*

Resp. De valore contractûs sub conditione de futuro judicandum est secundùm sequentes Regulas. 131. *Regulæ.*

1*ma*. Si conditio sit necessariò futura, & hoc sciatur, ùt hæc : Si Sol cras oriatur, non suspenditur valor contractûs, sed præsumitur frustra adjecta ; si autem contrahens ignoret, vel dubitet, esse necessariò futuram conditionem, suspenditur valor ; quia conditio habebit se per modum contingentis. Quod si conditio non adjiciatur, ùt conditio, sed ùt designatio temporis ; non suspenditur valor contractûs, sed tantùm differtur executio secundum dicenda n. 138. 274. utì, si dicas : Dabo tibi aureum, si, seu quando Titius mihi solverit censum annuum.

2*da*. Si conditio adjecta sit ex natura rei impossibilis, & contrahentes suum consensum illi alligaverint, contractus est jure naturæ irritus ; quia voluntas non potest efficaciter velle obligationem sub tali conditione, cognitâ ùt impossibili : ùt, si dicas : Do equum, si cras Sol non oriatur. Quia verò non constat, an contrahentes suam voluntatem alligaverint conditioni impossibili, hinc jus positivum habet talem conditionem pro non adjecta in Matrimonio, & ultimis voluntatibus ; valetque contractus, & dispositio, utì habetur *L. Si quis ità. L. Quæ sub conditione. ff. De Conditionibus*, & *Cap. finali de Cond. appositis.* Excipe, nisi conditio re-

pugnet substantiæ contractûs. *Nec obstat*, quòd nec Princeps sæcularis in ultimis voluntatibus, nec Pontifex in Matrimonio possit supplere consensum : nam id necesse non est ; quia quilibet, saltem habitualiter, plerumque sic est constitutus, ut velit secundùm leges contrahere, nemoque censetur nugari, adeoque adest consensus implicitus, saltem regulariter.

3*tia*. Si conditio de futuro sit impossibilis secundùm jus, seu turpis, & inducens ad peccatum, v. g. hæc : Dabo tibi 10. aureos, si occidas Titium : contractus est jure naturæ irritus ; quia ad peccatum non potest esse obligatio, quæ est de essentia contractûs. In Matrimonio, & ultimis voluntatibus talis conditio, nisi repugnet substantiæ contractûs, vel dispositionis, iterum habetur pro non adjecta, valetque dispositio plerumque saltem, etiam pro foro interno, ob rationem datam. Conditio tamen turpis de præsenti, vel præterito, habetur pro adjecta, eâque deficiente, contractus non subsistit; uti, lego tibi 100. si genuisti filium illegitimum. *Ratio est*; quia non inducit ad peccatum. Porrò Jus Civile etiam extenditur ad conditiones tantùm civiliter turpes : uti sunt, si manseris innupta, si non feceris, vel si non revocaveris testamentum, si parens tuus fuerit mortuus. Hæ enim conditiones dicuntur esse contra bonos mores in foro civili, eò quòd impediant Matrimonium, & libertatem testandi : ultima autem contineat votum captandi mortem patris : unde valet dispositio, si quis pro puella disponat : Lego tibi 100. si non nubas, etsi nubat. Secùs est de vidua ; quia eam non nubere secundo, non censetur turpe : hinc si nubat, non valet dispositi-

ſpoſitio. Quòd ſi diſponeres hoc modo : Lego Titiæ 100. ſi nubat, valeret diſpoſitio, etſi Religionem iniret ; quia Religio eſt connubium ſpirituale, ſique excluderetur, eſſet conditio turpis, quod non præſumitur. Idem cenſet Dicaſt. etſi maneat cœlebs ; quia diſponens cenſetur voluiſſe ſuccurrere, ut poſſet honeſtè nubere, ſi veller. Sed attendendæ ſunt circumſtantiæ : ſi enim diſpoſuerit in favorem alicujus ex ſuis, v. g. ſi nupſeris conſanguineo meo ; diſpoſitio non ſubſiſtit, ſi illi non nubas, ùt conſtat ex dictis.

4ta. Conditio contingens de futuro, non repugnans valori, ſuſpendit contractûs valorem uſque ad eventum conditionis; quia antè conſenſus non eſt abſolutus. Eſt tamen obligatio exſpectandi conditionis eventum, eâque eveniente, obligatio eſt abſoluta, quæ, utì & jus ex ea ortum, tranſit ad hæredes, niſi obligatio fuerit perſonalis, aut ſit diſpoſitio ultimæ voluntatis : nam ſi hæres, vel legatarius moriatur ante eventum conditionis, nihil trânſit ad hæredes; quia diſpoſitio ultima non acceptatur ante mortem teſtatoris validè.

5ta. Si contractus traditione perficiatur, non fit abſolutus, niſi fiat rei traditio, ſic licèt promiſeris, te daturum mutuum, ſi pater tuus conſenſerit ; contractus mutui non habetur ſtatim patre conſentiente, ſed traditione pecuniæ : ſi autem perficiatur ſolo conſenſu, ùt venditio, evadit purus impletâ conditione, etſi traditio facta non ſit : nam ſi dicas ; v. g. Vendo tibi ex nunc hunc equum, ſub hoc vel illo eventu, ex nunc te obligas ad equum erga pretium tradendum, ubi conditio evenerit : ergo, illâ eveniente obligatio eſt abſoluta, id-

que etsi antè revocâsses consensum sine causa justa ; quia revocatio tua nihil potest contra jus alterius quæsitum. Ut tamen contractus Matrimonii conditionatus sit validus, eveniente conditione, consensus debet moraliter perseverare; quia, cùm Matrimonium sit indissolubile, transferatque dominium omninò perfectum, requirens perfectam corporis traditionem, meritò exigit consensum moraliter perseverantem. Aliud est in venditione, quæ transfert jus ad rem, quam emens potest exigere, etsi consensus sit revocatus : neque ad suî valorem requirit traditionem, ùt Matrimonium. Cæterùm, ubi Matrimonia clandestina sunt nulla, Matrimonium conditionatum non permittitur celebrari.

QUÆSTIO VII.

Quandonam validus, aut invalidus sit Contractus, sub causá, modo, demonstratione, pœnâ, disjunctione, vel in diem celebratus?

Quid sit contractus sub causa, modo, &c.

Nota. Contractus sub causa celebratus dicitur,
132. si sub aliquo præsente, vel præterito velut motivo sit initus : v. g. Dono tibi 100. quia es meus cognatus ; sub modo autem, si sub aliquo velut onere, vel favore unius contrahentium, ùt : Vendo tibi meam domum, cum obligatione, ut ad dies vitæ tecum sinas in ea habitare matrem Titii pauperem ; sub demonstratione, si qualitas demonstrativa rei exprimatur : v. g. Vendo tibi equum, quem emi à patre. Denique in diem celebratus dicitur, si designetur dies executionis. *Hoc notato*

Resp.

Resp. 1. Contractus sub causa, vel causalis invalidus est, si deficiat motivum principale, & primarium; non verò, si secundarium, & merè impulsivum. Constat ex dictis. Est autem motivum principale, quo contrahens hìc & nunc præcipuè movetur, & ità afficitur, ut eo existente velit, & eo deficiente, saltem ex habituali constitutione, nolit obligari; secundarium verò, & merè impulsivum est, quod non est sufficiens hìc & nunc ad impetrandum consensum; attamen voluntatem aliunde motam impellit, quo movetur quidem, sed tantùm ad libentiùs & promptiùs consentiendum, & non itâ, ut eo deficiente censeatur nolle consentire. Dico: *Nolle*; nam ex eo, quòd quis v. g. pauperi non fuisset daturus eleëmosynam, si scivisset, esse impium, non infertur, quòd noluerit dare ex affectu misericordiæ, aliove bono. Cæterùm, an hìc & nunc causa, quæ additur contractui, simpliciter sit motiva, an impulsiva tantùm, scit solus contrahens; leges autem decernentes aliqua circa hæc sunt tantùm præsumptivæ, & in foro interno cedunt veritati. In dubio, an causa, quæ deprehenditur falsa, fuerit motiva, an impulsiva tantùm, censeri debet fuisse tantùm impulsiva, quia standum est pro valore actùs, & omnis dispositio interpretanda est, ut valeat potiùs, quàm non valeat. Præsumitur quoque aliquando disponens ità constitutus, ut causâ etiam motivâ deficiente nolit, esse irritam suam dispositionem. Talis censetur esse donatio, facta à Principe ob obsequium apparens tantùm: cùm enim Principi non sit honorificum revocare donationem, censetur eam ratam habere.

133. *Motivū principale, & secundarium.*

134. *Sub modo statim valet.* Resp. 2. Contractus sub modo, vel onere statim valet; alteri tamen modus adjectus imponit obligationem præstandi adjectum, v. g. si dicas: Accipio te uxorem eâ lege, ut mecum castra sequaris; statim valet Matrimonium, & uxor tenetur sequi maritum. *Ratio est*; quia hoc ipso, quòd uterque contrahentium consentiat in contractum, & modum, nihil deest essentiæ contractûs modalis, dummodo modus non repugnet substantiæ contractûs. Si alter contrahentium non consentiret in modum, contractus non subsisteret; quia est conventio conditionata de præsenti, si nempe consentiat in gravamen adjectum, seque ad id obliget. *Hinc resolves*

135. *Corollaria.* 1. Potes rem tibi sub modo donatam, vel legatam mortuo testatore, statim petere, teneris tamen cautionem præstare de modo implendo, sique non præstes, compelli potes, & contractus revocari. Quòd si morereris ante traditionem, jus tuum ad tuos hæredes transiret, modò velint, & possint implere modum.

2. Si accipias mutuum cum obligatione, ratione mutui dandi aliquid supra sortem, contractus est nullus; quia modus repugnat essentiæ contractûs.

3. Si quis puellæ leget 100. aureos, ut nubat, non tantùm hæc potest eos retinere, si Religionem ineat, aut maneat cœlebs; sed etiam, si antè moriatur, & aurei necdum sint numerati, illos possunt hæredes exigere; quia, quando modus tantùm respicit favorem alterius contrahentis, tum tantùm videtur esse causa impulsiva, ut possit v. g. nubere: aliud est, si sit in favorem disponentis, v. g. si legati essent 100. aurei, ut nuberet consanguineo legantis. Porrò in foro

foro externo modus turpis, & impossibilis habetur pro non adjecto: ùt, Lego tibi 1000. ut perseveres in Religione Lutherana.

Resp. 3. Contractus demonstrativus non valet, si demonstratio erret in substantia, vel motivo principali: utì, dono 100. aureos Titio meo consanguineo: lego Joanni 100. quos mihi debet: si Titius non sit consanguineus, & Joannes nihil debeat, non valet dispositio: si verò erret circa accidens, valet, ùt; Lego tibi meam domum, quam emi 1000. Imperialibus, valet legatum, etsi minoris emeris, aut pluris. Similiter validum censetur legatum, & donatio, si dicatur; Lego catenam inauratam, agrum 100. jugerum, etsi catena sit aurea, vel ager contineat 150. jugera; quia testator censetur esse voluisse liberalis erga legatarium, & absolutè donare, quod demonstravit, cumque de contraria ejus voluntate constare non possit, præsumitur pro valore actûs in favorabilibus. Aliud est, ubi de voluntate contraria constat, utì in contractibus onerosis: nemo enim censetur voluisse vendere catenam auream pro deaurata. 136. *Contractus sub demonstratione.*

Resp. 4. Si contrahentes se obligent sub pœna, solvenda à non servante contractum, solvi debet ab illo, qui culpabiliter non servat contractum, idque ante sententiam Judicis, si exigatur; si non exigatur, censetur remitti; quia ea videtur fuisse mens contrahentium, ne sumptibus, & lite opus sit. Ut tamen incurratur pœna, mora debet esse notabilis. 137. *Sub pœna.*

Resp. 5. Contractus in diem certò eventurum statim obligat, executio tamen non urget ante diem, ut si dicas; promitto tibi 100. solvendos 1mâ Januarii, vel: volo ut templo Parochiali nostro dentur mille, cùm pater meus morietur, 138. *In diem.*

aut Titio 200. cùm morietur: nam hoc ipso oritur obligatio, & jus transfertur quod transit ad hæredes; etsi ante adventum diei morereris: Si autem fiat contractus in diem non certò futurum, ut promitto tibi centum cùm filius meus ingrediatur religionem, obligatio suspenditur, ac si contractus esset conditionalis. Excipe nisi contractus sit remuneratorius, aut dies adjiciatur in gratiam solius v. g. promissarii: utì si promittas famulo propter fidelia obsequia 300. aureos, solvendos cùm religionem ingrediatur, ne ante illos absumat: hoc enim casu statim oritur obligatio, sique famulus ante ingressum religionis moriatur, jus transit ad hæredes. Lug. L. 3. Tr. 4. Cap. 4.

139. *Sub disjunctione.* Resp. 6, Si in contractu disjunctivo, vel alternativo disjunctio cadat in res diversæ speciei: v. g. Promitto tibi bovem, vel equum, ambæ obligationi sunt obnoxiæ, sed disjunctivè pro arbitrio promissoris. Unâ autem pereunte sine culpa promissarii, promissor tenetur dare alteram, nec sufficit dare pretium rei destructæ. Si autem res sint ejusdem speciei, differentes tantùm secundùm plus & minus v. g. 100. vel 50. aurei, solùm debetur, quod minus est; sique majus per errorem sit datum, restitui debet. in obscuris enim, quod minimum est, sequimur, Unde, si tribus sororibus 1000. sint legati, & dubium sit, an singulis 1000. hæres satisfacit dividendo in illas 1000. Si legaretur illis disjunctivè domus, vel pecunia, illis videtur esse optio, nisi verba aliud indicent; quia illa videtur fuisse mens testatoris.

QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

An validus sit Contractus initus cum voluntate quidem contrahendi, sed sine voluntate se obligandi, vel absque solennitate Juris præscripta?

Resp. Si intentio contrahendi prævaleat in- 140.
tentioni se non obligandi, sitque magis efficax, *Spectan-*
& absoluta, valet contractus, inducitque obli- *da in-*
gationem; quia tunc verè adest consensus in ob- *tentio*
ligationem: si verò prævaleat posterior intentio, *præva-*
vel utraque sit æqualis, contractus non subsistit; *lens.*
quia deest seria voluntas contrahendi, hæc enim esse non potest sine voluntate se obligandi, cùm contractui essentiale sit inducere obligationem: sed tunc propter injuriam, quâ injustè proximum bonâ fide tecum contrahentem decepisti, teneris stare contractu, & præstare, de quo exteriùs contraxisti: teneris enim amovere injuriam, habendo veram te obligandi intentionem, & obligationem implere, si alter velit.

An, & quando contractus, & dispositiones valeant, aut non valeant, factæ sine solennitate, seu conditionibus formâque præscriptis à Jure, aut contra legem irritantem, dixi *in Tract. de Legibus à n.* 229. *P.* 1.

QUÆSTIO IX.

Quinam possint, & quinam non possint Contractus inire validè?

Resp. Omnes illi possunt contrahere, qui, 141.
usu rationis præditi, habent liberam bonorum *Quibus*
est usus

suo-

rationis & admini-ſtratio bonorum ſuorum.

ſuorum adminiſtrationem, aut certè legitimam poteſtatem, factam ab eo, qui eam facere poteſt, idque pro menſura adminiſtrationis, & poteſtatis ſibi conceſſæ. Econtra contrahere non poſſunt, qui aut uſu rationis, aut adminiſtratione, legitimâque facultate diſponendi carent. *Ratio eſt*; quia poſito uſu rationis, & poteſtate diſponendi non ligatâ, nihil deeſt ad jus transferendum, & acquirendum: ſi autem uſus rationis deſit, vel facultas diſponendi; nequit humano modo, quo fieri contractus debent, jus voluntate propriâ transferri, aut acquiri. Undè contrahere non poſſunt 1mò furioſi, quo nomine in Jure veniunt omnes, qui defectum rationis patiuntur, utì amentes, Lunatici, Maniaci, Phrenetici, fatui, ſtolidi, ac ſtupidi, niſi dum lucida intervalla habent. 2. Infantes. 3. Ebrii. 4. Prodigi curatorem habentes. Hæc plana ſunt. Reſtant quæſtiones de certis quibuſdam perſonis propter variam de illis juris poſitivi diſpoſitionem, utì ſunt pupilli, minores, filii-familias &c. Sit itaque

QUÆSTIO X.

An, & quatenus Pupillus, & Minor poſſint contrahere, & Contractibus obligari?

141. *Infans, pubes, impubes, minor, &c.*

Nota Infans dicitur, qui ſeptennium ætatis necdum complevit. Pubes dicitur maſculus, qui annum ætatis decimum quartum; fœmella, quæ duodecimum complevit: antè dicuntur impuberes. Hi dicuntur pubertati proximi, ſi infantiam, ſeu ætatis annum ſeptimum egreſſi, reliquos annos ad pubertatem requi-

requisitos, media ex parte compleverint, nempe masculi decem cum dimidio; fœmellæ novem cum dimidio: tunc enim propinquiores sunt termino, quo pubertas incipit. Infantiæ autem proximi dicuntur, qui infantiam egressi, reliquos annos ad pubertatem requisitos, necdum media ex parte compleverunt: tunc enim propinquiores sunt termino, à quo desinit infantia. Porrò impubes, qui desiit esse sub patria potestate, vel per mortem patris, vel per emancipationem, dicitur pupillus: Si careat utroque parente, dicitur orphanus. Minor dicitur pubes, qui annum vigesimum quintum necdum complevit: hoc completo, dicitur Major. Pupillis etiam invitis datur tutor, minoribus volentibus curator, quandoque tamen etiam nolentibus in ordine ad lites, qui curator, semel acceptatus, repudiari non potest à minore, donec annum vigesimum quintum compleverit; nisi veniam ætatis, seu liberam rerum suarum administrationem à legitimo Superiore obtinuerit. Prodigo tamen etiam invito datur procurator: prodigus autem is dicitur, qui profusè dat, bonaque sua dilacerando, & dissipando profundit, adeoque terminos liberalitatis imprudens excedit. *His notatis*

Resp. 1. Pupillus cum authoritate tutoris, & minor cum authoritate, seu consensu curatoris contrahens, obligatur tam naturaliter, quàm civiliter, nisi contractus sit formaliter, vel æquivalenter alienativus bonorum immobilium, vel mobilium pretiosorum, quæ servando servari possunt, saltem per triennium. *Ratio est*; quia habetur sufficiens consensus, nec lex obstat: obstat autem, si alienentur bona immobilia, vel mobilia talia pretiosa; quo casu annullatur consensus 143. *Tenet contractus cũ consensu tutoris, vel curatoris de mobilibus nõ pretiosis*

sensus etiam tutoris, & curatoris, nisi accedat decretum Judicis ex prævia cognitione causæ, in scriptis probatæ. Habetur *L. 3. ff. de auth. & consensu Tutoris, & L. 22. Cod. de administ. Tutoris, vel Curatoris.* Porrò immobilia, & mobilia æquivalenter alienari dicuntur, si in iis constituatur hypotheca, vel servitus, aut de iis fiat transactio, conjuncta cum alienationis periculo.

144. *Non tamen sine eo, respectu pupilli, minoris, &c.* Resp. 2. Pupillus pubertati proximus, sine omni consensu tutoris, & minor sine curatoris, si quem habet, contrahens de bonis etiam mobilibus, nec pretiosis, nec castrensibus 1mò non obligatur civiliter ipse, obligatione saltem reali. 2. Probabiliter tamen obligatur naturaliter, saltem plerumque. 3. Non tamen firmiter; quia potest petere restitutionem in integrum. 1ma pars constat ex jure, & consensu omnium; quia pupillo, & minori non conceditur administratio. 2da pars probatur 1mò ex *L. Si pupillus. 51. ff. Ad Legem Falcidiam*, ubi dicitur pupillum, reddendo mutuam pecuniam, liberari naturali obligatione. 2. Ex *L. 1. ff. de novalibus*, ubi dicitur pupillum, sine authoritate Tutoris contrahentem, obligari naturaliter. 3. Ex *L. Marcellus. ff. de Fide-jussoribus.* Fide-jussor pupilli, pubertati proximi, obligatur civiliter obligatione fide-jussoriâ: atqui hâc non obligaretur, nisi pupillus obligaretur naturaliter; quia, deficiente obligatione principalis, non valet accessoria. Hæc sententia probabilis est, juxta quam, qui quid simile accepit à pupillo pubertati proximo, vel à minore per contractum justum, non tenetur id restituere ante sententiam Judicis. Neque sic fovetur injustitia per leges tollentes obligationem civilem; quia leges non tuentur pupillum, ut nihil solvat, aut solutum

repe-

repetat, quando in nullo læsus est; sed quando læsus est, concedunt actionem rescindendi contractum, suaque recuperandi, sublatâ jam obligatione naturali, quæ ex contractu orta erat: hinc nulla fit injuria.

Opposita tamen sententia non minùs probabilis est ob jura contraria: nam *L. Quòd pupillus* 41. *ff. de condictione indebiti*, expressè dicitur, pupillum ex ejusmodi pactis nullam contrahere obligationem naturalem: & *Inst. Quibus alienare liceat*, dicitur, pupillum, & pupillam non posse ullam rem sine Tutoris authoritate alienare, nec debitum solvere; cùm nullius rei alienatio sit eis concessa sine authoritate Tutoris: si mutuam pecuniam dederint, non contrahere illos obligationem; quia pecuniam non faciunt, accipientis, ideoque nummi vindicari possunt, si extent. Jam verò, quándo contractus per leges simpliciter irritantur sine expressa restrictione ad forum externum, probabiliter intelligi debent etiam pro foro interno, seu conscientiæ. *Ratio autem est*; quia ad validè contrahendum etiam pro foro conscientiæ requiritur libera administratio bonorum; illâ autem carent pupilli, & minores: hinc leges, quæ dicunt, pupillum sine authoritate Tutoris obligari, videntur intelligendæ de pupillo, qui factus est ditior ex contractu, & in quantum factus est ditior. AA. primæ sententiæ intelligunt has leges de obligatione utrimque efficaci, & firmâ, pro qua inducenda pupilli, & minores facultatem non habent disponendi.

145. *Probabilis sententia opposita.*

Dixi 1mò. *Sine omni consensu Tutoris*; Nam sufficit tacitus: sic contractus parvi momenti, & in quotidiano usu à pupillis, & minoribus initi, valent etiam civiliter: uti, si parva

va donent, quæ sunt in usu quotidiano, vel expendant in recreationes juxta conditionem suam, v.g. in lusum, parva emant, vendant: adest enim vel tacitus consensus tutorum, aut consuetudo in tantum legibus derogavit, permittentibus aliàs rescissionem. Eratque hoc utile pupillis, quibus alioquin nulla in re fidi potuisset.

Dixi 2. *De bonis nec castrensibus*; quia minor potest disponere de castrensibus non pretiosis, non tamen pupillus.

Dixi 3. *Pupillus pubertati proximus*: nam si sit proximus infantiæ, sine consensu saltem tacito tutoris nullam obligationem contrahit: leges enim contractus ejus omninò annullant ob defectum judicii sufficientis, vel ob periculum talis defectûs. *Inst. de inutili stipulat*,

Dixi 4. *Non obligatur civiliter ipse pupillus, vel minor*: nam pupillus pubertati proximus sine consensu Tutoris, & minor sine consensu sui Curatoris contrahit validè in suum commodum cum aliis majoribus, ità ut, licèt non ipse, alii tamen obligentur civiliter: Jura enim ità statuerunt, ut minoribus ætas subveniret in damnis, & in prosperè gestis non obesset. Addidi: *Cum aliis majoribus*: quia alii pupilli, & minores non magìs obligantur, quàm ipsi, cùm eodem privilegio gaudeant. Est quidem de essentia contractûs onerosi, ut non claudicet, sed utrimque obliget, quantum ex parte contrahentium; potest tamen id ab extrinseco impediri per legem, nempe sic statuentem in bonum commune, in quod & contrahens voluntate generali, quâ acceperat leges, consentit, etsi voluntate speciali, quâ hìc & nunc contrahit, fortè dissentiat. Hinc si pupillus, vel minor sine consensu aliquid emerit, non potest venditor compellere eum

eum ad dandum pretium. Si tamen pupillus vel minor velit stare contractu, potest cogere venditorem ad dandam mercem pro constituto pretio. Si pupillus accepit mercem pretio non soluto, tenetur vel hoc solvere, vel mercem restituere.

Dixi 5. *Non obligatur firmiter pupillus, & minor:* nam si per contractum læsus, aut incommodum passus est, gaudet beneficio restitutionis in integrum etiam 4. annis à completo anno vigesimo quinto, vel si veniam ætatis acceperit, quatuor annis à die obtentæ veniæ. Si dolo, vel justo impedimento impeditus fuerit intra illos annos, conceditur tempus aliud æquale impedito. Atque hoc privilegio uti potest, sive tutorem, vel curatorem habuerit, vel cum ejus consensu contraxerit, sive non. Quare potest rem, quam tradidit, repetere, vel pretium, de quo contraxit, cum fructibus, damno, & lucro cessante. *L. 7. cap. de rest. in integrum.* Si rem, vel pretium necdum tradiderit, v. g. pecuniam extraordinario lusu perditam, potest eam retinere; quia quando lex permittit repeti, tacitè permittit retineri: & universim lex negans actionem ad aliquid petendum, simulque concedens actionem ad repetendum, postquam solverit; dat facultatem possessori retinendi in utroque foro, nisi fortè juramentum accesserit. Si tamen contractus cum pupillo fuerit circa rem mobilem, & non pretiosam, servari aptam, potest stari contractu, donec pupillus, vel tutor rescindat: si enim non velit uti privilegio, censetur consentire. Excipe, nisi intervenerit ex parte altera injustitia.

Dixi 6. *Minor contrahens sine tutore, si quem habet:* nam minor carens tutore obliga-

tur tam civiliter, quàm naturaliter omnibus contractibus, quibus non alienantur immobilia, aut mobilia pretiosa, apta servari; gaudet tamen, si læsum se putet, beneficio restitutionis in integrum, sive curatorem habeat, sive non. *Ratio 1mæ partis est*; quia habet administrationem bonorum suorum, qualem haberet curator, si quis illi esset: unde sicut potest is alienare mobilia, non verò immobilia, ità & minor. 2da pars habetur *Cod. de in integrum restitutione minorum.* Estque paritas cum pupillis.

QUÆSTIO XI.

An, & quatenus validè possint contrahere Filii-familias, Uxores, Religiosi, Servi, & Prodigi?

146. *Quid possit Filius-familias* Resp. 1mò. Filius-familias impubes etiam cum consensu patris, & de bonis castrensibus contrahens, non obligatur civiliter. Habetur *Inst. de inutilibus stip. §. Pupillus.* In quo filius familias differt à pupillo, qui validè contrahit cum consensu tutoris. Cujus ratio est; quia pupillo satis cautum est contra tutorem, si hic suâ authoritate obfuit, non verò filio-familias contra patrem: nam pupillo datur actio contra tutorem, haberque omnia ejus bona eum in finem sibi hypothecata, qui etiam ad rationes tutelæ dandas obligatur; filio autem non datur actio contra patrem ob reverentiam erga eum, &c. Econtra si filius pubes sit, contrahens de bonis castrensibus, & quasi castrensibus obligatur naturaliter, & civiliter, quia horum dominium, & liberam administratio-

nem

nem habet. Excipe immobilia: & mobilia pretiosa, hæc enim alienando non obligatur civiliter, si adhuc minorennis sit, ex *L.* 3. *cap. de prædiis Min.* At de bonis profectitiis, & adventitiis disponere non potest, præterquam in casibus N. 43. relatis, quia eorum administrationem non habet secundùm dicta N. 43. & 44.

Resp. 2. Uxor non potest contrahere, vel disponere de dote, ejusque fructibus, nec de bonis familiæ, marito præsente, & valente bona illa administrare, rationabiliter invito; quia administratio bonorum illorum pertinet ad virum, utpote caput familiæ. Potest autem ipsa disponere de paraphernalibus, seu bonis, quæ præter dotem attulit, & sibi reservavit; quia horum & proprietas, & administratio ad ipsam pertinet. Dixi: *Marito præsente, & valente:* nam si absens, amens, vel fatuus sit, uxor bona familiæ dispensare potest: uti &, si maritus expressè, vel tacitè consentiat in expensas, & contractus uxoris, vel sit irrationabiliter invitus: uti, si recusaret necessaria ad uxoris, & familiæ convenientem sustentationem. In his casibus potest uxor uti bonis familiæ cum moderamine tamen. Vide dicta sub N. 46. 147. *Quid Uxor?*

Resp. 3. Contractus religiosi, absque consensu Prælati initus, claudicat ex parte religiosi, sicut contractus minoris cum majore: potest enim à Prælato approbari, si putetur esse è re Monasterii, & tunc erit utrimque firmus; vel reprobari, si putetur non esse è re Monasterii, & tunc corruet. Quare contractus ille non est omninò irritus, sed obligat naturaliter, donec 148. *Quid Religiosus?*

irritetur à Prælato. Quòd si adsit licentia Prælati tacita, eo ipso firmus erit.

149. *Quid Servus?* Resp. 4. Servus, seu mancipium potest invito etiam Domino celebrare contractum matrimonii, & alios circa bona, quorum dominium, & administrationem habet. Patet ex *L. Vix certis. ff. de judiciis*, & ex *Can. 9. de conjugio.* Testari an possint, dicetur infrà.

150. *Quid Prodigus?* Resp. 5. Prodigus, non habens curatorem, contrahit validè, civiliter, & naturaliter, etsi foret notoriè prodigus; quia dominium, & administrationem bonorum adhuc habet. Nec est restricta potestas alienandi. Quòd, si potestas alienandi sit ei specialiter interdicta, juxta Lugonem omninò nulliter contrahit, estque obligatio ei restituendi ante sententiam Judicis. Vide La Croix N. 682.

QUÆSTIO XII.

An, si Pupillus sine Tutoris, Minor sine Curatoris, Filius-familias sine patris consensu acceperit pecuniam mutuam, sit obligatio restituendi?

151. *An Pupillus?* Resp. 1mò. Si pupillus, vel minor habens curatorem ità accepit pecuniam mutuam, tenetur eam restituere, si impenderit in usus necessarios, & utiles; quia tunc æquivalenter existit in bonis ejus, quibus pepercit. Unde dicitur *L. 5. ff. de Auth. & consensu Tutoris*, naturaliter obligatur, in quantum est factus ditior. Et verè iniquum est quempiam locupletari cum damno alterius, maximè bonâ fide mutuantis. Si autem eam insumpserit in usus inu-

inutiles, non tenetur restituere, ex *Lege cit.* & *L. 59. ff. de obligationibus*, & *act.* ubi dicitur, pupillum mutuam pecuniam accipiendo, nequidem jure naturali obligari, si nempe non sit ditior factus. Excipe tamen, nisi mutuans ex circumstantiis prudenter judicaverit impendendam in usus necessarios, vel utiles: tunc enim æquitas naturalis solutionem exigit, nec leges intendunt privare debito alium, bonâ fide procedentem, & volentem gratificari.

Resp. 2. Filius-familias, seu constitutus sub potestate patris, vel nepos sub potestate avi, etsi pubes, & major viginti quinque annis, non tenetur in foro externo, præterquam in casibus exceptis, restituere pecuniam, quam mutuam accepit sine consensu tam tacito, quàm expresso patris, vel avi, & inutiliter consumpsit. Sic statuitur *L. 1. & seq. ff. de Senatûs consulto Macedoniano.* Hoc Senatus consultum dicitur Macedonianum, quia factum est occasione alicujus civis Romani, Fœnatoris, Macedonis nomine; qui Romæ pecuniam reddendam post mortem parentum, filiis-familias mutuans, his occasionem præbebat insidiandi vitæ parentum, ut iis mortuis haberent, unde redderent, & se liberarent molestiis illius Macedonis, debitum ex mutuo exigentis. Hæc exceptio convenit filio, & filiæ-familias, eorum parentibus, avo, & hæredibus, fide-jussoribus, si fuerint. Hinc non potest filius-familias huic privilegio efficaciter renuntiare; quia nemo potest cedere privilegio concesso in favorem alterius. *Lib. 1. ibid.* 152. *An Filius-familias?*

Dixi 1mò. *Non tenetur restituere pecuniam mutuò acceptam*; nam secùs est, si acceperit

res alias, v. g. vinum, oleum credito: modò illas non acceperit in fraudem legis, id est, ut ex rebus venditis pecuniam sibi compararet: fraus enim illa cederet in præjudicium aliorum, qui illo privilegio gaudent; & patrocinaretur delinquenti. Ratio autem est; quia lex tantùm agit de pecunia mutua: hinc, cùm legi naturæ deroget, ad alia extendi non debet.

Casus excepti. Dixi 2. *Præterquam in casibus exceptis:* nam tenetur ad restitutionem etiam in foro externo in sequentibus casibus.

1mò. Si tempore mutui accepti pubes habuit bona castrensia, vel quasi castrensia; aut fuerit miles: milites enim censentur esse sui juris.

2. Si publicè putabatur esse sui juris.

3. Si accepit pecuniam cum consensu patris saltem tacito, & prudenter præsumpto: utì, si accepit ad ea, ad quæ insumenda fuisset pecunia patris, v. g. ad emendos libros, studiis necessarios.

4. Si pecunia versa est in utilitatem patris: tunc enim censetur consentire pater. Habentur hæc omnia lege citatâ.

5. Juxta Less. & alios, si filius juravit, se soluturum; eò quòd juramentum, factum in favorem alterius, servandum sit, quando sine peccato servari potest: at cùm sic videatur lex eludi, & reddi inutilis, juramenti relaxatio peti, & dari à Prælato poterit. Pichler cum aliis tenet non obligari juramento, si cedat in præjudicium patris. Non cedit autem, si filius familias ex pecunia factus est ditior: tunc enim facilè solvere poterit sine præjudicio patris.

6. Si

6. Si mutuatarius major sit nobilis ; quia, ùt lex ibidem dicit, qui dat mutuum nobili, non debet suspicari illud insumendum esse rebus inutilibus, sed pertinentibus ad statum,

7. Si accepit mutuò, existens sub patria potestate, & postea emancipatus partem solvit : tunc enim tenetur & reliquum solvere.

8. Si filius familias 25. annis major publico fungatur officio : tunc enim prudenter judicatur habere facultatem accipiendi mutuò, & solvendi.

9. Si filius-familias mutuum per fraudem accepit, v. g. simulando sui juris se esse : tunc enim jure naturæ tenetur restituere, & lex dolo non favet, imò &, si factus sui juris debitum ratum habuit.

Dixi 3. *In foro externo* : Nam an in casibus, in quibus non conceditur actio, teneatur filius-familias in foro conscientiæ restituere, ubi factus fuerit sui juris, utrimque probabiliter disceptatur. Pro parte affirmativa, quam tenet Dicast. Reinald, & alii, est, tum quia lex positiva non debet derogare naturali, quando ad finem ejus id non requiritur : atqui ad finem legis Macedonianæ non requiritur, ut etiam post mortem patris deroget obligationi naturali : nam si mutuanti in foro externo non concedatur actio, nullum periculum parentibus à filiis imminet ; quin potiùs optabunt, longam parentibus vitam, ut diutius sint liberi ab onere solvendi : tum quia obligatio naturalis est in possessione, à qua per legem dubiam non debet excludi ; tum quia *L. 9. §. ultimo ff. de sen. consf. Macedon.* dicitur : si

filii-familias mutuum restituissent, non posse eos repetere solutionem per actionem indebiti, nec legem voluisse eos exonerare, & statim subditur *L.* 10. quia obligatio naturalis manet. Itâ P. La Croix L. 3. P. 2. N. 842. Pro parte negativa, quam tenet Laym. Less. Mol. Pichler Parte 5. Tit. 19. N. 146. Ratio affertur, quòd finis legis sit etiam, ne filii nimiis graventur debitis, & malos mores induant, adeoque exceptio sit perpetua, nisi pecunia adhuc æquivalenter existat, nolintque exceptione uti, quòd additur, quia *L.* 9. §. 2. dicitur, nihil interesse, an consumpti sint nummi, an adhuc existant in peculio. Vide Haun. Tr. 9. N. 329. Pichler L. 1. Ar. 35. N. 13. La Croix N. 842. Illsung Tr. 4. D. 2. N. 430.

QUÆSTIO XIII.

An contractus jure positivo irriti, vel irritabiles, ac cedente juramento de iis servandis promissorio, convalescant, & firmentur, itâ ut obligent etiam ex justitia?

Certum est 1mò, quòd juramentum promissorium validum obliget in conscientia, quando sine peccato impleri potest: id enim exigit reverentia erga Deum. 2. Certum est, quòd contractus jure naturæ irriti non convalescant per juramentum: cùm enim lex naturæ sit necessaria, si contractum irritet, non desinit irritare propter juramentum. Quæstio ergo tantùm est, an lex positiva, contractum irri-

irritans, vel infirmans, cesset eum irritare, vel infirmare, quando illi accedit juramentum promissorium de eo servando, adeoque contractus tunc sit validus, & firmus, non secùs, ac si nulla lex eum irritans extaret. Ad quod

Resp. 1mò. Contractus vi, vel metu injusto, aut dolo extortus, vel injuriam continens ab illo, cui juratur, Juramento non firmatur, ità, ut Juramento relaxato rescindi non possit; quia Jus naturæ exigit, ut tollatur injuria, & læsus in priorem statum restituatur: Juramentum autem non potest favere injuriæ continuationi: unde læsus potest petere Juramenti relaxationem, hâcque obtentâ, à contractu resilire. V. g. Si promisisti jurato alicui solvere usuras, promissio non firmatur Juramento, sed potes Juramenti relaxationem petere, & usuras non solvere. Si tamen non peteres Juramentum relaxari, tenereris solvere ex religione, non ex justitia, quia usurarius nullum Jus acquisivit: unde hic teneretur eas in conscientia reddere, tuque posses solutas repetere. 253.

Non convalescit contractus juranti injuriosus.

Resp. 2. Nec Juramento convalescit contractus irritus, si irritatio facta sit immediatè, & principaliter in bonum commune. *Ratio est*; quia hoc ipso contractus est in detrimentum communitatis, adeoque res promissa licitè præstari non potest, consequenter Juramentum est nullum. *Ex Cap. 28. de Jure Jurando. sic Cap. 12. de foro competente.* Dicitur Clericus non posse etiam cum Juramento renuntiare privilegio fori, utpote concesso principaliter statui Clericali, in cujus præjudicium pactio privati firmari non potest. Similiter matrimonium jure positivo irritum, Juramento non convalescit; quia lex irritans principaliter 254.

Nec irritatus immediatè in bonum commune.

liter respicit bonum, decentiamque communem, ùt patebit eunti per impedimenta singula juris positivi.

155. *Secùs est de irritato immediatè, & principaliter in bonum privatum contrahentium*

Resp. 3. Si autem irritatio facta sit immediatè: ac principaliter propter utilitatem privatam contrahentium, tunc contractus solo jure humano irriti, vel irritabiles nullam continentes injuriam ab eo, cui juratur, per Juramentum à pubere superadditum convalescunt, & confirmantur, eosdemque effectus habent, acsi lex nulla irritans existeret. Ità probabilior, & communior cum Laym. Less. Lugone, Haun. Sanch. contra Pichler L. 1. Tr. 24. N. 48. & alios probabiliter dissentientes, & contendentes, ex sola religione obligationem esse. Sed probatur responsio nostra ex Jure tum Civili tum Canonico: nam *Auth. Sacramenta puberum. Cod. Si adversus vendit. Cap. Cùm contingat, de Jure jurando. Cap. licet. eod. in 6.* & alibi sæpiùs præcipitur Judicibus, ut tales contractus Juramento firmatos inviolabiliter observari faciant, nec cuiquam adversùs eos patrocinentur. Nec intelligi ista possunt, id fieri ob ortam ex religione tantùm obligationem: nam Jura tribuunt actionem in foro externo. Dein *Cap. Quamvis 2. de pactis in 6.* Pontifex disertè ait: pactum, Juramento, nec vi, nec dolo præstito, firmatum esse, & servandum: quòd frustra additum est, si quæcunque pacta jurata, aliàs lege positivâ irrita, ex sola religione obligarent: nam Juramenta promissoria, etiam vi, & dolo extorta, saltem homini facta, obligationem religionis inducunt, quoties sine peccato servari possunt. Tales autem contractus sunt alienatio fundi dotalis, renuntiatio hære-

ditatis

ditatis paternæ facta à filia, contractus minoris sine authoritate curatoris, promissio non condendi testamentum, vel non instituendi certum hæredem, fide jussio mulieris, renuntiantis privilegio indebitè, quod habet ex Senatûs consulto Vellejano. Hi contractus firmantur Juramento, firmatique habent actionem in foro externo, obligant in conscientia, obligationemque transmittunt ad hæredes. Secùs dicendum in sententia opposita: Dixi autem: *A pubere superadditum*: Nam contractus impuberum, etsi sint pubertati proximi, Juramento non firmantur, cùm in Jure tantùm fiat mentio de Juramentis puberum, nec id à Jure Canonico sit correctum. Excipe tamen sponsalia impuberum, de his enim specialiter statuitur *Cap.* 10. *de Sponsalibus*, ut Juramento censeantur firmata.

Dices. Variæ leges civiles negant, contractus Jure nullos, per Juramentum convalescere. Resp. Illæ, aut de contractibus bono communi immediatè contrariis agunt; vel aliâ ratione prohibitis, qui utpote illiciti, Juramento non firmantur. At non omnes irritati sunt prohibiti, vel si leges illæ aliud velint, sunt abrogatæ per leges posteriores, utì ostendit Sanch ex *Auth. Puberum.* Nec ex nostra sententia sequitur, leges irritantes frustrari facilè posse suo effectu, aut infirmioris Judicii personis non satis esse provisum, eò quòd facilè adduci possent contrahentes, ut Juramento contractus firment: Nam leges irritantes volunt tantùm contractus illos esse irritos, aut irritabiles, nisi de iis implendis addatur Juramentum: hocque non facilè impetratur à plebejis, sed solet cum majore deliberatione fieri

fieri à puberibus : impuberum autem contractus Juramento non firmantur. Unde satis est provisum omnibus, præsertim cùm Juramentum sequatur naturam contractûs, non quidem quoad valorem ; quoad conditiones, tamen & limitationes. Deinde Divini Nominis reverentiæ non minùs, quàm privatorum bono consulendum est. Porrò Juramentum firmans contractum relaxari non potest, nisi ab eo, in cujus gratiam factum est; quia contractus Juramento firmatus stabile in eum Jus transfert, quo invitus privari non debet : Juramentum autem, contractum non firmans, relaxari potest à Papa, & ab Episcopo etiam in foro externo ; item à Judice sæculari indirectè, quatenus potest annullare acceptationem rei promissæ. Denique pro foro interno relaxari potest à Religiosis privilegiatis.

CAPUT II.

De Promissione liberali, & gratuita Donatione.

QUÆSTIO I.

Quid sit liberalis, & gratuita Promissio?

PRomissio 2plex est : nempe gratuita & simplex, quâ una tantùm pars alteri fidem suam obligat, altera reciproca, & onerosa, quæ est reciproca fidei obligatio ad aliquid præstandum. Talis reperitur in contractibus onerosis, v. g. venditione, sponsalibus, &c. de

prima

prima hìc nobis tantùm sermo est. Hoc præmisso.

Resp. Promissio est contractus, quo homo se homini obligat ad aliquid gratuitò præstandum, aut omittendum in ejus favorem. Dixi 1mò. *Qua homo se homini* : quia hìc sermo non est de promissione facta Deo, quæ votum dicitur. Dixi 2. *Se obligat* : Præscindendo, an ex justitia, an ex fidelitate. Per hoc differt promissio à nudo proposito, quod non obligat per se, nisi fortè ex virtute constantiæ. Dixi 3. *Ad aliquid præstandum, vel omittendum* ; quo indicatur per promissionem non transferri dominium, sed, si ex justitia obliget, Jus tantùm ad rem. Dixi 4. *Gratuita* : quia promissio tantùm obligat promittentem, non verò promissarium, nisi fortè ex consequenti ad gratitudinem. Si promissio obliget ex justitia, erit contractus gratuitus, si ex fidelitate, tantùm erit pactum, vel contractus latius acceptus. 156. *Definitio.*

QUÆSTIO II.

Quænam requirantur, ut promissio valeat, & obliget?

Resp. Requiruntur hæc. 1mò. Voluntas se obligandi saltem virtualis, & implicita, qualem censetur habere, qui seriò vult promittere, etsi de obligatione explicitè non cogitet. *Ratio est* ; quia sine obligatione contractus non est, ex hoc autem obligatio non nascitur, nisi à propria voluntate. 157. *Sit sincera, vera plene libera, de re possibili, licita, acceptata.*

2. Requiritur, ut sit plenè deliberata, cum plena

plena advertentia ad id, quod agitur; quia nemo censetur sibi onus, & obligationem imponere, nisi cum plena libertate, ùt dictum est N. 106.

3. Ut absit error, & dolus circa substantiam, & causam finalem: aliàs enim deerit consensus substantialis.

4. Ut sit spontanea: nam vi, vel metu injusto extorta, aut jure naturæ irrita est, secundùm dicta: aut irritabilis à promittente; quia ob injuriam acceptam habet Jus se restituendi in priorem statum, & sic data recipiendi: nam æquitas non patitur, ut quæ ex liberalitate fiunt, sint coacta; imò ad revocandam promissionem gratuitam sufficit, quod processerit ex metu reverentiali, quo quis repugnante voluntate consentit, eò quòd non audeat contradicere v. g. ob preces valde importunas, quibus si abnuat, molestiam non levem patietur.

5. Ut sit de re licita, & possibili; quia ad illicitum, & impossibile non potest dari obligatio. Hinc promissio rei jam alteri promissæ est invalida, etsi donatio, vel venditio valida foret factâ traditione; quia promissio esset de objecto illicito, nempe actione translativâ dominii; donatio verò pro objecto habet ipsum dominium, cujus est translatio, ùt dixi suprà. Valet tamen promissio homini facta de bono minore; licèt impeditivo, majoris; quia bonum minus potest magìs placere homini, quàm majus; secùs est de Deo.

Qualis debeat esse acceptatio promissionis?

6. Ut sit exteriùs manifestata, & acceptata. *Ratio est*; quia omne pactum debet constare mutuo duorum vel plurium in idem consensu, sique sit inter homines, debet fieri humano

mano

mano modo, id est, sensibili, seu ab homine perceptibili: & sicut in contractu oneroso imbibitur hæc conditio: si alter vicissim se obliget; sic in promissione hæc: si alter acceptet; nemo enim censetur, se velle obligare, donec alter acceptet, & rem sibi gratam fore declaret, cùm gratificari velit: unde ante acceptationem promissio etiam jurata revocari potest. Sique fiat præsenti, debet acceptari in continenti, vel quasi continenti: promittens enim non censetur velle diu consensum suum gratiosum suspendere. Si tamen materia sit favorabilis, ipsa taciturnitas regulariter reputabitur pro consensu ex regula Juris: *Qui tacet, consentire videtur*; quæ præcipuè valet in iis, quæ tantùm continent commodum tacentis. Secùs est, si materia non sit favorabilis, & in contractibus onerosis, in quibus tenet regula: *Qui tacet, non fatetur, nec utique negare videtur.* Cæterùm, si consensus promittentis moraliter perseveret, id, quod ex circumstantiis colligendum, potest adhuc per intervallum acceptari quandoque longum; debet tamen promissio acceptari, ùt intimata ab ipso promittente immediatè, vel mediante alio; quia jus ab illo tibi debet quasi præsens sisti, ut acceptes. Unde non sufficit, quòd aliunde, quomodocunque voluntatem ejus intellexeris, aut statueris acceptare, quidquid tibi promiserint aliquando homines, aut sint promissuri; quia sic non vult obligari promittens. Porrò potest quis acceptare promissionem per deputatum, & personam conjunctam, cum qua unam moraliter personam faciat; item per alium, qui ejus curam gerit, aut ex promissione com-

modum habet, v. g. pater pro filio-familias, Religiosus pro Monasterio, Prælatus pro Ecclesia sua, uxor pro marito. Econtra non tamen famulus pro domino, nec discipulus pro Magistro, nec filius emancipatus pro patre; quia nec sunt deputati, nec unam cum iis personam constituunt. Item potest acceptare Tutor pro pupillo, Curator pro minore, creditor pro socio, & juxta Sanch. Dicast. quivis privatus pro causa pia. ex *L. 45. ff. de soluto Matrimonio*, ubi id statuitur in favorem dotis, quod meritò extenditur ad causas pias. Acceptatio tamen, quæ ab alio fit, imbibit hanc conditionem: si promissarius approbet, unde ante hujus impletionem promittens non tenetur exequi; attamen tenetur non revocare priùs, quàm intelligat non approbari: neque, qui pro alio acceptavit, revocare, aut mutare potest: nisi fortè promissio facta esset in gratiam acceptantis, & non in gratiam ejus, pro quo acceptavit, cui nullum jus esset acquisitum. Vide La Croix.

158. *Opposita solvuntur.* *Dices* 1. Collatio Beneficii facta absenti, & ignoranti non potest revocari à Collatore.

2. Legati dominium acquiritur ab ignorante hoc ipso, quòd hæres adeat hæreditatem; ergo non requiritur acceptatio.

3. Possum jus v. g. ad debitum Petro ignoranti, & necdum acceptanti remissionem, remittere; ergo & sine acceptatione jus acquirere.

4. Quando ex prudenter præsumpto consensu domini accipio, vel retineo rem alienam, acquiro ejus dominium; ergo non est necesse, ut consensus manifestetur.

5. Pro-

5. Promittens Titio tenetur ex fidelitate facta conformare dictis; ergo promissa solvere, etsi alius non acceptaret, imò etsi animum non habuisset se obligandi.

6. Simplex promissio facta Reip. vel civitati ob honorem ab ea acceptum, vel accipiendum, vel ad damnum recuperandum, v. g. ex incendio, aliâve causâ obligat, antequam acceptetur, ùt habetur *L. 5. ff. De Pollicit.* Item facta infanti, vel Ecclesiis, aut piæ causæ.

Resp. *Ad 1mum.* Nec Episcopus, nec alius Collator est dominus Beneficii Ecclesiastici; sed Papa vi officii jure divino est principalis collator; hic autem non vult mutare voluntatem. Is tamen, cui Beneficium confertur, non acquirit ejus dominium, donec acceptet.

Ad 2dum. Legatarius non habet dominium de facto ante acceptationem, sed tantùm fictione juris, quod disponit, ut censeatur acceptâsse in puncto hæreditatis aditæ, siquidem postea reipsâ acceptet.

Ad 3tium. Non remitto debitum irrevocabiliter, nisi debitor acceptet; sed nec paritas est in promissione, vel translatione Juris, & remissione; cum enim homo sit naturâ liber à servitute, & debitis; voluntas ad id non requiritur ut fiat liber; sed sufficit, quòd alter nolit habere jus contra illum: ut autem acquirat dominium, ejus consensus requiritur, & quidem manifestatus, si dominium sit acquirendum dependenter ab alterius voluntate.

Ad 4tum. Ibi non est positiva translatio dominii, sed negativa tantùm, quatenùs dominus se habet, ac si res nullius esset, & permittit me

dominium acquirere ; at in promissione est positiva dominii translatio.

Ad 5tum. Tenetur facta verbis conformare non absolutè, sed ex hypothesi, si alter acceptet: hâc enim mente tantùm promisit. Si promissio fuit ficta, & non acceptata, mendacium quidem fuit, sed non obligat. Si sit acceptata, juxta Vasquez & Lugo obligat ex fidelitate, quæ exigit facta conformari dictis. Sed negant id alii; quia obligatio ex contractu provenire debet à voluntate alterius. Veracitas exigit, verba de præsenti conformari menti, non verò facta fidelitas, quæ obligat ex promissione sincera. Sed nec constantia exigit servari; quia promittens non voluit implere, nisi alter acceptet, vel antè is revocet.

Ad 6tum. Diversæ sunt responsiones: Lugo tenet, tales leges agere de promissionibus acceptatis, sed quæ sint sine stipulatione, & non habent in foro externo, si sint aliis factæ, actionem. Alii dicunt, tales promissiones acceptari à Republica per leges acceptatione antecedente. Alii denique dicunt, non obligare absolutè, sed secundùm quid, quatenus leges cavent, ne revocentur, irritamque reddunt revocationem: unde tandem obligare incipiunt, dum acceptantur, etsi antecessisset revocatio, utpote ex jure nulla. Juxta hos tamen non tenetur promittens civitati suam promissionem manifestare. Vide La Croix l. 3. p. 2. n. 768. ubi ostendit, sensum legum illarum esse incertum: in obscuris autem, quod minimum est, sequi licet.



QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quomodo Promissio acceptata obliget?

Resp. 1. Promissio gratuita de objecto possibili, & honesto, vel licito, acceptata ab eo, cui fit, obligat semper ex fidelitate, saltem venialiter. Est communis, & certa. *Ratio est*; quia recta ratio dictat, fidem alteri datam servandam esse, quique, quod promisit, non implet, cùm potest, fallit, & decipit, quod repugnat rectæ rationi. Dixi: *Saltem sub veniali*: nam dubium est, an fidelitas in materia gravi obliget sub mortali. Affirmat Sanch. de Matrim. l. 1. Disp. 5. Less. l. 2. cap. 18. n. 55. & alii; quia homines, si fides data in materia gravi violetur, apprehendunt aliquid valde affine Justitiæ, cujus violatio sit valde inhonesta, reddatque hominem odiosum, & valde contemptibilem, cùm dici possit perfidus, sicut frangens votum. Hæc sententia probabilis est. Negant quoque probabiliter Lugo d. 25. à n. 93. Molina, Dicast. aliique plures cum S. Thoma 2. 2. q. 88. a. 3. ad 2. *Ratio est*; quia potest quis se velle tantùm obligare ex fidelitate, & nolle dare alteri jus strictum ad rem, sed velle tantùm se exhibere liberalem, sincerè volendo in futuro præstare: hoc autem posito, si promissa non impleat, nullum alterius jus strictum violat, sed tantùm non conformat facta dictis, sicut mentiens non conformat verba menti. Id autem non videtur grave, neque nocet graviter convictui humano, id solùm sub levi culpa prohiberi, cùm præcipu-

159. *Quandoque ex fidelitate tantùm.*

um illius incommodum sit, quòd hominem indignum fide faciat.

160. *Quandoque ex justitia.* Resp. 2. Obligat quandoque ex Justitia sub culpa gravi, per se loquendo, vel levi pro quantitate materiæ, quando nempe promittens intendit alteri conferre jus strictum ad rem. Censetur autem id intendere, nisi aliud de mente ejus constet, saltem in foro externo, si juramento, vel publicâ scriptura, vel chirographo promissionem firmet; si promissio sit ad pias causas, in favorem dotis, fisci, boni communis, aliarumve causarum, quæ in jure dicuntur favorabiles. Item, qui ità promittit, ut, si res ad manum fuisset, certò statim eam tradidisset. Universim in foro interno standum est ejus intentione, de qua si dubium sit, pro libertate illius judicandum est, adeoque solùm ex fidelitate est obligandus. Dum promissio est vestita, forum externum præsumit obligationem Justitiæ, & dat actionem. Porrò notant AA. ad materiam gravem promissionis gratuitæ multò majorem requiri quantitatem, quàm quæ sufficiat ad grave furtum; quia promittens non censetur se velle in tanto rigore obligare, & promissarius non potest tam facilè esse rationabiliter invitus graviter, si contractus non servetur omninò gratuitus. Contradicit tamen Dicast. eò quòd æquè per istam promissionem, ac per alium titulum sit Jus acquisitum. Rectè monet Castrop. Disp. 2. P. 2. N. 6. considerandam esse causam promittendi, qualitatem promittentis, & promissarii, & rei promissæ. Ut res spiritualis promissa censeatur gravis, debet in æstimatione hominum esse gravis spectato ordine spiritualium: hinc una Missa audienda, non est materia gravis gratuitæ promissionis, & juxta multos

multos nec legenda, eò quòd negatio unius Missæ gratuitò promissæ non videatur apta ad dissolvendam rationabiliter amicitiam, vel graviter lædendam charitatem. Contradicit tamen Suar. & alii, eò quod Missa sit maximi valoris, causetque maximum fructum ex opere operato, sique Deo promittas legere, vel audire Missam, obligaris sub mortali. Sed in hoc disparitas est, quòd sit cultus Dei notabilis, exigatque reverentia erga infinitam Dei Majestatem, ut vota, quibus substat cultus Dei notabilis: obligent graviter.

Resp. 3. Promissio liberalis, ùt in communi hominum usu fieri solet, & extra casus jam dictos regulariter tantùm obligat ex fidelitate, & probabiliter tantùm sub veniali, nisi aliud ex verbis, aliisque circumstantiis colligatur. *Ratio est*; quia, cùm promissio liberalis ex sola promittentis liberalitate proveniat, qui potest se ex sola morali honestate obligare, is non censetur se obligare ex justitia: Nam, si non determinet, an velit se obligare ex justitia simul, an sub mortali, vel veniali, ùt ordinariè fit, non censetur se obligare, nisi ad id, quod requirit natura promissionis liberalis: hæc autem non requirit, nisi obligationem ex fidelitate, eamque probabiliter tantùm levem. Ità Lug. Mol. Spor. & alii. Et meritò: nam ità habet communis persuasio, haberetur que imprudens, qui promissum liberale tanto rigore, quanto debitum justitiæ, exigeret: unde rectè colligitur, purè liberaliter promittentibus deesse animum ùt plurimùm, se graviter, aut ex justitia obligandi.

161. *Extra casus relatos ordinariè obligat tantùm ex fidelitate sub veniali.*

Si dicas imò cum Sanch. Obligatio ad rem gravem, est gravis, atqui obligatio ex fidelitate in

162. *Solvun-*

tur opposita. in materia gravi est ad rem gravem. R. Si virtus ad eam graviter obliget, transf. dico transeat, quia possum ex voto me obligare ad rem gravem sub levi peccato, ùt docet ipse Sanch. potest legislator obligare ad rem gravem non necessariam sub levi. Si autem virtus non ità obligat N. sic in sententia negante actum in individuo indifferentem, toto die laborare sine intentione, referente laborem ad Deum, est rem gravem non referre in Deum, & tamen talis non peccaret ideo præcisè graviter.

Si dicas 2dò Promissio facta Deo, seu votum in materia gravi per se obligat graviter, etsi obligatio sit ex fidelitate, ergo fidelitas in materia gravi per se obligat graviter. R. con. antec. N. conseq. cùm violatio voti sit infidelitas irreligiosa, exigit Dei Majestas, ut non sit obligatio sub levi tantùm, dum votum est in materia gravi: crescit enim irreverentia pro dignitate personæ, cui promittitur, sic gravis est irreverentia Deum adducere in testem rei levis falsæ, non est tamen grave hominem inducere ad eam testandam sine juramento, & injuria tertii, vel alio testantis damno.

Si dicas 3tiò. Obligatio promissionis transit ad hæredes, ergo debet simul esse ex justitia. R. transf. ans. N. coam · nam obligatio filii ad sustentandum parentem indigentem transit ad hæredem filii, paritque actionem in foro externo, etsi solùm esset ex pietate, ùt plerumque. Obligatio voti realis transit ad hæredem, & tamen non astringit voventem ex justitia. Unde autem proveniat, quòd hæredem ex justitia obliget, non omnes eodem modo explicant: putant aliqui esse ex tacito contractu inter defunctum, & hæredem: hoc displicet tamen Lugoni; quia sequi-

sequitur, hæredem non obligari, si defunctus ante mortem declarâsset, se nolle hæredem obligari: unde tenet ille, esse ex eo, quod hæres ipso jure obligetur ad omnia onera realia defuncti, cujus personam repræsentat: bona autem defuncti obligata sunt: nam promittendo directè se, & indirectè bona sua obligavit: neque enim is debitor esse poterat, quin res, vel actio aliqua ejus esset debita: unde onus reale transit ad hæredes, sive sit ex justitia, sive ex fidelitate. Dixi trans. ans, quod licèt per se loquendo verum sit, posset tamen promissor, obligans se tantùm ex fidelitate, velle, & declarare non obligari suos hæredes homini: quod tamen si non faciat, obligatio fidelitatis transibit ad hæredes. Vide Lug. Disp. 20. N. 102.

QUÆSTIO IV.

Quandonam promissio acceptata, & valida revocari possit, & obligare desinat?

Resp. Revocari potest, & desinit obligare 163. *Si supervenit enormis ingratitudo, impossibilitas, mutatio magna status.*
1mò, si promissarius promittenti atrocem intulit injuriam, v.g. in honore, bonis, si vitæ sit insidiatus, si valde egenti nolit succurrere.

2. Si materia fiat inutilis, vel illicita, aut impossibilis. Si tamen impedimentum esset tantùm temporaneum, non extinguetur, sed suspenditur obligatio, donec impedimentum cesset. Quòd si id contingeret ex culpa promittentis, obligati ex justitia, hic teneretur de damno.

3. Si causa principalis cesset: ùt si promisisti Titio ob paupertatem ejus, & hæc jam sit sublata.

4. Si promissarius tuus non stet promisso tibi facto ex *Cap. 3. de Jure jurando*, & *Regula 75. Juris in 6.* quæ ait: *Frustra sibi fidem quis postulat servari ab eo, cui fidem à se præstitam servare recusat*: censetur enim non aliâ lege promissio facta, fitque tunc compensatio mutua.

5. Si promissor ob paupertatem incidentem ipse re egeat: hìc tamen potiùs suspenditur obligatio ad meliorem fortunam.

6. Generaliter, si ante rei promissæ traditionem status rerum, vel personarum ità mutetur, ut promissor juxta prudens judicium non censeatur se voluisse obligare in tali eventu: in promissione enim non continentur illi eventus, qui judicio prudentum fuissent excepti, si tunc menti occurrissent. Proinde pro his non est obligatio, cùm hæc non extendat se ultra intentionem promittentis: hinc si promisisti alteri mutuam dare pecuniam, & postea eâ ipse egeas, v. g. propter incendium, non teneris. *Nec obstat*, quòd promissio sit jurata; quia Juramentum imbibit easdem conditiones, quas promissio. In dubio, an status sit notabiliter mutatus, implenda est promissio; quia cùm te certo obligaveris, obligatio est in possessione, dubium solùm est, an sit sublata. Cæterùm conditiones faciliùs subintelliguntur in promissione liberali, quàm onerosa.

7. Cessat obligatio, si res in individuo promissa sine culpa promissoris pereat.

8. Si promisisti alterius actionem, cessat obligatio, si conatum convenientem adhibuisti: hunc enim tantùm promisisti.

9. Si

9. Si eandem rem promisisti Cajo 1mò, & deinde Titio, manet obligatio eam dandi Cajo, etsi Titio promiseris juratò; quia promissio fuit de objecto illicito, unde nec convalescit, etsi Cajus cederet jure suo: nam tractu temporis non firmatur, quòd ab initio non subsistit: secùs tamen foret, si 2da promissio facta fuisset sub conditione: si Cajus cedat Jure suo.

Notandum. Ut status dicatur debitè mutatus, debet difficultas superveniens esse extrinseca rei promissæ, & non annexa. Sic, qui vovit castitatem, etsi postea graves sentiat tentationes, quas si prævidisset, non vovisset, adhuc tenetur voto castitatis; quia promittens meritò censetur promittere secundùm omnes conditiones rei per se annexas. Idem est de vovente religionem, suscipiente ordines, & ignorante, votum castitatis esse annexum, si simpliciter, & absolutè professus est. 164. *Quando status censeatur satis mutatus*

QUÆSTIO V.

Quid, & quotuplex sit donatio?

Resp. 1. Est actio liberalis, quantùm est de se, translativa dominii rei alicujus: vel contractus, quò, quantùm est ex ipso, dominium rei donatæ gratis & liberaliter statim transfertur. 165. *Definitio.*
Dicitur 1. *Quo dominium transfertur*: Per quod distinguitur à commodato, deposito, precario, & pignore. Dicitur 2. *Quantum est ex ipso*: ut comprehendatur donatio verbalis, quâ donatur quidem res, sed nondum traditur, quæque ex dispositione Juris dominium rei donatæ non transfert, est tamen ex

natura sua sufficiens ad illud transferendum; in quo differt à promissione, quæ nec transfert dominium, nec ad illud transferendum est sufficiens. Dicitur 3. *Gratis, & omninò liberaliter*: Quia contractus onerosus, quique ob causam fit antecedentem, non est strictè dicta donatio; sed hæc fieri debet tantùm liberalitatis, & magnificentiæ exercendæ causâ. Hinc nec datio mutui, quæ exigit sortem restitui, nec donatio remuneratoria, nec solutio promissionis, est propriè dicta donatio; quia non fiunt ex mera liberalitate, sed supponunt causam antecedentem, nempe merita, & promissionem obligantem. Liberalis tamen debiti remissio est donatio: unde quando prohibetur donatio religiosis, non censetur prohibita donatio remuneratoria. Donatio quæcunque debet esse acceptata, libera à metu, vi injusta, dolo. Ex nomine donatio dicitur datio doni. Est autem donum datum gratuitum, seu non debitum, nec imponens alteri obligationem, etsi ex eo oriatur obligatio gratitudinis.

Resp. 2. Donatio alia est 1mò realis, &
166. perfecta, alia verbalis, & imperfecta. 2.
Divisio. Alia pura, & absoluta, alia qualificata, vel conditionata. 3. Alia inter vivos, alia mortis causâ. Realis est, quæ fit cum rei traditione, & hæc transfert dominium eo ipso. Verbalis est, quæ fit solis verbis sine traditione rei: ùt, si quis dicat: dono tibi meum equum absentem' Hæc, Jure sic disponente, ùt dixi, non transfert dominium, sed tantùm dat Jus ad rem, fundat tamen actionem, quá peti potest rei donatæ traditio. Donatio pura, & absoluta est, quæ fit sine ulla conditione, one-

re,

re, vel modo; qualificata est, quæ fit sub modo, onere, conditione, causa, estque quintuplex: nempe donatio in diem, conditionalis, modalis, causalis, & demonstrativa, quæ satis intelliguntur ex dictis. Donatio inter vivos est donatio absoluta translativa dominii inter vivos, seu quâ quis sic donat, ut se vivo velit rem esse donatarii. Mortis causâ est donatio conditionalis, quâ donans tantùm post mortem vult rem esse donatarii, idque sub conditione, nisi ante mortem revocetur. Sola donatio absoluta realis est stricta donatio; verbalis est velut promissio.

QUÆSTIO VI.

Quid dicendum, si Donatio, vel Promissio fiat absenti per literas, vel nuntium, &c.

Resp. 1. Donatio, vel promissio absenti facta per literas ad promissarium directas, vel per nuntium, aut Procuratorem debet acceptari coram nuntio, vel acceptatio ei saltem, vel promissori intimari, aliàs consensus non erit mutuò manifestatus. Coram nuntio tamen factâ acceptatione, valet donatio; quia hic est deputatus ad eam accipiendam. 167. *Debet esse acceptata.*

2. Si nuntius non sit Procurator, sed tantùm in mandatis habeat, ut intimet donationem donatario, vel promissionem promissario, & donator, vel promissor revocet voluntatem suam, priusquam intimatio facta sit, corruit donatio, etsi nuntio non innotuerit revocatio; quia voluntas donatoris nec moraliter existit, adeoque nec acceptari potest. Si verò nuntius sit Procurator, *Quid si revocetur ante intimationem?*

aut

aut nomine sui principalis donet, vel promittat, revocatio locum non habet, si nec Procuratori, nec promissario innotuerit, sed donatio validè acceptari potest; quia mandans tenetur ratum habere, quod mandatarius bonâ fide fecit ex illius commissione. *L.* 15. *ff. mandati.* Excipe tamen matrimonium.

Quid, si donator ante moriatur ante executionē

3. Si donatio, vel promissio erat facienda per procuratorem promittensque interim moriatur, hocque ignorans procurator donet, vel promittat, agit invalidè; quia mandatum gratiæ faciendæ regulariter exspirat morte mandantis. Excipe tamen, nisi mandatum fuerit ad pias causas; quia in harum præjudicium leges civiles nihil disponunt, prudenterque præsumitur promittens voluisse hanc suam voluntatem post mortem etiam impleri, utpote animæ profuturam. V. dicta p. 1. n. 211. & La Croix L. 1. n. 566. 816. & 876. Si autem nuntius sit missus non faciendæ, sed intimandæ promissionis, vel donationis factæ gratiâ, & promittens ante intimationem moriatur; donatio, & promissio validè acceptari potest, & tenebuntur hæredes promittentis; quia promissio, vel donatio ex parte ejus fuit valida, manetque impressa literis, aut nuntio, & est gratia facta, quæ morte concedentis non exspirat, ùt habet communior cum Suar. nec possunt hæredes promittentis talem donationem revocare, qui repræsentant defunctum in iis tantùm, in quibus ipse voluntatem non expressit, ùt habet communis. Econtra si interim promissarius moreretur, an ejus hæredes possint validè acceptare, dubium est. Negat Less. Castrop. Haun. eò quòd intentio promittentis directa fuerit in personam promissarii in se, quæ ampliùs non est. Affirmat Mol. Dicast.

eò

eò quòd repræsentent personam defuncti Hæc sententia locum habet, si ex circumstantiis constet, quòd promittens gratificari voluerit etiam uxori, prolibus, familiæ.

QUÆSTIO VII.

Quænam Donationes, & Promissiones sint Jure civili irritæ, vel infirmæ?

Resp. 1. Invalidæ, vel infirmæ sunt imò omnes donationes & promissiones eorum, qui secundùm dicta num. 141. contrahere non possunt. Item donationes & promissiones, quæ adimunt potestatem ultimò disponendi de rebus suis: quia hæ sunt contra bonos mores civiles, id est, quos expedit esse in Republica bene ordinata: hinc non valet promissio non condendi, vel non revocandi testamentum, non instituendi alium hæredem, nisi talem, vel talem. Item donatio omnium bonorum tam futurorum, quàm præsentium invalida est inter vivos, valet tamen, si fiat mortis causâ; quia tum, cùm revocari possit pro arbitrio donantis, non privat facultate testandi: uti &, si fiat ad pias causas, contra quas leges civiles non possunt disponere. Similiter donatio pura, unâ vice facta inter vivos, excedens 500. solidos, seu ducatos aureos nostræ monetæ, est quoad excessum infirma Jure positivo, nisi fiat cum insinuatione apud Judicem, & referatur ad acta publica. *L. pen. C. De Donat.* 168. *Eorum, qui contrahere non possunt.*

Dixi: *Donatio pura, vel merè liberalis*; nam juramento firmata, remuneratoria vel facta ob causam, v. g. studia, dotem, militiam, subsidium pauperum, &c. valet, & firma per se est etiam pro foro externo.

Dixi 2. *Jure positivo*: nam Jure naturali valet, potestque retineri, quod sic datum est, donec à donante repetatur, vel rescindatur à Judice: nam donatio reprobatur tantùm sub conditione, si repetatur, aut irritetur per Judicem.

169. *Quid de donatione mariti factâ uxori?* Resp. 2. Donatio pura inter vivos, facta conjugi à conjuge, non est firma, sed ad arbitrium donantis regulariter revocabilis, nisi juramento, vel morte donantis firmetur. Est communis ex *L.* 1. 2. & 3. *ff. De Donatione inter virum & uxorem.* Ubi talis donatio declaratur ipso jure invalida. Ejus variæ sunt rationes, ne conjuges, amore excœcati, spolient se bonis suis in detrimentum prolis educandæ, & elocandæ, ne detur causa dissidii, si conjux alteri denegaret, quod ei validè donare posset. Unde constitutio extendi imò debet ad donationes factas per personam interpositam; ùt, si des Titio, ut det uxori tuæ. 2. Ad donationes factas inter sponsos cum intentione, ut non habeant effectum, nisi secuto Matrimonio; si enim pro ante effectus intendatur, validæ erunt. 3. Ad venditiones factas infrà justum pretium animo donandi. Item ad condonationes debiti vel partialis, vel totalis; non tamen ad alios contractus, v. g. venditionem, mutuum: hi enim inter conjuges validi sunt. 4. Ad personas proximè conjunctas: unde mariti pater avus, proavus paternus, filius, frater, soror, non potest donare uxori, nequeècontra proximè cognati uxoris donare possunt marito. Non prohibentur tamen donationes modicæ, quales etiam extraneis facere possunt. Patent hæc ex legibus citatis apud Auctores passim.

Dixi 1. *Donatio pura*, & inter vivos; quia dona-

donatio ob causam, v. g. ad dignitatem acquirendam, domum instaurandam, utì & donatio mortis causâ valet.

Dixi 2. *Regulariter*: nam excipitur, si donans inde non fiat pauperior: utì, si repudiet hæreditatem, vel legatum in favorem conjugis ex substitutione. vel ab intestato successuræ; aut si maritus uxori dotem remittat. Similiter, si donatarius ex donatione non fiat ditior: utì si vir donet uxori ad unguenta, eleëmosynas, &c. Item si sint personæ Principes, aut quid sibi legaverint.

Dixi 3. *Nisi juramento, &c. firmetur*: nam post factam traditionem mors donantis, ejusque juramentum de non revocanda donatione faciunt eam omnino firmam.

Resp. 3. Donatio patris pura, & inter vivos facta filio, in ipsius patria potestate constituto, est infirma, & revocabilis, nisi juramento, aut morte patris firmetur. Est communis ex *L. Cùm de bonis. Cod. De donationibus.* 170. *Quid de donatione patris factâ filio-familias?*

Dixi 1. *Patris*: nam donatio matris facta filio familias, utì & donatio avi, & aviæ maternæ valet irrevocabiliter; quia non est sub potestate matris, neque censetur cum illa civiliter una persona, sicut cum patre.

Dixi 2. *Pura*: nam facta ob causam, v. g. nuptias, Religionis ingressum, Ordines sacros, militiam, in remunerationem obsequiorum, est firma, & irrevocabilis. An autem sic donata post mortem patris sint in divisionem hæreditatis cum aliis liberis adducenda, spectanda est consuetudo. Tamb. in Decalogum L. 5. c. 4. §. 2. num. 4. censet esse adducenda, non tamen, quæ dat pro solenni convivio in nuptiis, prima Missa, ingressu Religionis. Alii

tenent,

tenent, quæ dantur ob Matrimonium, vel Ordines sacros, spectare ad alimenta: potest autem pater pro libitu majores sumptus facere in unum filium, quàm in alium, sive ad victum, sive ad vestitum, aut famulitium spectent; & filius, qui hæc accepit, non tenetur cum aliis fratribus in divisionem hæreditatis ista referre, nisi id pater fortè in certo casu expresserit: si enim alimenta deberent computari, filii natu majores in divisione hæreditatis deberent minus accipere, nisi fortè plùs laborassent pro ea augenda.

Dixi 3. *inter vivos*: nam donatio mortis causâ hic non comprehenditur.

Dixi 4. *in ipsius potestate adhuc constituto*; quia irrevocabiliter valet donatio à patre facta filio emancipato, & filio illegitimo; quia hic non est sub patria potestate.

Dixi 5. *Est revocabilis*; quia facta filiofamilias non est omninò invalida, alioquin filius ne licitè quidem rem possideret, fructusque perciperet, nec absque novo consensu patris dominium ejus acquireret, quod utrumque falsum est juxta communem.

Dixi 6. *Nisi juramento, vel morte patris firmetur*: nam morte patris ità firmatur donatio realis, ut retrohatur ad tempus, in quo facta fuit, & res cum fructibus perceptis spectet ad filium, dummodo non excedat 500. solidos, & facta non sit sine insinuatione, aut non fuerit coacta v. g. ad liberandum filium ex carcere, in quem ob delictum conjectus fuit: hoc enim, mortuo patre, in divisionem hæreditatis venit, nisi aliud pater expresserit. Quales donationes prohibeantur Religiosis, Vid. La Croix n. 808. L. 3. p. 2.

QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

Quas ob causas Donatio valida, & acceptata revocari licitè possit?

Resp. Donatio inter vivos legitimè facta, etsi executione completa, triplici ex causa revocari potest. 1ma est: Ingratitudo donatarii, ex *L. ultima. Cod. de revocatione Donat.* & *cap. ultimo. De Donatione*; ùt, si donatarius gravem injuriam inferat in honore, vel bonis fortunæ, vel per se, aut alium violentas manus injecerit, vitæ sit insidiatus, morte etiam non secutâ, vel inopiâ pressum non aluerit. Hæc pœna, juxta Dicast. incurritur etiam ante sententiam Judicis, juxta alios non debetur ante illam. Excipe tamen donationem factam Ecclesiæ, utpote factam principaliter Deo, qui ingratus esse non potest. Item donationem remuneratoriam, quæ in odiosis non venit nomine donationis; item factam filiæ in dotem; item, si donator, sciens ingratitudinem, potuit revocare, & non revocavit: tunc enim censetur remisisse. Secùs si, morte, vel vi, metu, vel dolo, aut alio modo impeditus revocare non potuit.

171. *Causa 1ma: Ingratitudo donatarii.*

2da est: Proles præter exspectationem nata: ùt, si donatori, post magnam partem bonorum liberaliter donatam, inexspectata nascatur proles legitima. *L. 8. Cod. De revocatione Donationis*; quia præsumitur eâ conditione facta donatio, si non nascatur proles: non enim censetur voluisse liberos suos privare legitimâ.

2. Legitima proles non exspectata, postea nata.

3tia: Donationis inofficiositas. Inofficio- *3. Inof-*

ficiositas donationis. sa autem dicitur donatio, quæ fit contra officium pietatis liberis, vel parentibus debitæ: ùt, si per eam filii priventur suâ legitimâ, seu parte hæreditatis secundùm leges iis debitâ. Hoc casu post mortem patris possunt liberi à Judice petere donationis revocationem, non quidem in toto, sed in quantùm imminuit debitam illis legitimam; idque etsi donatio esset juramento firmata; quia, sicut donatio imbibit conditionem, nisi proles sit nata, nisi donatarius fuerit ingratus, nisi obsit legitimæ prolium; ità & juramentum.

Ob aliàs tamen causas donatio revocari non potest; quia jure naturæ valet, & leges jus revocandi non concedunt nisi ob causas relatas.

QUÆSTIO IX.

An Donatio facta ad certum finem sit valida, & firma, si finis ille non præstetur?

172. *Non valet, si finis sit causa principalis, & non impleatur.* Resp. Si donator intendat obligare ad certum finem, hoc non præstito, si causa principalis sit donandi, donatio corruit, & res donata restitui debet; quia donator non voluit absolutè donare irrevocabiliter, sed sub conditione finis positi voluit firmam esse donationem. Si autem non intendit obligare, sed allicere tantùm, vel subministrare media ad finem procurandum, si placuerit; valet donatio, & firma est, etsi finis non sequatur; quia tunc donatio est absoluta: datur enim donum tanquam aptum ad finem obtinendum, non sub conditione, si obtineatur, si actu alliciat. Unde potest donatarius acce-

ptare

ptare donum, & retinere, etsi non habeat animum præstandi; quod cupit donator. Sic potest puella acceptare legatum, ut nubat, etsi nolit nubere; debet tamen abesse fraus, & dolus: nam si quis simularet animum v. g. pro aliquo intercedendi, & sic alium alliceret ad donandum, peccaret acceptando, tenereturque restituere.

QUÆSTIO X.

Quid observandum de Donatione mortis causâ?

Resp. Cùm conveniat in quibusdam, & in quibusdam differat à testamento, legatis, &c. 173.
commodiùs intelligetur, ubi constabit de aliis ultimis voluntatibus, de quibus dicetur in fine hujus Tractatûs.

Explicatur infra n. 273.

CAPUT III.

De Deposito, Commodato, Precario; & Mandato.

DEpositum, Commodatum, &c. etsi quandoque accipiantur objectivè pro re deposita, commodata, &c. hìc tamen accipiuntur formaliter, nempe pro contractu, quo res denominatur deposita, &c.



QUÆSTIO I.

Quid sit Contractus Depositi, seu Depositum, & quæ Depositarii Obligationes?

174. *Definitio.* Resp. 1. Est contractus, quo aliquid, præsertim mobile, gratuitò custodiendum traditur alteri, & ab hoc suscipitur eo fine, ut idipsum in individuo, quando deponenti libuerit, restituatur. Ejus species est sequestrum, quod est contractus, quo res controversa deponitur apud tertium impartialem, qui propterea sequester nominatur, eo fine, ut post sententiam Judicis vincenti tradatur. Dicitur 1. *Depositum, est Contractus*; quia non sufficit, rem quomodocunque apud alium deponi, sed debet deponi ad custodiam cum quadam obligatione depositarii, ejus curam suscipientis, qui proin suum in id consensum debet manifestare, vel explicitè v. g. verbis, vel implicitè v. g. facto aliquo, ùt faciunt nautæ, caupones, aurigæ, &c. qui, dum vident ab itinerantibus deponi res suas in navi, domo, curru, spondent earum curam, nisi contradicant. Dicitur 2. *Custodiendum*: si enim ad usum traderetur gratìs, esset commodatum, vel mutuum; si pro pretio, esset locatio. Dicitur 3. *Ut idipsum in individuo restituatur*; quia in deposito non transfertur rei dominium: unde si deponens det depositario facultatem utendi re fungibili, sitâ in pondere, numero, mensurâ cum obligatione tantundem restituendi, contractus ille habebit aliquid admixtum de mutuo. Dicitur 4. *Ut, quando libuerit deponenti,*

deponenti restituatur; quia hic contractus spectat commodum deponentis: unde, si conventum esset de trium annorum custodia, posset nihilominùs maturiùs repetere; quia terminus ille tantùm fuisset adjectus ad finiendam depositarii obligationem.

Resp. 2. Depositarii obligationes sunt sequentes: 1ma. Tenetur rem depositam servare, ac custodire eâ curâ, ac diligentiâ, quam homines diligentes solent adhibere simili rei propriæ conservandæ: ad hoc enim se obligavit suscipiendo custodiam: unde, si res deposita pereat ex dolo, vel culpa ejus lata, tenetur ad restitutionem; imò etiam ex culpa levi in foro externo, si pro custodia rei acciperet pretium; quin & ex levissima, si res fuisset deposita in solius depositarii utilitatem, v. g. pecunia, ut ea, si egeat, uti posset: sed hic non esset contractus puri depositi. 175. *Obligationes depositarii.*

2da. Tenetur non uti re depositâ sine consensu Domini expresso, vel tacito, aut saltem prudenter præsumpto; quia non licet re alienâ uti sine consensu Domini: hinc sic utens re depositâ, *L. 3. Cod. depos.* dicitur reus furti; sique usus sit pretio æstimabilis, ùt usus vestis, equi, &c. solvi debet illius pretium; cùm usus, & fructus rei ad dominum rei pertineat. Dixi: *Sine consensu saltem præsumpto*; præsumitur autem consensus Domini, & excusat à furto circa usum pecuniæ depositæ, traditæ in sacculo nec clauso, nec obsignato, quando Dominus nullo indicio ostendit se negare facultatem utendi, & recipiens moraliter certus est, se, quando restituenda erit, habiturum pecuniam æquè bonam in quantitate, & qualitate; quia tunc nulla fit injuria deponenti, quin po-

tiùs ejus negotium utiliter geritur: nam si res periret in tali casu, non deponenti, sed depositario periret. Unde sic utens non peccaret, sique postea intelligeret, Domino displicere talem usum, non teneretur pro eo solvere, nisi in quantum factus esset ditior ex rei fructu, vel ex usu suis pepercisset. Imò si invito Domino pecuniâ depositâ uteretur citra periculum damni Domino inferendi, non videtur peccare graviter, fieretque Dominus lucri ex negotiatione provenientis, quia non est fructus pecuniæ, sed industriæ.

3tia. Tenetur rem depositam repetenti reddere statim; quia aliàs rem alienam haberet, invito rationabiliter Domino. Excipe, nisi depositor eam repeteret in suum, vel aliorum damnum: ùt, si furens repeteret ensem; tum enim retineri eum, non potest esse rationabiliter invitus; vel nisi res sit furtiva, & Dominus eam repetat. Imò etsi Dominus eam non repetat, adhuc probabiliùs reddenda est Domino, etsi *Lib. 1. ff. de depos.* dicatur reddenda furi: vult enim lex huic reddi, si putetur fur eam petere, ut eam reddat Domino. Ità Less.

4ta. Si depositor depositario, vel alteri quid debeat, non potest depositarius ex re deposita compensare in foro externo; in foro tamen interno, si debitum sit certum, & aliâ viâ obtineri non possit, rem depositam licitè retinebit, dum depositor satisfecerit.

5ta. Si res deposita præter culpam depositarii incipiat deteriorari, monendus est Dominus, qui tenetur ad expensas pro conservatione rei. Si Dominus moneri non possit, nec res conservari, vendenda est, & pretium Domino

mino asservandum : suscepit enim depositarius rem conservandam, vel in natura, si possit, vel in æquivalenti, si non possit conservari in se.

Quæres, quid ad hunc casum? Cajus Civis Trevirensis, emit extra urbem frumenta, eaque deposuit apud Titium, suo tempore vehenda Treviros: Titius cùm haberet frumenta æquè bona, aut fortè meliora, Caji frumenta vendidit, volens sua, quæ Treviris habebat, illi tradere, ne cogeretur cum expensis Cajus sua vehere Treviros: sed antequam sua Titius traderet Cajo, per incendium cum granario perierunt. Quis tenetur ferre damnum? Resp. 1. Damnum videtur ferendum Cajo deponenti, quia Titius depositarius ex consensu rationabiliter præsumpto, frumenta Caji cum suis permutando fecit sua, & tanquam sua vendidit, suorum autem, quæ Treviris habuit, dominium, transtulit in Cajum, consequenter huic perierunt: sicut enim consensus, præsumptus rationibiliter, sufficit ad rem alienam retinendam, ejusque dominium acquirendum: sic videtur hìc sufficere. Ità Lugo, & Molina. Resp. 2. Probabiliùs damnum ferendum est Titio depositario: nam Cajus, deponens apud eum, sua non censetur consentire in permutationem, nisi cum obligatione, ut Titius depositarius sua frumenta tradat, sicut deponentis Caji frumenta occupavit, & vendidit. Si dicas: si res deposita inciperet deteriorari, & depositarius ex præsumpto Domini consensu eam venderet, ubi Dominus moneri non potuit, pretium autem sine culpa depositarii auferretur, damnum ad deponentem pertineret; ergo à pari. Resp. Non est

176. *Resolvitur casus.*

est paritas : nam frumenta Titii jam combusta, erant adhuc sub dominio Titii; cùm Cajus non præsumatur consensisse in permutationem, nisi sub conditione, si traderentur sibi frumenta Titii ; at verò pretium, proveniens ex re deposita vendita, erat sub dominio deponentis ; quia hujus nomine depositarius rem, quæ incipiebat deteriorari, vendidit. In altero casu Titius egit nomine suo, cùm deponens Cajus non censeatur absolutè consensisse.

QUÆSTIO II.

Quid sit Precarium, Commodatum?

177. *Definitio.* Resp. Commodatum formaliter acceptum, est contractus, quo res sive immobilis, sive mobilis, sui usu non consumptibilis, ad solum usum gratuitò conceditur, ut post tempus determinatum eadem numero restituatur. Precarium autem est contractus, quo res ad nutum revocabilis conceditur gratuitò ad solum usum. Unde differt à commodato tantùm, quòd possit quovis tempore repeti à concedente. Ne tamen sit illusorium, & non beneficium, non debet in continenti repeti. Dixi 1mò. *Res sui usu non consumptibilis* : nam aliàs commodari non poterit : ùt vinum, frumentum, cujus usus est consumptio. Dixi 2. *Ad solum usum* ; quia dominium non transfertur. Dixi 3. *Gratuitò*; alioquin enim erit locatio, & non commodatum tantùm.



QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quæ ſint obligationes Commodatarii?

Reſp. Commodatarius tenetur ex Juſtitia 1mò non uti re commodatâ, niſi ad uſum ſibi conceſſum, aut ſaltem nonniſi ex conſenſu Domini prudenter præſumpto; quia ad alium non habet Jus. Proinde arrogaret ſibi uſum rei alienæ invito Domino, ſique ideo damnum pateretur Dominus, teneretur reſtituere. 178. *Obligationes commodatarii.*

2. Tenetur rem commodatam elapſo tempore definito reſtituere, etſi non repetatur, cùm dies ſtatuta pro Domino interpellet. Ex *Cap. ultimo de locato.* Ratio eſt; quia ad hoc ſe obligavit, & ultra rei uſum non habet: unde, ſi in mora culpabili ſit, tenebitur omne lucrum ceſſans, & damnum emergens Domino compenſare; quia injuſta illorum foret cauſa.

3. Tenetur ad expenſas ordinarias, & modicas pro rei commodatæ conſervatione, v. g. ad pabulum equi; non tamen ad extraordinarias, v. g. ad curationem equi pretioſam, ad reſtaurationem domûs, ſed ad has tenetur commodans. *L.* 18. *ff. de commodat.*

4. Si commodatum cedat in ſolius commodatarii utilitatem, tenetur ad exactiſſimam diligentiam, ac curam pro re integrè, & in bono ſtatu conſervanda: hanc ſi non adhibeat, tenebitur ſaltem in foro externo de damno, ſi res pereat, vel deterior inde fiat. *L.* 18. *ff. de commodat.* unde ſi rem remiſit per aliquem non ſatis idoneum, & periit, tenetur compenſare. Si tamen talem elegit, qui liber

est suspicione malitiæ, quoque solet uti ad sua negotia, censetur esse extra omnem culpam. Si verò commodatum sit in utilitatem utriusque, tenetur ad diligentiam tantùm ordinariam, quam homines diligentiores in ejusmodi solent adhibere; adeoque tantùm ex culpa levi ad compensationem damni in foro externo. De interno dicetur N. 316. Si denique cedat in solius commodantis utilitatem, tenetur tantùm ad diligentiam, quam ordinariè solent adhibere in ejusmodi rebus homines diligentes, adeoque ex culpa tantùm lata ad compensationem, si res pereat: uti, si roges aliquem, ut pro te in certum locum ferat epistolam, & commodes illi equum pro itinere.

5. Si in casu incendii, naufragii, ruinæ non potuit simul suas, & res commodatas salvare, potuit quidem suas, pretiosiores alienis commodatis, præ his conservare; quia non exigit æquitas, ut quis majore suo damno avertat alienum minus: si tamen res commodatæ pretiosiores fuerint, & æquè has potuit conservare ac suas, tenetur ex justitia præferre commodatas. Secùs, si eas servare non potuit. *Ratio est*, quia rei alienæ commodatæ ea debetur custodia, quam quisque prudens suis adhiberet; quisque autem servaret suas pretiosiores præ vilioribus: & in hoc casu juxta Less. & alios, si res commodata fuit in tuam solius utilitatem, non potes rei tuæ neglectæ compensationem exigere; eò quòd tantùm tui commodi occasione res commodata in periculum venerit. Si autem commodata fuit in solam commodantis utilitatem, potes exigere totius damni compensationem; quia rem, in commodantis tantùm utilitatem detentam, non teneris cum tuo damno servare. Si denique com-

commodata fuit in utriusque utilitatem, potes exigere damni dimidii compensationem; quia res periclitabatur utriusque causa, & æquum est, ut, qui sentit commodum, sentiat & damnum pro ratione commodi.

Quòd si res commodatarii fuit æquè pretiosa, potuit suam præferre; quia non tenetur potiùs rei alienæ, quàm suæ consulere. Excipe, nisi rem commodatam habeat in suam solius utilitatem; tunc enim tenetur ad exactissimam diligentiam, nec tunc tenetur commodator compensare damnum, cùm res ejus commodatarii solius causa in periculo fuerit, æquumque sit, ut, qui solus in contractu commodum habet, patiatur & solus damnum, præstando id, ad quod tenebatur. Secùs dicendum, si contractus fuit in solius commodantis, vel utriusque commodum. Porro qui rem suam præ commodata conservat, dum tenebatur hanc suæ præferre, tenetur ad restitutionem ob injuriam damnosam. Atque hæc valent etiam de re deposita, conducta, oppignorata, &c.

QUÆSTIO IV.

Quænam sint obligationes commodantis?

Resp. Obligationes commodantis sunt sequentes: 179. *Obligationes commodantis.*

1mò. Tenetur vitium rei commodatæ aperire, si sit periculosum; aliàs tenetur de damno inde secuto: sique ex vitio intrinseco, usu permisso accedente, deterioretur, aut pereat, damnum est commodantis.

2. Tenetur ad expenſas extraordinarias, & graves, v. g. ad curandum equum, qui abſque ulla commodatarii culpa læſus eſt, vel æger.

3. Ad non repetendam rem commodatam ante tempus, de quo expreſsè, vel implicitè conventum eſt; quia Jus utendi re ad illud tempus tranſtulit: hinc ſi repetat antè, tenebitur ad intereſſe. Excipe, niſi improviſo caſu re egeret, ità ut gravius, vel æquè grave damnum pateretur, ac damnum, quod ſubire cogeretur commodatarius, non obſtante, quòd hic tempore contractûs facti ab alio habere potuiſſet, nunc autem non poſſit; quia commodans non cenſetur ſe obligâſſe ad non repetendam rem pro tali caſu, cùm dominium retineat, & gratuita ſit conceſſio.

QUÆSTIO V.

Quid ſit mandatum, & quæ obligationes mandatarii, & mandantis?

180. *Obligationes Mandatarii.* Reſp. Mandatum, ùt hìc accipitur, eſt contractus, quo obligatio aliquid agendi in commodum alterius gratìs ſuſcipitur, v. g. negotium aliquod illius agendi, aliquid emendi, vendendi, &c. Dixi: *Gratìs;* nam ſi erga pretium ſuſcipiatur, eſt potiùs locatio operæ. Dicitur etiam officium gratìs ſuſceptum in gratiam alterius: non poteſt autem eſſe, niſi de re licita, exſpiratque re integrâ, morte mandantis. *L. 15. Cod. Mandati.*

Mandatarius autem, & quivis negotiorum geſtor, vel procurator tenetur 1mò alterius negotium diligenter, ac utiliter gerere tanquam proprium; quia ad hoc ſe obligavit, acce-

acceptando mandatum ; & quamvis voluntatis liberæ sit hoc suscipere, necessitatis tamen est hoc consummare : unde conformiter dicendis n. 314. tenetur saltem de dolo, & culpa lata, si cedat in solius mandantis utilitatem : de levi verò, saltem in foro externo, si & in suam, vel si se obtulerit, cùm alius diligentior præsto esset : de levissima verò, si maximam diligentiam promiserit. aut hanc res exegerit.

2. Tenetur fines mandati non excedere, v. g. non pluris emere, vel minoris vendere, quàm ei præscriptum sit.

3. Non potest mercedem exigere, nisi promissa sit, vel eam priùs petierit ; nec licet ei operam occultè compensare : nam hoc ipso, quòd mandatum susceperit nihil petendo, censetur operam suam gratìs, & ex amicitia præstare velle, sicque mandans ad nihil se obligat. Ex *L.* 1. *ff. de mandato.*

4. Si alterius absentis, & ignorantis negotium ex præsumpto consensu, & ratificatione sine expresso mandato susceperit, tenetur pariter illud tractare, & conficere diligenter : aliàs tenetur damna ex negligentia secuta resarcire, si admiserit culpam latam ; imò, si vel levem etiam, quando alius negotium diligentiùs fuisset tractaturus. *Ratio est* ; quia, alterius negotium suscipit, censetur promittere suam diligentiam, & industriam, adeoque tenetur saltem ad ordinariam. Ex *L.* 20. *Cod. de negot. gest.*

Econtra mandans tenetur mandatario subministrare necessaria ad mandati executionem, & sumptus solvere. Quòd si absentis sine expresso mandato negotium susceperis ex consensu prudenter præsumpto ; tenetur is tibi non tantùm expensas refundere, sed & damna ex nego- 181. *Obligationes mandantis.*

negotii gestione, sine tua culpa secuta, compensare, & competentem operæ mercedem, si eam intenderis, solvere: sique recuset, datur tibi actio contra eum. *L. 2. ff. de negot. gest.* idque, licèt negotium malè succedat, modò diligentiam debitam adhibueris: id enim æquitas exigit; cùm bonum commune postulet, ut res, & negotia absentium administrentur, quando aliàs damna passuri essent, v. g. nisi frumenta venderentur, agri, & prata curarentur, domus ruinosa fulciretur &c. Ex dictis resolves.

182. *Corollaria.* 1mò. Si tibi committat Titius, ut emas illi triticum, v. g. malderum tribus aureis, tu verò industriùs rigidè merceris, & emas dimidio minoris, non poteris dimidium aureum retinere; quia emisti nomine alterius, qui industriam tuam non conduxit, adeoque ex justitia nihil debet, cùm gratuitò eam posueris. Si autem feceris expensas, ut minoris emeres, v. g. ideo iveris in alium locum, poteris tibi has compensare ex lucro; quia præsumitur Dominus in hoc consentire. La Croix L. 3. P. 1. N. 1040. Putat quoque Lugo de justitia D. 26. N. 153. id semper posse præsumi, si vendideris cum lucro supra pretium per extraordinariam diligentiam, & laboris pretium tibi non decernatur: sed id non potes, si fueris famulus, nec si committens putârit, te gratìs facturum, aut ab alio sine pretio faciendum fuisset: unde ordinariè non poteris tibi mercedem attribuere, sed petere debes, aut exspectare gratitudinem, cùm diligentiam illam liberè posueris. Similiter si missus ad emendum, rigidè mercatus, de communi pretio detrahas, hoc retinere non potes; quia nomine alterius emisti: ergo quod detrahis, manet ipsi.

Hinc

Hinc peccant Sartores, si excessum pretii, dati ad emendum pro aliis pannum, retineant, eò quòd feliciùs sint mercati, aut emant apud mercatores, quos frequenter adeunt: nam emunt pro iis, quorum negotium suscipiunt; & opera eorum compensatur, quòd iis præ aliis vestes conficiendæ tradantur. La Croix L. 3. P. 1. N. 1044.

2. Si tibi committatur equus vendendus 50. aureis, & tu vendas 52. non poteris hos duos retinere; quia pretium est tibi determinatum, ne venderes minoris, nisi aliud aliunde constet, aut colligatur. Si tamen Dominus voluisset, ut jam venderes equum 50. tu autem jam non posses pluris vendere, sperares tamen fore, ut posses postea, licitè posses tibi equum emere 50. sique postea pluris venderes, hoc tibi retinere. Emes autem sincerè illum tibi, si pericula & onera, quæ dominium sequuntur, in te suscipias, velisque tibi perire, si pereat.

3. Si Titius commisit tibi, ut emeres ipsi equum ad summum 50. Imp. tu verò invenias equum pro 45. eumque bonâ fide tibi emas, quærensque alium pro Titio non invenias, poteris juxta Lug. & Spor. tuum equum illi postea vendere 50. Imp. si commissionem gratuitò suscepisti; quia non tenebaris propter alium negligere occasionem tibi emendi; at si fueris famulus, vel ad id conductus, non poteris ità postea Titio vendere; quia tenebaris 1mam emptionem pro illo facere, qui non commiserat, nisi ut non pluris, quàm 50. emeres. Plures ejusmodi casus videri possunt apud La Croix l. 3. p. 1. n, 1044.

CAPUT

CAPUT IV.

De Mutuo, & Usura.

QUÆSTIO I.

Quid sit Mutuum, seu Contractus Mutui, vel Mutuatio?

183. *Definitio explicata.* RESP. Est contractus, quo traditur res fungibilis, ut statim fiat accipientis, & postea alia similis speciei, & bonitatis restituatur. Dicitur 1. *Quo traditur*; quia mutuatio traditione perficitur. Dicitur 2. *Res fungibilis*; id est, numero, pondere, vel mensurâ constans: ùt sunt pecunia, vinum, oleum, frumentum, & alia ejusmodi, quæ dicuntur res fungibiles, quia unâ alterius vice in humano commercio fungitur, ità ut una pro altera substituatur, v. g. pecunia pro pecunia, vinum pro vino. Dicitur 3. *Ut statim fiat accipientis*: nam per mutuum rei dominium (unde & nomen derivatur) ex meo fit tuum: hinc mutuatarius suo periculo habet rem mutuatam, omnesque fructus ex ea percepti ad eum pertinent: nam res perit, & fructificat suo domino, & per hanc particulam differt mutuum à commodato, pignore, locato, in quibus tantùm rei usus conceditur, quo expleto res in individuo restituenda est. Dicitur 4. *Ut postea restituatur*; nempe tempore à mutuante præfixo, vel, si nullum præfixum est, res relinquatur mutuatario, donec usus eâ sit in finem, ad quem tradita fuit. Sic frumentum, pro semente mutuò datum, censetur datum usque ad

ad messem, nisi aliter conventum sit, & sic differt mutuum à cambio, in quo pro moneta una statim datur alia. Dicitur 5. *Ut restituatur alia ejusdem speciei*; si enim res alterius redderetur, v. g. frumentum pro vino, esset permutatio, quam admittere non tenetur mutuans. Dicitur quidem *L. 2. Etsi certum petatur*; quòd in mutuo reddatur idem genus, non eadem species: sed phrasi Jurisperitis usitatâ genus speciem, & species individuum significat. Dicitur 6. *Et ejusdem bonitatis*, quæ duplex est: physica, & moralis; physica consistit in ipsa rei natura, ideoque intrinseca bonitas, & valor intrinsecus dicitur. Moralis habetur ex communi hominum æstimatione, vel taxatione Magistratûs, hinc bonitas, & valor extrinsecus dicitur.

QUÆSTIO II.

Quæ sint Obligationes Mutuatoris, & Mutuatarii?

Resp. Obligationes mutuatoris sunt sequentes. 184. *Obligationes mutuantis.*

1mò tenetur, mutuatarium monere de vitio rei traditæ, si quod sit, item de imminente damno, lucro cessante, periculo sortis: aliàs hic non consentit, fitque ei injuria, quam reparare tenebitur mutuans.

2do tenetur non repetere rem ante tempus præfixum, sique nullum præfixum sit, tenetur non repetere ante tempus aliquod, judicio pruden:is definiendum, consideratis circumstantiis, & fine, ob quem res mutuò data est. Teneretur tamen, si offeratur, ante reci-

pere ; quia in gratiam mutuatarii tempus concessum est.

3tiò tenetur non plus repetere, quàm res mutuata valuerit tempore, quo mutuò data est, conformiter dicendis ; quia mutuum est contractus gratuitus, hoc sensu quòd aliud onus non imponat mutuatario, quàm ut reddat in specie debito tempore, quod accepit.

Obligationes mutuatarii. Econtra obligationes mutuatarii sunt hæ : Primò tenetur de omni casu fortuito, ità ut non liberetur, donec mutuator mutuum receperit, vel per se, vel per alium designatum ; quia, cùm mutui dominium habeat, si pereat, perit ipsi.

2dò tenetur rem mutuò acceptam in æquivalenti ejusdem speciei tempore statuto reddere, sique statutum nullum sit, quando rationabiliter reperitur. nec sufficit, quòd solvat pretium, nisi alter consentiat.

3tiò. Etsi non teneatur restituère in certò loco, nisi justè sit sic conventum, tenetur tamen in tali loco, in quo mutuator non patitur grave damnum ; quia hic aliter non consentit.

QUÆSTIO III.

In qua specie, & bonitate res mutuò accepta restitui debeat?

185. *Pecunia secundum valorem extrinsecum, qui erat* Resp. Nisi specialis justa conventio præcesserit, non potest exigi pecunia eadem in specie, & bonitate physicâ, v. g. aurum pro auro, argentum pro argento, sed solùm in valore extrinseco, quem habuit tempore mutui dati ; in aliis verò rebus restitui debet in

eadem

eadem bonitate physica, v.g. triticum pro tritico. *Ratio est*; quia, cùm non bonitas physica, sed valor moralis pecuniæ; in aliis autem potiùs bonitas physica serviat usibus, & commercio humano; hinc in pecunia valor extrinsecus, & in rebus aliis intrinsecus spectari solet. Sicque redditur, quantum acceptum est. *tempore datæ mutuò.*

Dixi: *Nisi specialis justa conventio præcesserit*: nam, si hæc præcesserit, servanda est; sique sit æquale utrimque dubium, an res tempore restitutionis valitura sit pluris, an minoris, licet pacisci, ut reddatur pecunia ejusdem bonitatis physicæ, vel mensura par rei æquè in se bonæ, & eam suo tempore accipere, etsi pretium ejus valde sit auctum. *Ratio est*; quia servatur æqualitas, cùm sit spes lucri, & periculum damni utrique parti æquale. Econtra non licet, si certum, vel longè probabilius sit tempore solutionis valorem pecuniæ, vel rei extrinsecum auctum iri; quia sic non servatur æqualitas, sed plus exigitur, quàm detur tempore mutui dati, quod iniquum est: plus enim acciperes, quàm dedisti, cùm rei mutuatæ dominium transferatur in donatarium. Proinde sicut ejus periculum, sic valor spectat ad ipsum, & ex re aliena lucrum exigeres; res enim crescit, & decrescit suo domino. Hinc si sex modii tritici nunc valeant 12. aureis, & valituri sint 15. tempore restitutionis, non licet pacisci, ut totidem pendantur. Vide La Croix à n. 910. *Excipe*, nisi statueris rem, vel pecuniam tuam v.g. auream servare in tempus pretii aucti: tunc enim licet pactum de pendendo valore illo majore extrinseco rei, vel reddendâ pecuniâ in specie physicâ eâdem, deductâ tamen æstimatione

laboris, periculi, & sumptûs in re conservandâ usque ad illud tempus. *Ratio est*; quia plus illud tunc exigitur ratione lucri cessantis. Econtra si prævideas, quòd extrinsecus valor, vel pretium sit minuendum, potes repetere, quanti valebat tempore mutui dati, quia plus non repetis, quàm dedisti. Cæterùm mutuatarius satisfacit reddendo triticum pro tritico, etsi pretium tempore restitutionis decreverit, modò triticum sit æqualis bonitatis intrinsecæ, & hæc mutatio non sit prævisa, & in pactum deducta. Nec injustè faciet mutuator, si, quando tempus restitutionis nullum fuit determinatum, rem mutuò datam repetat, quando jam plus valet, modò sincerè procedat, & potuisset rationabiliter repetere, etsi pretium auctum non esset; quia mutuatario liberum erat citiùs reddere. Proinde debet sibi imputare, quod non fecerit. Aliud foret, si rationabiliter adhuc repeti non potuisset. Si prævideas pecuniam deponendam post tempus, potes salvâ Justitiâ dare mutuò, & tantundem repetere; quia tunc tanti valebat. La Croix n. 911. multò magis, si pretium prævideas minuendum in eadem mensura.

186. *Solvitur dubium.* *Dices*: Passim videmus sine scrupulo mutuò dari vetus frumentum, ut restituatur novum, & novum tamen melius est, quàm vetus. Resp. Etsi, per se loquendo, id fieri justè non possit, quando nova prævidentur fore meliora, per accidens tamen sæpe licet; quia, quando nova sunt frumenta, ob copiam minoris valent ordinarié: debent asservari, & in granario exsiccata minuuntur: incertum est, an non sint futura viliora.

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

Quid, & quotuplex sit Usura, & Contractus usurarius?

Resp. Usuræ nomine venit quidem, si latissimè accipiatur, quodcunque lucrum temporale injustum. Hìc verò est lucrum temporale præcisè, & immediatè ratione mutui perceptum, vel quæsitum tanquam, debitum ex Justitia. Nomine autem lucri venit omne pretio æstimabile, sive illud sit pecunia, sive opera, sive obligatio mutuatario imposita. 187. *Definitio explicata.*

Contractus verò usurarius est, mutuatio cum pacto, vel intentione accipiendi lucrum immediatè ex mutuo, tanquam debitum ex Justitia. Dicitur 1. *Mutuatio;* quia usura, per se loquendo, in solo mutuo reperitur, etsi per accidens inesse possit aliis contractibus, quatenus virtuale mutuum continent. Dicitur 2. *Cum pacto, vel intentione*; quia datur usura purè mentalis, in qua pactum non intervenit. Dicitur 3. *Lucrum*; per quod intelligitur, quidquid pretio æstimabile supra sortem, id est, rem mutuatam, intenditur, vel accipitur. Dicitur 4. *Tanquam debitum ex Justitia*; quia potest sine usura dari; & accipi aliquid ex benevolentia, liberalitate, gratitudine, occasione mutui. Dicitur 5. *Immediatè*, id est, præcisè ratione mutui; nam si adsit justus titulus aliquid exigendi supra sortem, usura non erit, ùt constabit ex dicendis.

Hinc usura est, si des Titio mutuum cum obligatione, ut tibi remittat obligationem reparandi damnum in bonis fortunæ, honore, 188. *Corollaria.*

 famà;

famâ : ut conferat tibi officium ſæculare, vel Beneficium Eccleſiaſticum : ut merces in tua officina emat : agrum tuum juſtâ mercede colat : negotium tuum gerat : apud Principem pro te intercedat, fide jubeat, &c. quia imponis ipſi onus indebitum, & libertate privas. Econtra uſura non eſt, ſi des cum obligatione, ut à lite injuſta deſiſtat, vindictam injuſtam non ſumat, debitum juſtum, & certum ſolvat; quia non imponitur aliquid ipſi, ad quod aliunde non obligetur, & hinc obligatio nova non eſt pretio æſtimabilis, nec privat eum libertate, utpote quam non habet; ſi autem debitum tantùm ſit ex charitate, probabiliter quidem quoque uſura eſt. Negat tamen probabiliter Molina, & alii. Ratio 1mæ ſententiæ eſt; quia imponitur nova obligatio. 2dæ verò; quia nihil petitur indebitum, & nova obligatio non eſt onus, ſed in utilitatem mutuatarii, qui aſtringitur ad ſervandum præceptum charitatis.

Diviſio uſuræ. Porrò uſura dividitur in externam, mentalem, apertam, & palliatam. *Externa* eſt, quæ in pactum deducitur, ſive expreſſum, ſive implicitum. Pactum expreſſum erit, ſi mutuans dicat: Mutuo tibi 100. eâ lege, ut mihi reddas 100. & 5. Implicitum verò, ſi conſtet, quòd non det mutuum ſine uſuris, & dicat: Do mutuò tibi, ùt ſoleo; vel: mea pecunia non ſolet ad me redire ſola. *Mentalis* eſt, ſi quis mutuet cum intentione lucrum accipiendi præcisè ratione mutui, talem tamen intentionem non manifeſtet mutuatario, licèt eam exteriùs exequatur. Unde uſura mentalis dicitur, quatenus non ſupponit pactum etiam implicitum ex utraque parte. *Aperta*, & formalis

malis est, quâ expressè exigitur auctarium ratione mutui. *Palliata*, quæ & virtualis dicitur, est, quæ latet sub alio contractu apparenter justo, continente virtualem mutuationem, vi cujus exigitur auctarium: unde quasi pallio tegitur: utì, si deponas apud alium aliquid consistens in pondere, mensurâ, vel numero, v. g. pecuniam, frumentum, datâ ei facultate utendi, & pro arbitrio disponendi, cum pacto, ut pro usu ultra sortem aliquid pendat: si aliquid vendas pluris præcisè propter dilatam solutionem, vel minoris emas propter anticipatam. Hæc usura sic quandoque se abscondit, ut oculis etiam perspicacibus se subducat: ùt patebit ex dicendis.

QUÆSTIO V.

Quo jure Usura sit prohibita?

Resp. Est prohibita 1mò jure humano Ecclesiastico: ùt constat ex *L.* 5. *&* 6. *Decretalium Tit. de Usuris.* Et ex *Conc. Viennensi. Clement. unicâ de Usur.* §. *ult.* 2dò. Jure divino, tum ex *ci. Clement.* ubi dicitur puniendus, ùt Hæreticus, qui contrarium dixerit, tum ex variis Scripturæ locis, ùt Ps. 14. v. 1. & 6. Ezech. 18. Luc. 6. 3tiò. Prohibita est jure naturali: nam jure naturæ illicitum est, pro re plus exigere, quàm valeat, & lucrum tanquam debitum exigere ex re aliena: hæc autem fiunt in usura: nam qui dedit mutuò 100. & exigit 100. & 5. plùs exigit, quàm valeant 100. ùt patet. Nam translatio dominii 100. aureorum non valet, nisi centum aureos: deinde lucrum exigeretur ère aliena;

189. *Jure naturali, divino, & humano.*

na : in mutuo enim transfertur rei mutuatæ dominium in mutuatarium, nec id ab usu juris rei, unico suî usu consumptibilis, ùt est pecunia, vinum, &c. separari potest : unde usura, etsi admittat parvitatem materiæ, non minùs est vetita, & intrinsecè mala, quàm furtum, & nullâ dispensatione potest fieri licita. *Nec juvat*, quòd Deuteron. 23. legatur Judæis dictum : *Non fœneraberis fratri tuo, sed alieno* : nam Deus vel dedit facultatem . fœnus exigendi Judæis ab alienis infidelibus , hostibus iniquis , justo titulo deprædationis : vel ùt Dominus universorum transtulit in illos dominium auctarii , ùt explicat S. Ambr. vel tantùm, ùt exponit S. Th. toleravit in Judæis, utpote ad temporalia propensis , ut ab alienis potiùs usuras exigerent, quàm à fratribus. ne graviùs peccarent ; usuras tamen non approbavit.

190. *Oppositasoluta* *Dices* 1. Jus civile *ff.* & *Cod. de usuris*, has approbat. Resp. Vel loquitur tale de usuris latè acceptis, seu lucro ex justo titulo , aut eas tolerat, vel à jure Canonico est correctum.

Dices 2. Juxta S. Thom. 2. 2. q. 78. a. 1. ad 2. Potest aliquid accipi pro usu pecuniæ. Resp. Pro usu pecuniæ mutuatæ, Neg. elocatæ v. g. ad pompam, vel ostentationem faciendam, vel ponendam loco pignoris, Conc. Pallavicinus tamen L. 4. n. 144. putat, in hoc esse injustitiam ; quia utilitas, quæ ex elocata, vel commodata pecunia evenit, non est ex natura pecuniæ, sed ex aliis circumstantiis ad personam locatarii pertinentibus ; adeoque hæ non erunt pretio vendibiles ab elocatore . sed nec quidquam decedit à valore pecuniæ , nec eloca-

elocator, ideo damnum patitur, ùt supponitur. Aliud est, si res ad usum concessa sit fructifera, aut usu minuatur; nam res ad usum concessa si frugifera sit, fructificare potest domino suo, cujus manet, & rei attritæ decrementum meretur compensationem.

Dices 3. In mutuo reperitur aliquid pretio æstimabile præter sortem: nam mutuans privat se consolatione, quam habet in præsenti pecunia. Deinde simonia est, dare mutuum Episcopo pro obtinendo Beneficio Ecclesiastico; ergo in eo reperitur aliquid pretio æstimabile. Resp. Neg. Assumpt. Nam carentia illa est intrinseca mutuo, & molestia præcisè carendi, in commercio humano ità levis censenda est, ut pretio æstimari non possit prudenter; aliàs ostium aperiretur innumeris usuris Quòd si cui esset affectus vehemens ad pecunias præsentes, is inordinatus, & abominatione potiùs dignus esset, quàm pretio. In eo, quod additur, Neg. Consequentiam: nam ad simoniam sufficit, quòd pro spirituali detur aliquid temporale, tanquam ex pacto saltem virtuali debitum, & in æstimationem cum spirituali veniat, etsi reipsà non sit pretio æstimabile respectu dantis. Addi potest, mutuum in eo casu esse saltem pretio æstimabile respectu Episcopi, cui utile est, paratam habere pecuniam præsentem, licèt eam postea teneatur restituere. Proinde ideo dans Beneficium, compensare id intendit.

Dices 4. Volenti non fit injuria: ergo saltem, si mutuatarius consentiat in auctarium, non erit usura. Resp. Volenti efficaciter, & nec invito secundùm quid, non fit injuria, C. invito saltem secundùm quid, Neg. Antec. &

Consequentiam. Mutuatarius non vult auctarium dare gratis, sed dat tanquam debitum, velletque mutuum secundùm æquitatem: ergo mutuans facit illi injuriam, sicut emens infra justum pretium, facit injuriam vendenti.

Dices 5. Mutuum est beneficium, & meretur gratitudinem; ergo est pretio æstimabile. Resp. Transeat Antec. Neg. Conseq. Pretium formale est compensativum juris æqualis, translati vi venditionis in emptorem per venditorem; tale non potest respondere beneficio, quod debet esse gratuitum. Dixi: *Transeat*; nam, cùm mutuatarius teneatur ad æquale, mutuum secundùm se beneficium non est, sed fit tale ex indigentia, & necessitate alterius, quæ quò major est, eò majus est beneficium: unde, si petas ideo lucrum, ditesces ex alterius indigentia, & tuâ ditescentiâ alter magis depauperabitur, quod iniquum est. Simile est in venditione. Neque ad beneficium requiritur, ut benefactor se bono, vel utilitate privet, ut patet in Deo. Quòd nihil liceat exigere tanquam ex benevolentia, vel gratitudine debitum, aut ob carentiam pecuniæ præsentis, vel præcisè ob dilationem restitutionis, dixi in Analysi, num. 134.

QUÆSTIO VI.

An, & qui sint Tituli, ob quos liceat Mutuanti exigere aliquid ultra sortem?

Resp. Præcipui sunt hi tres. 1mus Damnum emergens. 2dus. Lucrum cessans. 3tius. Periculum non recipiendæ sortis. Explico singulos.

1mus.

1. Justus titulus exigendi aliquid supra sortem est *Damnum emergens* ex mutuo, id est, jactura in bonis, quæ mutuator jam habet, ex mutuo proveniens, v. g. indiges tuâ pecuniâ ad emenda necessaria tuæ familiæ, quæ nunc meliori, postea majori pretio venduntur, nihilominus Titio mutuas. In hoc & simili casu potes compensationem damni in pactum deducere; quia æquum non est, ut ex mutuo damnum feras, neque hoc est vendere usum pecuniæ, sed damnum vitare. Debet tamen mutuatarius moneri de damno; hocque in pactum deduci: nam si non moneatur, posset nolle hoc onus subire, sed alibi sine eo sibi quærere mutuum. Et idem est de circumstantiis periculi, vel lucri cessantis, si mutuatario sint incognitæ, & propter illas plus exigatur. Si autem non sit deductum in pactum, mutuatarius tantùm tenetur ad sortem, debetque mutuans suam sibi negligentiam imputare, nisi debitor injustâ solutionis dilatione causa fuerit damni. Quod si periculum damni sit tantùm probabile, exigi quidem potest aliquid, sed prudentis judicio determinandum. Optima regula erit, si cogites, quid velles tu alteri dare, tale periculum pro te subeunti?

191. *1mus titulus exponitur.*

Porrò pactum de damno emergente potest fieri vel conditionatè: si nempe aliquod inde mutuanti eveniat; vel absolutè conveniendo de certo pretio, quod, consideratis circumstantiis, prudenter statuendum est, & solvendum, sive damnum majus, sive minus, aut etiam nullum sequatur. Quodsi mutuatarius se offerat ad servandum indemnem mutuatorem, ad pactum de pretio determinato cogi non potest. Quanquam expedit convenire de cer-

to, ut sic evitentur difficultates. Quod dico de damno emergente, idem dic de lucro cessante, & periculo sortis amittendæ.

192. *Exponitur 2dus* 2. Justus titulus aliquid exigendi supra sortem est *Lucrum cessans* ex mutuo, sive quod mutuator suâ industriâ certò, vel probabilissimè, aut saltem probabiliter fuisset consecuturus ex mutuatâ v. g. pecuniâ, nisi eam mutuò dedisset. *Ratio est* 1. Quia tunc non exigitur aliquid ratione mutui, sed ratione alicujus extrinseci, quod pretio est æstimabile: spes enim lucri probabiliter futuri est pretio æstimabilis, imò bonum quoddam præsens, quò se privare gratìs in gratiam alterius mutuator, per se loquendo, non tenetur. 2. Spes probabilis capturæ piscium ex jactu retis justè vendi potest. *L.* 12. *ff. de actu empti.* 3. Pecunia ùt destinata quæstuosæ negotiationi, & prout subest industriæ mercatoris, plùs valet, quàm pecuniâ secundùm se sumpta; & bona certò, vel probabilissimè futura, quandoque pluris fiunt, quàm bona minora actu possessa. 4. Lucrum cessans est dignum compensatione: nam inde fit, ut quis minùs habeat, quàm habiturus fuisset. Quare fur tenetur non tantùm ad restitutionem rei ablatæ, sed etiam ad compensandum lucrum cessans. Et hinc dicitur *cap. 6. de Usuris*, posse, ratione lucri cessantis, vendi merces ultra currens pretium, si venditor voluisset illas reservare in tempus, quo verosimiliter plus erant valituræ. 5. Si petas ab operario, ut te deducat ad certum locum, is exigere potest compensationem lucri, quod ex sua opera habere poterat, nunc autem in tuî gratiam non habet; ergo & mercator potest exigere lucrum, quo in alterius

gra-

gratiam propter mutuum privatur : neque enim æquum est, ut quis dispendium patiatur, unde videtur præmium meruisse. *Cap. 2. de Fidejuss.*

Nec obstat authoritas Divi Thom. Nam licèt 2. 2. q. 78. a. 2. ad 1. in speciem faveat oppositæ quorundam sententiæ, reipsâ tamen tenet nostram : nam q. 62. a. 4. ait; quòd, qui damnificavit aliquem impediendo à consecutione boni, quod erat in via habendi, teneatur compensare damnum, non quidem ex æquo; quia minus est aliquid habere in virtute, quàm habere actu; sed secundùm conditionem personarum, & negotiorum. Et sic intelligendus est etiam in q 78 cit aut ibi loquitur de lucro, quòd tantùm est in spe, & potentiâ remotâ, & pro cujus privatione fateor, nihil posse exigi.

Dixi : *Lucrum ex mutuo cessans* : nam si esset ex negligentia, aut aliunde, justus titulus non erit : ut autem cesset ex mutuo, adesse debent hæ conditiones. 1ma. Debet mutuator fuisse mentis, illam pecuniam exponere negotiationi, cujus jam occasio est, vel saltem erat probabiliter futura, nec habuisse aliam pecuniam, quâ idem lucrum fuisset facturus : aliàs enim lucrum non cessat ex mutuo. 2da. Debet lucrum cessans non compensari per aliud, quod habeat occasione mutui, v. g. si loco negotiationis se applicet labori, quo tantundem, & æquè facilè lucretur, non cessat lucrum ratione mutui. Quodsi tamen lucraretur minus, aut majore cum labore, illud compensari mereretur. Nam auctarium, quod exigitur ultra sortem, debet esse proportionatum lucro cessanti : unde plus potest exigere, qui pecuniam mutuò datam certò, quàm qui

tantùm probabiliter fuisset expositurus negotiationi; sique periculum fuisset non faciendi lucri, compensatio lucri cessantis minor esse debet; aliàs mutuatarius plus cogetur solvere, quàm sors moraliter spectata valeat, & æqualitas in contractu non servatur. Ordinariè auctarium non debet excedere proventum pecuniæ ad censum datæ, qui in imperio facit 5. erga centum. Quod dixi de lucro cessante, idem dic de damno emergente.

193. *Exponitur tertius.* 3tius justus titulus aliquid ultra sortem exigendi est *periculum* speciale, & extraordinarium, idque verum, ac probabile sortis amittendæ, modò pactum præcesserit. Ità communior contra Navarr. Sotum, Toletum, Bannez &c. *Ratio est* 1mò; quia periculum illud non est intrinsecum mutuò, sed ab eo separabile, estque pretio æstimabile illud subire; quia, qui fide jubet pro eo, potest in omnium sententia exigere pretium illi proportionatum. 2. Mutuans potest pro illo periculo exigere fide-jussorem, cui pro subeundo periculo dandum pretium; ergo si mutuatarius per illum non præstet assecurationem potest mutuans exigere aliquid, quòd periculum in se suscipiat. 3. Debitum 100 aureorum probabili periculo expositum minùs valet, possumque minoris emere, quàm debitum certò solvendum; ergo si mutuans tradat summam certam, plus tradit, quàm valeat postea exposita periculo; ergo si periculum in se suscipiat, potest aliquid pro hoc exigere: sicut vendens juxta S. Th. Opusc. 73. C. 10. rem suam cariùs propter damnum, quod videt sibi imminere ex dilatione solutionis, excusatur à vitio; & licitè emo litteras censuales

les 100. aureorum minori pretio ob incertitudinem census solvendi, aliave incommoda. *Confirmatur* authoritate Pontificis Innoc. X. apud La Croix hic N. 856. Qui voluit non inquietari fideles Chinenses, si ratione periculi probabiliter imminentis aliquid accipiant occasione mutui, modò servetur proportio inter periculum, & id, quod accipitur.

Dixi autem : *Periculum speciale*, *&c.* nam ratione periculi communis, & ordinarii nihil licet exigere; tum quia hoc est mutuò intrinsecum; tum quia per hoc liberatur mutuans periculo æquali, & quandoque majori. Est autem periculum commune, quod reperitur in omni mutuo, etiam illo, quod datur in illis circumstantiis, in quibus propter fidelitatem, diligentiam, opulentiam mutuatarii nihil videtur metuendum : nam etiam tum ob inconstantiam humanæ voluntatis, fortunæ, sors quandoque amittitur. Speciale verò periculum est, si petens mutuum sit parum notus vel dubiæ fidei, aut tenuis fortunæ; si sit rerum suarum incurius, vel prodigus; si periculosam exerceat negotiationem, v. g. transmarinam : His enim casibus per se loquendo, sors gravi, & probabili periculo exponitur. Si tamē mutuatarius assecurationem per fide-jussorem idoneum præstaret mutuanti, aut securam & competentem hypothecam assignaret, pro periculo nihil posset exigere : uti nec potest pro periculo auctarii; quia hoc statuitur simul & semel pro omni periculo, quod ex mutuo sequitur. Debet autem statui consideratis circumstantiis, qualitate periculi, &c.

Regula universalis esse potest, ut vir prudens, & probus cogitet, quanti ipse redimeret tale periculum, vel timorem, tantundem

enim

enim potest petere, quantùm bona fide dare vellet alicui, qui hoc periculum pro se subiret. Ità Less. Nec, quo majus auctarium exigitur, eò plus est periculi: nam sors magìs assecuratur; quia singulis annis aliquid accipitur. Nec, dum sors restituitur, compensatur summa tota: nam non compensatur periculum, quod ante sustinuit mutuator. *Nec dicas: Cap. Naviganti.* dicitur usurarius, qui ob periculum sortis aliquid exigit: nam capite illo omissa est particula *non*, uti probat Laym. L. 3. Tr. 4. C. 16. N. 13. & alii. Adeoque legi debet: non est usurarius. Vide La Croix sub N. 853. Vel intelligitur, si alium cogat ad determinatum contractum. Addidi in resp. ad quæstionem; *hos esse titulos præcipuos*: nam distincta obligatio suscepta à mutuatore, v. g. mutuandi inposterum, quando alteri libuerit, molestiæ probabiliter subeundæ pro recuperanda sorte, & alia similia justus esse possunt titulus aliquid proportionatum supra sortem exigendi, quia pretio sunt æstimabilia, & obligatio mutuandi non est ipsa mutuatio. La Croix N. 905.

Regula universalis. Ex dictis observanda est hæc regula universalis: usura committitur, quoties mutuatarius ratione mutui, præcisè ultra sortem reddendam, obligatur ad aliquid pretio æstimabile, ad quod non tenebatur ex mutuo præcisè; vel quando pro mutuo, vel aliquo, quod mutuo intrinsecum est, per qualemcunque contractum exigitur aliquid pretio æstimabile, quod alioquin indebitum est. Econtra usura non est, quando aliquid proportionatum exigitur pro aliquo, quòd mutuò extrinsecum, & pretio æstimabile est; aut occasione mutui solùm spe-

ratur

ratur aliquid sine omni pacto etiam implicito, & virtuali. Hinc resolves.

1mò. Est Usura, si mutues cum pacto Titio, ut te laudet, honoret; quia licèt hæc videantur non esse pretio æstimabilia, obligatio tamen ea præstandi est pretio æstimabilis. Dicit quidem S. Th. 2. 2. q. 78. a. 1. O. Pro mutuo posse exigi benevolentiam, amorem, &c. Negant tamen alii posse exigi tanquam debita ex justitia vi mutui. La Croix n. 893. 194. *Corollaria. Contractus usurarii.*

2. Est Usura, si ratione lucri cessantis exigas, quantùm sperabas te lucraturum; quia lucrum est variis eventibus expositum, & spes tanti non valet, quanti res, suntque deducendæ expensæ.

3. Si mutues cum onere, ut alter debitum difficulter obtinendum exigat. Item si obliges, ut partem mutui accipiat in mercibus, quibus non eget. Item si à Cajo, petente mutuum pro Titio, exigas auctarium; quia tibi non est titulus, & Cajus solvet nomine Titii.

4. Si mutues 100. ut tibi statim pendantur 5. quia sic non mutuas, nisi 95. & idem est, si velles quinque tibi statim solvi, v. g. in vino.

5. Est Usura, si mutues cum pacto, ut alter tibi tradat, quod tibi est tantùm probabiliter debitum; quia imponis obligationem certam pretio æstimabilem. Si tamen rem possideres, v. g. si rem apud Cajum deposuisses, & tantùm probabile foret, quod restituerit, juxta La Croix mutuare posses cum pacto, ut tibi restitueret; eò quòd tenere possis, quòd Cajus adhuc debeat, & attineretur in foro externo ad reddendum. La Croix N. 886.

6. Est Usura, si mutues, ut alter postea vi-

cissim mutuet: item ut pro pecuniâ reddat rem, v. g. vinum, vel pecuniam in alio loco. La Croix N. 891.

7. Usura est, si constituens procuratorem tuorum bonorum, des ei facultatem pecuniâ tuâ utendi, & de ea ad libitum disponendi, cum pacto, ut annuè solvat 10. erga 100. quia pecuniæ dominium transfertur. La Croix N. 898.

8. Si contrahas, ut mutuatarius reddat tibi mutuum, non ante tempus, quo probabiliter pluris valebit; quia imponeres grave onus mutuo extrinsecum.

9. Nisi adsit justus titulus lucri cessantis, vel damni emergentis, est usura cedere alteri contractum usurarium cum onere eodem usurarum; quia mutuatarius factus dominus pecuniæ mutuò sub usura acceptæ, dominium transferret in alium cum onere usuræ solvendæ, quod facere non potest præcisè, ut se servet indemnem; sicut, qui emit supra justum pretium, non potest eodem pretio vendere, ut se indemnem servet. La Croix N. 918.

195. *Non usurarii* Econtra non est Usura imò. Si accedat contractus sponsionis: do mutuos 100. cum pacto, ut, si vixeris post 10. annos, reddas 200. si non vixeris, nihil reddatur. Debet tamen sincerè procedi, nihil peti ratione mutui, servarique æqualitas, spectatâ spe, & periculo. Sporer, Tamb. La Croix N. 896.

2. Juxta Laym. Less. Lug. mutuare cum pacto, ut alter in præsenti etiam aliquid mutuet; quia mutuare in præsenti, non est pretio æstimabile, adeoque habet se, ùt mera conditio, & meritò negatur gratia, qui præstare gratiam recusat. La Croix N. 895.

3. Non

3. Non est usura, si mutues Cajo pecuniam tibi debitam, quàm ille facilè, tu autem difficulter obtinebis, v. g. 100. Imp. cum pacto, ut tibi posteà numeret 100. Ità Molin. Less. L. 2. C 21. N. 76, Lugo in resp. moral. L. 6. dub. 18. quia, licèt tale debitum per accidens ob difficultatem minoris æstimetur, minorisque emi posset, in se tamen est tanti valoris, & potuisses tanti vendere scienti difficultatem obtinendi, ùt fatentur omnes. La Croix N. 906. Less. l. c. ait, usu receptum esse, ùt chirographa vendantur pretio ordinario, non attentâ difficultate, consequenter & mutuò dari potest debitum secundùm suum valorem intrinsecum.

4. Non est usura pacisci de pœna à mutuatario solvenda, si fuerit in mora præfixo tempore solvendi sortem. Mora tamen debet esse notabilis, & culpabilis, pœna proportionata, & statuta, non ùt pretium dilationis, sed ob verum periculum, ne differatur nimiùm, vel omittatur restitutio, & ut mutuatarius deterreatur à violatione fidei, & sortis dilapidatione. Et hæc pœna, utpote ex pacto debita, solvenda est ante sententiam Judicis, si petatur.

5. Licet usura non sit exigere aliquid ob lucrum cessans, vel damnum emergens, quandò est obligatio charitatis, utì sæpè est, mutuandi, quia nihil exigitur ratione mutui; id tamen illicitum est ob præceptum charitatis. Quòd montes, ùt vocant, pietatis tam Belgici, quàm Italici usuram non contineant, satis hodie convenit inter T. T.

QUÆSTIO VII.

An Usurarius acquirat dominium usurarum, & fructuum, quos postea ex usuris lucratur?

196. *Dominium usurarũ est penes mutuatarium.*

Resp. 1. Per se loquendo, Usurarius non acquirit dominium usurarum, sive illæ sint res, usu unico consumptibiles, ùt vinum, frumentum, pecunia; sive non, ùt vestes, annuli, pecora. Ità Theologi communiùs contra varios Canonistas. Scotum in 4. dist. 15. q. 2. a. 3. ad 2. Palud. Navarr. Lugonem, & La Croix. *Ratio est*; quia deficit consensus mutuatarii: nam auctarium, ùt supponitur, non vult liberaliter donare, cùm solvat, id tanquam debitum ex pacto oneroso, nec plus dare vult usurario, quàm ei debeatur vi mutuationis: vi autem hujus nihil ei debetur: ergo non intendit transferre dominium, sed solùm externam traditionem facere, quæ necessaria est, ut fidem suam liberet, & pecuniam mutuam pro levanda necessitate, vel commodo procurando accipiat. *Confirmatur*. Qui solvit alteri, putans, se debere, cùm non debeat, non transfert dominium; quia habet consensum tantùm implicitè conditionatum, quo dicit: volo hanc rem esse tuam, si illam tibi debeo: ergo à pari. Denique illud dominium, fatente Lugone, esset ità debile, ùt teneretur spontè restituere propter injuriam; & mutuatarius retineret Jus in re, sicut quando aliquid metu est extortum; adeoque Jus illud nullius est momenti. Nec contrarius nobis est D. Th. nam licèt Opusc. 73. Cap. 19. videatur

tur favere contrariæ ſententiæ; in ſumma tamen, quæ eſt ultimum ipſius opus, tenet ſententiam noſtram: nam 2. 2. q. 78. a. 3. O. ait: *Si quis domum alterius, vel agrum per uſuram extorſiſſet, non ſolùm tenetur reſtituere domum, vel agrum, ſed etiam fructus inde perceptos; quia fructus ſunt rerum, quarum alius eſt Dominus, ideoque ei debentur, nempe mutuatario.* Ubi apertè ſupponit uſuræ dominum manere mutuatarium.

Dixi. *Per ſe loquendo*; Quia, ſi uſurarius minorem ſummam pecuniæ pro auctario acceptam, ſuæ alicui pecuniæ majori miſceat, ità, ut diſcerni non poſſit, quemadmodum plerumque fit, acquirit illius dominium per mixtionem, manet tamen obligatus ad reſtitutionem: imò mutuatarius habet Jus quoddam in re, ut ante omnes alios creditores recipiat ex cumulo illo uſuras injuſtè acceptas. Ità Leſſ. L. 2. C. 20. N. 156.

Reſp. 2. Uſurarius negotiando per uſuras lucrum quidem facit ſuum, ſi uſuræ ſint res ſteriles, ùt pecunia, & inſtrumenta artis; ſi verò ſint res frugiferæ, lucrum non facit ſuum, quod ex re ipſa provenit. *Ratio 1mæ partis eſt*; quia non ſunt fructus rei, ſed induſtriæ. Proinde, ſicut fur negotiando per pecuniam furtivam fit Dominus lucri, etſi pecuniæ dominium non habeat: ità hìc. Sic communiter tenent omnes cum S. Thoma. *Ratio 2dæ partis eſt*; quia res fructificat Domino ſuo, conſequenter mutuatario; quia hic manet Dominus rei uſurariæ. In oppoſita ſententia fructificat uſurario, ità tamen, ut teneatur compenſare damnum, cum hoc ſolo diſcrimine, quòd in hac ſatisfacit dando pretium fructûs, in noſtra

197. *Uti, & fructus ex uſuris provenientes.*

stra autem teneatur ipsum fructum restituere. In utraque sententia, si quis ab usurario emat rem usurariam bonâ fide, usurarius fit Dominus pretii ex legum dispositione secundùm dicta cum obligatione tamen restituendi.

Si dicas, Emptor non consentit in translationem pretii, nisi acquirat & dominium rei usurariæ. Respondent Lugo, La Croix, quòd ejus dominium acquirat cum obligatione usurarii ad æquivalens restituendum mutuatario. R. Censetur se accommodare legibus, & transferre absolutè dominium pretii cum onere, ut venditor quoque dominium rei transferat in ipsum, aut satisfaciat, & pretium reddat. Unde non est error circa substantiam, quia intentio fertur disjunctivè. Et uti Less. N. 162. ait, error est tantùm circa conditionem extrinsecam.

QUÆSTIO VIII.

Quandonam, & à quibus restituendæ sint usuræ, & damna, per eas causata, reparanda?

198. *Imo loco tenetur usurarius.* Resp. Per se loquendo, usurarius tenetur ante omnes restituere usuras, fructusque non merè industriales ex iis perceptos, damnum emergens, & lucrum cessans compensare, quamvis sine ullo pacto externo usuram tantùm mentalem commiserit, malâ fide acceptando auctarium tanquam debitum. *Ratio est*; quia, cùm mutuum non sit justus titulus accipiendi aliquid supra sortem, & mutuatarius id non dederit liberaliter, injuriam huic fecit mutuans, ex qua obligatur ad prædicta om-

omnia. Si tamen bonâ fide processisset, teneretur tantùm restituere usuras, & harum fructus naturales, vel mixtos, in quantum respondent naturæ rei.

Dixi: *Per se loquendo:* 1mò. Quia, si mutuatarius dederit aliquid ex liberalitate, vel gratitudine, aut amicitia, & mutuator hoc sciat, potest id retinere, etsi acceperit animo usurario; quia per donationem acquisivit dominium, cùm voluerit acquirere omni meliori modo, quamvis fortè petierit vi mutui; vel saltem postea potest acceptare, quando rescit, mutuatarium voluisse donare. 2. Si auctarium bonâ fide acceptum sit, & oriatur dubium, an mutuatarius dederit liberaliter, an vi mutui, interrogari debet. Si nec interrogari, nec aliunde præsumi possit esse donatum, restitui debet; quia mutuator censetur incepisse tantùm possessionem naturalem, qualem etiam habet prædo, mutuatarius autem in tali dubio retinuisse possessionem civilem, donec constet de vero titulo translationis dominii: ergo melior est conditio mutuatarii, utpote veri possessoris. Ità La Croix N. 922. 3. Si mutuatarius dederit auctarium ex timore, orto ab intrinseco, v. g. ne diceretur ingratus, ne capitale citò repetatur, ne mutuans alio tempore recuset mutuare; probabiliter docet Lugo, & alii contra alios, probabiliter dissentientes, non teneri mutuatorem restituere, quia cùm alter dederit ex timore, non dedit ùt pretium mutui, sed ut moveret mutuantem ad benevolentiam. Si tamen mutuans illum timorem incussisset, teneretur restituere; quia mutuatarius involuntariè dedisset ex metu injustè incusso.

Hæredes. Si mutuator usurarius ante mortem non restituerit usuras, restituere tenentur ejus hæredes, saltem quantum ferunt vires hæreditatis. *Cap. Tua nos. 9. de usuris.* Ratio est; quia hæredes personam defuncti repræsentant, succeduntque in ejus onera, adeoque & damna orta tenentur compensare.

3. *Alii, qui sunt causa efficax damni.* Quod si & usurarius, & hæredes desint suæ obligationi, restituere tenentur omnes, qui agentes partes usurarii, fuerunt causa efficax, cur usuræ petitæ, solutæ, vel restitutæ non sint; quia fuerunt causa damni, mutuatario injustè illati. Tales sunt 1mò. Qui consulunt usuras. 2. Qui dant pecunias eo animo, ut exerceantur usuræ. 3. Judices, qui compellunt ad usuras solvendas, vel prohibent, ne solutæ repetantur, & hi etiam ipso facto sunt excommunicati. *Clement. unicâ de usuris.* 4. Notarius conficiens instrumentum, fingens licitos contractus, & falsos scribens, v: g. ùt, cùm mutuò dantur centum, ipse scribit 120, nisi id faciat petente mutuatario: tunc enim, licèt peccet mortaliter violando suum Juramentum; mutuatario tamen non facit injuriam, utpote non invito, adeoque ad restitutionem non tenetur. 5. Factores, seu negotiorum gestores, qui contractus usurarios nomine mutuantis faciunt, & famuli, qui cogunt ad usuras solvendas. 6. Proxenetæ, id est, qui quærunt egentes pecuniâ, & ducunt ad usurarios: at non tenentur, qui partes mutuatarii agunt, vel ipso consentiente, vel non invito concurrunt, aut ità remotè, ut non censeantur causa damni: ùt 1mò famuli, qui recipiunt pignora, eaque custodiunt. 2. Qui numerant pecunias. 3. Qui referunt omnia

in libros rationum. 4. Qui rogatus à mutuatario scribit contractum usurarium, monet amicè mutuatarium, ut usuras solvat. *Ratio est*; quia hi vel non sunt causa damni, utpote independenter ab illis illati, vel mutuatarius illorum operam fert non invitus.

QUÆSTIO IX.

An liceat petere mutuum sub usura, & usuras solvere?

199. *Non potest quis inducere usurarium ad usuras exigendas, potest tamen ad eas se permissivè habere.*

Resp. Non licet mutuum petere sub usura inducendo usurarium, ut det mutuum sub usura; quia non potest licitè peti ab alio, quod is sine peccato facere non potest. Licet tamen ab usurario petere mutuum, hoc solùm directè intendendo, & ad usuras se habendo permissivè, modò adsit justa causa, qualis est magna utilitas, vel necessitas propria, aut aliena. *Ratio est*; quia ex rationabili causa licet ab alio petere, quod sine peccato facere potest, quamvis ex malitia sua peccaturus sit, utì dictum de charitate p. 2. n. 133. Potest quoque mutuatarius licitè usuras promissas solvere; quia oblatio pecuniæ est actio indifferens, & usurarius potest eam non acceptare. Quòd autem mutuatarius det occasionem acceptandi, ad hoc habet rationabilem causam, v. g. ut recipiat pignus suum, ut deinceps sibi egenti non negetur mutuum, ne audiat infidelis, oriantur odia, &c. neque enim cum gravi suo damno malitiam alterius impedire tenetur.

QUÆSTIO X.

Quænam sint pœnæ statutæ usurariis notoriis?

200. *Infamia, privatio communionis, sepulturæ Ecclesiasticæ.*

Resp. Sunt hæ: 1ma. Sunt infames, proinde inhabiles ad sacros ordines, beneficia Ecclesiastica, dignitates, & officia publica. 2da. Privantur sacrâ Communione, & absolutione, donec restituerint, aut cautionem præstiterint, & ante hæc eorum testamenta sunt irrita. 3tia. Privantur Ecclesiasticâ sepulturâ, si in peccato moriantur, & eorum oblationes non possunt recipi. Dicitur autem usurarius notorius, qui facto, vel jure notorius est. Si quis palam exerceat usuras, ut nullâ tergiversatione celari possit, dicitur usurarius notorius notoreitate facti; si verò de hoc crimine in judicio convictus, & condemnatus sit, dicitur usurarius notorius notoreitate juris. Hæ tamen pœnæ usurariis infligi non possunt, si Princeps ex justis causis quandoque permittat exerceri usuras: posse autem id certis casibus permittere Principes, ex dominio alto transferendo dominium usurarum in usurarium, docet S. Th. 2. 2. q. 78. a. 1. ad 3.



QUÆS-

QUÆSTIO XI.

Quomodo ab usura excusetur praxis, præsertim in Germania exigendi singulis annis 4. vel 5. erga centum mutuò datos, absque eo, quòd alius titulus allegetur, aut in judicio probari debeat?

Resp. Excusant A. A. 1mò per contractum census, si is, qui pecuniam accepit, sit industrius, aut bona habeat, in quibus Jus ad pensionem fundari possit. Ità Less. l. 2. cap. 25. n. 31. & alii multi. Sic enim auctarium non accipitur ratione mutui, sed juris, quod dans pecuniam ad censum sibi emit. 2. Excusant multi apud La Croix hìc n. 876. per contractum triplicem, nempe societatis, assecurationis summæ capitalis, & lucri, qui contractus saltem implicitè intenditur, & initur, dum datur pecuniæ summa pro acquirendo lucro, qui & exponetur infra n. 255. 201. *Tribus modis.*

Nec obstat inquiunt, quòd contrahentes ordinariè nesciant illos contrahendi modos, & ignorent determinatum justum titulum, ob quem sors assecuretur, & lucrum justè exigatur: Nam sufficit, quòd intendant contractum inire omni meliore modo, quo fieri justè potest. Sic enim implicitè volunt vel contractum census, vel tres alios celebrare: consensus autem implicitus æquivalet explicito, dummodo non sciant: nec sit prudens suspicio deesse omnem justum titulum, & voluissent celebrare contractum justum explicitum, si modum, scivissent. Hinc docent multi,

multi, teste La Croix n. 875. occasione mutui in Imperio posse annuè exigi 4. vel 5. in 100. absque usura, supponendo, adesse justum titulum aliquem, nisi tamen obstet suspicio in contrarium, tum enim inquirendum esset. Verùm quia reipsa adesse debet titulus justus, ne quis ditescat ex alieno, lucrúmque habeatur ex mutuo; hinc 3tio. docent Tann. Haunoldus, Pichler; & alii, contractum justificari per Remp. vi statuti, aut consuetudinis, communi consensu in Imperio receptæ, & per praxin intelligentium, & timoratorum manifestatæ: non quod vi mutui præcisè accipiatur auctarium, seu lucrum; sed quod ex dominio alto, in casu necessitatis, aut publicæ utilitatis, reipublicæ in bona subditorum competente, dominium lucri transferatur, deficiente fortassis in particulari casu titulo proportionato; ob necessitatem aut utilitatem boni communis dummodo bona fide procedatur. Idque 1mo, ut sic vitentur lites, non raró orituræ circa lucrum, & titulum, si horum justitia probari deberet. 2do. Ut facilius pro utilitate, & necessitate obtineantur pecuniæ, alioquin ob lucrum cessans, damnum emergens, aut periculum sortis vix obtinendæ: Plerique enim mallent pecunias suas apud se, etiam otiosas, custodire, quàm aliis eas credere sine lucro; atque ita minus florerent mercimonia, minores fructus ferrent agriprineæ, aliáque bona immobilia minùs utilia redderentur: quia sæpe languet industria, nisi alienâ excitetur, & juvetur pecunia? 3tio ut subveniatur Ecclesiis, locis religiosis, viduis, pupillis, aliísque personis, quæ suis pecuniis negotiari, & per se lucrum facere nequeunt, quo

quo tamen egent, ne suas pecunias consumere cogantur, & redigantur, ad inopiam 4to. Ut sic consulatur tranquillitati conscientiæ.

Hoc statutum seu formale, & explicitum, seu consuetudinarium, & implicitum sit, fundatur, inquiunt, in præsumptione generali, quâ præsumitur, mutuanti esse justum titulum, & mutuatario opportunitatem lucrandi, quia ista ordinarie adsunt; statutum autem, fundatum in præsumptione generali, & communiter contingentibus, vim habet in, & pro particularibus casibus, quamvis in illis deficiat ratio, in qua fundatur.

Nec obstant constitutiones Pontificum: nam, quatenus hîc restringunt jus naturæ, in Imperio non esse receptas, testantur authores Germani passim, & praxis communis declarat; ubi verò vigent, & statutum tale, vel consuetudo non obtinet, dicta non procedunt: nemo enim censetur velle contrahere formâ, & modo insolito, & non recepto. Sed neque sic cessat omnis usura in Imperio, quæ variis nihilominus modis committi potest, & committitur, ut docet experientia, constátque ex dictis n. 188. 194. 269.

Hactenus dicta, quamvis si cætera, quæ justitia, & charitas postulat, serventur. Sint probabilia, attamen, ut consulatur tranquillitati conscientiæ, suadendum est, ut prius, quàm ad contractum mutui procedatur, omnes de justo titulo percipiendi lucrum, nisi de eô certi sint, diligenter inquirant. Quod, & plerique faciunt, dum sibi per instrumentum publicum bona immobilia in hypothecam assignari curant, quibus casibus ob periculum sortis, cùm hoc cesset, lucrum exigi non posse, per se patet.

CAPUT

CAPUT V.

De Emptione, & Venditione.

QUÆSTIO I.

Quid sit Venditio, & Emptio.

202. *Definitio.* Resp. Venditio est pactum de merce ergà pretium certum tradenda; Emptio verò est pactum de pretio certo erga mercem tradendo. Emptio, & venditio complexè sumpta, est contractus onerosus, qui consensu mutuo de pretio pro merce, & de merce pro pretio tradenda perficitur. Nomine pretii intelligitur pecunia, quæ inventa est, ut sit mensura pretii omnium temporalium, quæ in commercio humano permutari possunt; ideoque ex ordinatione Reip. tantum commodi continet virtualiter, quantùm merx continet formaliter. Nomine mercis, quamvis in rigore tantùm intelligantur res mobiles, usu tamen recepto intelligitur omne pecuniâ æstimabile: ùt sunt res etiam immobiles, puræ actiones, exceptâ hominis operâ, & nudo rei usu, quæ non vendi, sed locari dicuntur.

Dixi autem, venditionem esse contractum, *qui consensu perficitur*: nam licèt sine traditione non habeat ultimum suum complementum, & dominium regulariter non transferat; ante tamen est contractus in sua ratione perfectus, jusque ad rem confert, paritque obligationem, tam in vendente ad mercem, quàm in emptore ad pretium tradendum. Unde non

non licet uni contrahentium, altero rationabiliter invito, à contractu recedere, sique id attentet, potest à Judice compelli ad servandum contractum.

Porrò si emantur, quæ ad sustentationem sunt necessaria, vel vendantur illi superflua; emptio, vel venditio naturalis dicitur. Si autem res emantur animo, eas cum lucro vendendi, est emptio artificialis, & dicitur negotiatio; eaque stricta, & mercatura, si emantur, ut prorsus immutatæ lucri causâ vendantur. Et hanc esse Clericis prohibitam, dixi P. 2. n. 416. Utraque differt à permutatione, quæ est pactio de merce pro merce, etiam nunc de pecunia pro pecunia præsente tradenda, eratque ante pecuniæ inventionem sola in usu. Regulatur autem eisdem legibus emptio & venditio, exceptis iis, quæ ad pretium spectant. Denique, quid arrha in hoc contractu operetur, colligendum est ex praxi & consuetudine loci, quæ diversa est.

QUÆSTIO II.

Quodnam, & quotuplex sit pretium justum rerum venalium?

Resp. Justum pretium est illud, quod in ordine ad usus humanos adæquat valorem rei venalis. Duplex est: nempe legitimum, & vulgare, quod etiam naturale dicitur. Legitimum est, quod publicâ authoritate Superioris, vel lege taxatur, consideratâ qualitate rei, aliisque circumstantiis. Hoc consistit in indivisibili, & præsumitur justum, nisi evidenter constet oppositum: unde ex Justitia servari 203. *Aliud est, legitimum, aliud vulgare.*

ri debet sub onere restitutionis ; quia publica potestas pro vi, quam habet, obligandi subditos in ordine ad bonum commune, restringit pretium ad aliquid determinatum : & hinc est indivisibile.

Vulgare triplex est, summum, medium infimum.

Pretium vulgare est, quod communi hominum æstimatione constituitur, spectatâ intrinsecâ bonitate rei, variisque circumstantiis, ad valorem ejusdem conferentibus : ùt sunt mercium copia, & penuria venditorum, labor, impensæ, pericula, modus vendendi, emptorum multitudo, vel paucitas, seclusis fraudibus, & monopoliis injustis.

Hoc pretium non consistit in indivisibili sed dividitur in summum, medium, & infimum. Cujus divisionis ratio est ; quia etiam prudentes rerum æstimatores non possunt æqualitatem mercis cum pretio mathematicè definire, aliis aliter æstimantibus : quod enim quidam æstimant novem v. g. florenis, hoc alii decem, alii undecim æstimant. Hinc in aliquam latitudinem consentiunt, ultra cujus terminos nec ascendere vendenti, nec descendere citra injustitiam licet ementi.

Nihilominus, quia pretii justitia consistit in æqualitate ejus cum merce, non potest pretium justum esse realiter triplex : neque enim tria inter se inæqualia habere possunt æqualitatem cum uno tertio : proinde duo ex triplici illo pretio vulgari, seu naturali non habent à parte rei æqualitatem cum merce, sed habent illam tantùm secundùm prudens hominum judicium ; attamen valorem sufficientem ad vitandam injustitiam ob communem hominum consensum : neque enim pretii vulgaris, vel naturalis variatio est desumenda à perfectione

rei

rei physica: alioquin mus pluris vendi deberet, quàm ingens acervus tritici; sed ex utilitate communi, quam habet ad usus humanos, ad quos solet adhiberi, & ex communi æstimatione. Unde sæpe pluris æstimatur equus, quàm mancipium; & gemma, licèt minùs utilis, pluris venditur, quàm magnus cumulus frumenti. Non sufficit tamen unius, alteriusve æstimatio; sed requiritur æstimatio communis in eo loco, etsi apud alios sit imprudens. Hinc vitrum, acus, & similia apud Æthiopes justè commutantur auro, & Hispani Indias primùm ingressi aurum, & gemmas pro aciculis, cultellis, aliisque crepundiis licitè admiserunt. Cæterùm quodnam hìc & nunc sit justum summum rei venalis pretium, judicandum est ex communi intelligentium æstimatione. Molina putat, si pretium medium sint 10. infimum fore octo, summum undecim cum dimidio, & ità de aliis, servatâ proportione, semper tamen minuendo, v. g. si medium sint 100. infimum debere esse 95. summum verò 105. sed hoc vix serviet pro praxi, in qua spectandus est communis intelligentium sensus. *Ex his deduco*

1. Peccat contra Justitiam, & tenetur ad restitutionem emptor, vel venditor, quoties ultra justum pretium imponit onus pretio æstimabile; quia non servatur æqualitas à Justitia intenta. 204. *Corollaria.*

2. Emptor sciens in merce latere vim, venditori ignotam, quæ fugiat communem æstimationem, non tenetur indicare eam, vel, augere pretium, sed potest emere secundùm communem æstimationem. Sic potest pharma-

copæus emere herbas communi pretio, etsi sciat, alicui esse vim specialem medendi.

3. Chirographa, actiones, debita immatura, sed posthac solvenda ordinariè possunt minoris emi, quàm sit summa debita; quia minoris æstimantur ob periculum sortis, damni emergentis, sumptuum, molestiarum, &c.

4. Si Titius sit in gratia Principis, & possit facilè obtinere summam, Cajo debitam, quam hic difficulter obtinebit, potest eam Titius minoris emere; quia in æstimatione communi minoris valet. *Excipe*, nisi illa difficultas veniret à Titio. La Croix L. 3. p. 2. n. 987.

5. Si merces sint taxatæ in favorem ementium, licitè emunt infra taxam; quia taxa tunc tantùm posita est, ne graventur ementes.

6. Si emas piscem, in quo sit gemma, vel saccum lanæ hostibus ereptum, in quo lateat pecunia, non teneris augere pretium, si vendens ignorârit, latere gemmam, vel pecuniam; quia ejus dominium sine animo habendi, ùt suam, non acquisivit. Si & tu ignorâsses, nec tu acquireres dominium vi emptionis; sed si dominus inquisitus inveniri non posset, annumerari pecunia deberet incertis, de quibus dixi suprà, & gemma fortè iis, quæ nullius sunt.



QUÆS-

QUÆSTIO III.

An res, quæ nec legitimum, nec vulgare pretium habent, ùt v.g. gemmæ quædam, insignes canes, aves Indicæ, flores peregrini, picturæ veteres possint vendi, quanti dominus voluerit?

Affirmant Nav. Toletus, Valentia, Sporer & alii. 1. Quia, cùm non sint res tales necessariæ usibus humanis, & nec pretium legitimum, nec vulgare habeant, penes venditorem est vendere eas tanti, quanti à prudente potest accipere. 2. Qui eas vult emere, cùm nullâ necessitate compellatur, censetur velle dare, quod alter exigit; aliàs non emeret.

Resp. Probabiliùs non possunt per se vendi pro arbitrio venditoris, sed juxta æstimationem intelligentium, vel certè ipsius venditoris æstimationem bonâ fide conceptam, spectatis circumstantiis, nempe rei qualitate, utilitate, raritate, novitate, periculis, & emptorum pluralitate. 205. *Probabiliùs non possunt.*

Ratio est 1. Quia justum pretium rerum, quæ nec lege, nec communi æstimatione taxatæ sunt, sumendum est ex judicio intelligentium mercatorum, cùm alia taxa hìc haberi non possit; res autem non nisi justo pretio vendi debeant. 2. Quia res non ideo pluris valet, quòd emptor speciali affectu in eam feratur, aut venditor ex cupiditate pecuniæ eam pluris velit vendere; ergo vendenda non est, nisi quanti valet prudentis judicio. 3. Judicium, quo judicat venditor, eam tanti valere, debet

esse prudens ; nemo autem potest prudenter judicare, eam tanti valere, quanti eam venditor vult vendere : aliàs posset quis vendere rem 100. quam judicat valere 10. si videret alium erga eam magno affectu ferri.

Nec obstat ratio Adversariorum 1ma ; quia ex eo, quòd res pretio nec vulgari, nec legitimo sunt taxatæ, non sequitur, pluris posse vendi, quàm prudentum judicio valeant.

Nec obstat 2da ratio : nam, licèt non cogatur eam emere, non ideo censetur liberaliter donare excessum pretii ; sed mavult illam jacturam subire, quàm re illâ carere : sicut, qui citra necessitatem pro lusu, vel recreatione accipit pecuniam mutuam sub usura, non censetur hanc dare ; sed usurarius tenetur eam restituere. *Nec juvat*, quòd avicula Canariensis olim vendita fuerit 30. Imperialibus, nunc autem vendatur Imperiali, si tota candida nascatur : nam tanti olim vendebatur ob raritatem, & copiam talem desiderantium, nunc autem ob copiam illarum minoris æstimantur ejusmodi aviculæ. Opposita tamen sententia videtur probabilis, ità ut ordinariè possit quis vendere res tanti, quantum citra fraudem obtinere potest : cùm enim pretium illarum non constet, si petendo exploret aliorum judicium, admittatque pretium, quod offertur, nulli videtur facere injuriam ; censenturque emptores & ipsi pretium certum ignorantes, consentire in pretium, quod offerunt.

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

Ex quibus caufis crefcat, aut decrefcat pretium rerum venalium?

Refp. 1mò. Crefcit ex his. 1ma eft copia emptorum, vel pecuniarum, & penuria, vel raritas mercium: pluris enim æftimatur, quod à pluribus quæritur, & in minore copia invenitur. Hinc in fubito adventu exercitûs, vel Principis res venales juftè venduntur cariùs. 206. Crefcit ex 4. caufis.

2da eft modus vendendi communis, ùt cùm merces venduntur minutim, & in parva quantitate: tum enim plures labores, impenfæ, & curæ requiruntur, plus periculi fubeundum, ne merces vilefcant, quàm fi in magna quantitate vendantur; pro quibus in bonum Reip. fufceptis plus licet petere.

3tia eft officium mercatorum, qui in bonum Reip. folis mercibus comparandis, & divendendis vacant, neglectis interim aliis lucrandi occafionibus; id quod pretio æftimabile eft. Non licet tamen ideo pretium legitimum, vel naturale excedere; quia illius tituli in communi taxatione pretii habetur ratio. Qui tamen non ex officio, fed incidenter vendit, non prohibetur eodem pretio communi vendere; quia hoc juftum eft, nùllique fit injuria.

4ta caufa funt expenfæ, moleftiæ, labores, pericula in mercibus iftis comparandis, & confervandis communiter fubeunda. Hæc enim funt pretio æftimabilia: proinde merces cariùs vendi poffunt; nifi tamen, ùt ordinariè fieri folet, eorum ratio jam fit habita in communi

taxatione pretii. Hinc si tales merces jam certo pretio communiter vendantur, pretium augeri non debet, nisi accedat alius titulus.

Dixi: *Communiter subeunda*: nam si quis plus periculi, laboris vel damni subierit, aut majores expensas fecerit, quàm alii ordinariè soleant, non ideo poterit pretium augere: sicut non tenetur minuere, si ordinarias expensas non fecerit, minus laboris, & periculi subierit: nam nec infortunium, aut difficultas, nec industria, vel bona fortuna unius communem mutat æstimationem, quæ petitur à communiter contingentibus.

207. *Decrescit iterum ex quatuor.* Resp. 2. Pretium decrescit ex his causis: 1ma est emptorum paucitas, quod enim minùs quæritur, minoris quoque æstimatur, & hinc in fine nundinarum merces minoris justè emuntur.

2da est copia mercium superveniens; quia minoris æstimatur, cujus major est copia.

Emptio, & venditio sub hasta. 3tia est modus vendendi: ac primò quidem, si res vendantur sub hasta, seu auctione publica: sicut enim in tali occasione valde crescit pretium ex fervore licitantium; ità ex frigore eorum multùm decrescit. Hinc communiter tunc censetur justum pretium, quod obtineri, & pro quo res haberi potest absque vi, & dolo. Sic fert passim prudentum, & piorum sensus, & usus, in quem communitas, & publica potestas censetur consentire, modò, ut dixi, absit vis, & dolus: nam sicut injustum est, mendacio, vel dolo inducere emptorem, ut cariùs emat, etsi non supra justum pretium: ità injustum est, & obnoxium restitutioni, si venditor rei sub hasta subordinet alios, qui fingentes, se velle emere, augeant pre-

pretium, ut veri emptores in pretio augendo ascendant, vel, si executor venditionis captet tempus, in quo pauciores sint emptores, ut ipsius amici pretio viliori emant, vel si emptor impediat alios ab emendo, vel pretio augendo: nam quilibet habet jus, ne vi, vel fraude à suo commodo impediatur. 2dò. Si merces ultro offerantur, emptores quærantur, vel rogentur, si merces in magna quantitate simul emantur: si enim offerantur ultro, merces vilescunt; quia hoc indicat paucitatem ementium, suspectamque reddit mercis bonitatem. Sic spolia à militibus capta parvo veneunt. Si autem in magna quantitate simul emantur, liberatur mercator curis, labore, impensis, periculis, ob quæ aliàs pretium crescit, fitque expeditior ad alias emendas, quod illi utilius est, quàm si eas successivè ordinario pretio vendidisset: proin aufertur impedimentum utilitatis, ob quod aliàs pretium majus esse posset.

Notandum tamen, non licere minoris emere res pauperum, ex eo præcisè, quòd necessitate compulsi eas venales proponant: iniquum enim est, ob necessitatem proximi pretium minuere: uti iniquum est. illud augere ob necessitatem, utilitatem, aut specialem affectum emptoris; cùm hæc non sint vendentis, sed ementis. Injustum autem est aliquid vendere, quod suum non est. Sic injustè vendis tuam domum mihi cariùs, quia meæ contigua est. S. Th. 2. 2. q. 77. a. 1. *Quid, si pauper offerat quid venale?*

Quarta causa, ex qua pretium decrescit, est merx parum utilis emptori, emptaque tantùm in gratiam venditoris; valor enim decrescit ex parva utilitate, & emptorum paucitate.

QUÆSTIO V.

An liceat aliquando vendere supra, aut emere infra justum pretium vulgare rei, secundùm se spectatæ?

208. *Si adsit justus titulus licet.* Resp. Per se loquendo, non licet; attamen licet, si adsit justus titulus, quales sunt: lucrum cessans, damnum emergens, periculum pretii, molestiæ in eo obtinendo, affectus specialis prudens venditoris erga rem suam. *Ratio primæ partis est*; quia omnis contractus onerosus est actus Justitiæ commutativæ: hæc autem requirit, ut æqualitas in eo servetur: neque enim excessus censetur gratis & absolutè donari, vel defectus remitti; sed merx & pretium dantur tanquam æquivalens in æstimatione morali, quæ cùm suam latitudinem habeat, licet pretio justo summo vendere, & infimo emere, quod tamen debet determinatum esse: aliàs enim obligatio oriri non potest tradendi rem, vel pretium. Hinc venditio non valet: si dicas; Vendo tibi hoc vinum, quanti volueris: valeret tamen, si diceres; Vendo tibi, quanti illud emi, quanti hodiedum venditur simile; quia pretium à parte rei foret determinatum. *Ratio 2dæ partis est*; quia, si adsit justus titulus, is pretio est æstimabilis; ideoque, etsi plus exigatur, aut minus solvatur, adhuc servatur æqualitas, modò titulus non pluris taxetur, quàm valeat. Pars hæc ordine declaratur: nam 1. Meritò exigis compensationem: si res tuas vendas in gratiam alterius eo tempore, quo minoris valent, & prævideas,

videas, te postea cogendum ad emendum pluris pro sustentatione tuæ familiæ. Item si decreveras servare tua in tempus, quò sunt pluris valitura, & vendas alteri nunc egenti, vel volenti emere: neque enim teneris cum tuo damno vendere; ut autem justè taxetur excessus, vel defectus, deduci debent expensæ, quas facere debuisses pro conservandis ad illud tempus rebus tuis, computari quoque debet æstimatio diminutionis, deteriorationis, & periculi res ad illud tempus servandi: aliàs plus exigeres, quàm patiaris damni, aut lucri cesset. 2. Si sit periculum pretii, aut molestiæ in illo obtinendo, hoc periculum in gratiam alterius subire est pretio æstimabile, quod, consideratis omnibus, prudenter taxandum est. 3. Si adsit specialis affectus prudens erga rem, quam in gratiam alterius vendis, v. g. quia est antiqua, rara, à Principe, vel à Majoribus accepta, &c. justè aliquid proportionatum exigis prudenti, & moderato affectui, ut huic renunties: nam molestia subeunda in carentia rei specialiter æstimatæ, & amatæ, imò & privatio specialis rationabilis delectationis in gratiam alterius est pretio æstimabilis, tanquam quædam incommoditas, non secùs, ac privatio utilitatis.

Est tamen monendus emptor, dum plus ob affectum, lucrum cessans, aut damnum emergens exigitur: aliàs ab ipso ignorante, & non consentiente exigitur pretium pro aliquo merci extrinseco; quod æquum non est, cùm ipse non consentiat, nisi in pretium pro valore rei secundùm se spectatæ, imò fortè alibi emeret, si sciret, exigi pretium, excedens valorem mercis secundùm se spectatæ.

209. *Solvitur objectio.* *Dices.* In foro externo non datur actio ei, qui emendo cariùs, vel vendendo viliùs, non est deceptus ultra dimidium justi pretii, v. g. si agrum tuum valentem 100. aureis vendidisti 60. vel 50. non potes intendere actionem ad rescindendam venditionem, vel ad supplendum defectum pretii; quia non es deceptus ultra dimidium justi pretii; secùs autem, si vendidisti infra 50. Similiter, si agrum valentem 100. aureis emas 152. vel pluris, potes agere, ut vel emptio rescindatur, vel restituatur excessus ille, non tamen, si emeris 140. vel etiam 150. Colliguntur ista apertè ex *L. 2. C. de rescindenda Venditione*, & L. 8. ibidem &c. Jam verò leges, quæ sunt justæ in foro externo, etiam justæ sunt in foro interno, nisi lex nitatur falsâ præsumptione, aut sit merè pœnalis: hæc enim non obligat in conscientia ante sententiam Judicis. Engel. L. 1. Tr. 2. §. 3. n. 36.

2. *L. 16. ff. de Minoribus* dicitur, in pretio emptionis & venditionis naturaliter licere contrahentibus se circumvenire; ergo juxta leges civiles licet per se minoris emere, & pluris vendere, quàm res valeat.

Resp. Neg. Conseq. Lex non decepto ultra dimidium non dat actionem; tum, ut vitentur lites, quæ innumeræ sequerentur, si ex qualibet fraude daretur actio; tum, ut homines discant cautè mercari. Non tamen fraudator, qui alterum vendendo, vel emendo decepit citra dimidium, excusatur in foro conscientiæ à restitutione, etsi putârint id quidam Legistæ; quia non servatur æqualitas inter mercem, & pretium, nec id, quod excedit, censetur liberaliter donatum. Leges justæ in foro

foro externo, sunt quidem regulariter justæ in foro etiam interno: id est, quæ obligant, vel absolvunt in uno, id & faciunt in altero, at non semper; & tantùm justæ materialiter sunt in externo. Sic justè negatur actio in foro externo, & tu justè eam non permittis; sed non ideo deobligaris à compensando defectu pretii.

Nec juvat lex altera: nam dum dicit, naturaliter licere, idem est, ac dicere, jure gentium, quod naturalè dicitur, id permitti, seu non dari actionem. Nec verum est, quòd lex transferat dominium: aliàs foveret injustitiam, & desineret esse lex. Vide dicta 1. P. sub n. 156. in fine. *Ex dictis deduco*

1. Qui rem emit minoris, quàm infimo justo pretio, aut vendidit pluris, quàm summo, tenetur supplere defectum: idem est de eo, qui vendidit supra pretium legitimum, nisi esset certò injustum, aut haberet merces notabiliter meliores, quàm passim in foro vendantur. Idem quoque est de lanione, qui partes carnis meliores vendit supra taxam, & viliores secundùm illam; quia tenetur partiri carnes secundùm proportionem meliorum, & viliorum partium. 210. *Corollaria.*

2. Si venditor ignoret valorem mercis suæ, velitque eam vendere minoris justo, non potes eam sic licitè emere, sed teneris vel monere, vel saltem pretium justum infimum offerre: aliàs non servatur æqualitas. Nec excusaris, si dicas: Volo tanti emere, si velis donare, quod fortè pretium excedit: nam donatio illa non foret spontanea, sed consentiret venditor, eò quòd nolis aliter emere. Aliud foret, si uterque ignoraret valorem mercis & tu 211. *Quid, si venditor ignoret pretium mercis.*

tu exponeres te periculo plus dandi, & alter minus justo accipiendi: tunc enim justus esse potest contractus de pretio, bona fide existimato, etsi fortè justo majus, aut minus foret. Similiter, si ignores valorem mercis, & offeras pretium justo majus, tenetur te monere venditor; quia non censeris excessum donare liberaliter, nisi aliunde constet, sed illum offers ex errore, adeoque involuntariè. Si tamen Principes offerant pretium majus, censentur plerumque excessum liberaliter donare; quia decet, Principem esse liberalem.

212. *Venditio ad creditum.* 3. Non licet pluris vendere præcisè ob dilatam, nec minoris justo vulgari pretio obanticipatam solutionem; quia ratio temporis per se nihil confert ad pretium, & solutio futura per se æquivalet præsenti. Unde in utroque casu est virtuale mutuum, ratione cujus nihil licet exigere. Dixi; *Præcisè*: nam licet aliquid proportionatum exigere supra vulgare pretium, si probabiliter pro accipiendo pretio molestiæ sint subeundæ, sumptus faciendi, vel, si cesset ob dilatam solutionem lucrum, vel damnum emergat. Quod tamen in mercatoribus rarum est: si enim vendant adcreditum, plures habent emptores, sunt liberi à labore merces conservandi, à periculo, ne vitium contrahant, vel, si huic merces non vendidissent, vendituri fuissent alteri vulgari pretio, aut pecuniæ numeratæ non fuissent negotiationi expositæ intra tempus, quo non solvitur; sicque lucrum compensatur. Si tamen hic titulus adesset, monendus de hoc esset emptor, deberetque auctario detrahi, quanti expensæ, & periculum novæ negotiationis prudentis viri judicio æstimatur. Cæterùm, sicut licet
emere

emere infimo pretio justo, & vendere summo semper, nisi aliud proximi charitas exigat: ità licet vendere summo pretio justò ad creditum; etsi aliàs minoris fuisses venditurus: talis enim venditio sæpe multis incommodis, & periculis est exposita.

4. Privatus qui scit mercis pretium brevi minuendum, potest, salvâ Justitiâ, eas pretio currente vendere: & qui pecuniæ valorem extrinsecum brevi scit minuendum, potest eam exponere secundùm valorem præsentem, modò absit fraus. *Ratio est*; quia pretium præsens est justum, & necdum immutatum: neque enim privata scientia mutat decretum Magistratûs, aut communem æstimationem. Dixi 1. *Privatus*: nam Magistratus peccaret contra Justitiam, & teneretur ad restitutionem, si pretia rerum mutaret, vel valorem pecuniæ ob privatam utilitatem suam, vel decretum differret promulgare eo tantùm fine, ut priùs merces suas currente majore pretio vendat, vel alias emat in pretio postea augendas; aut, si alicui legem brevì promulgandam significaret cum aliorum detrimento. *Ratio est*; quia potestate suá, utpote directè ordinatâ in utilitatem subditorum, uti non potest in utilitatem propriam, vel unius privatam cum aliorum detrimento, teneturque ex officio omnium bono consulere, & damna impedire. Dixi 2. *Salvâ Justitiâ*: nam potest peccari contra charitatem: v. g. si pauperi magnam pecuniam brevì minuendam solveres, aut magnam copiam rerum, quarum pretium scires brevì notabiliter minuendum, venderes: sic enim proximum conjiceres in gravem necessitatem ob lucrum tuum, quod repugnat charitati. Sicut repugnaret,

213. *Quid, si scias, valorem pecuniæ brevi minuendum esse*

naret, si illi in gravi necessitate non succurreres, ubi sine gravi incommodo tuo posses. Dixi 3. *Modò fraus absit* : nam si alteri persuaderes, periculum non esse pretii minuendi, sicque mendacio induxisses ad emendum, vel pecuniam acceptandam, contractus esset injustus, & obnoxius restitutioni.

214. *Quid de falsa moneta?* 5. Peccat pro quantitate materiæ, qui emit pecuniâ certò, vel probabiliter falsâ materialiter, sique eam exposuerit, tenetur recipere, & bonam substituere. Quod si illam ab alio acceperit, potest ei si noverit, eam reddere; & aliam exigere; si non noverit, nec invenire possit, detrimentum illud debet vel casui, vel improvidentiæ suæ adscribere, & pecuniam supprimere, aut detecto vitio vendere, quanti justè poterit: neque enim ex eo, quòd deceptus sit, licet alterum decipere. *Ratio horum omnium est*; quia aliàs non servatur æqualitas à Justitia intenta. Quodsi pecunia esset materialiter bona, & falsa tantùm formaliter: id est, si habeat materiam, qualem habere existimatur, & debet in debito pondere, sed non formam, seu signum Principis legitimâ authoritate appressum, exponi potest, si nullum alteri damnum inde timendum sit.

QUÆSTIO VI.

Quæ vitia mercis teneatur venditor manifestare emptori?

215. *Vitia mercis.* *Nota.* Vitia mercis alia sunt substantialia: ùt, si vendas vitrum pro gemmâ, succum pomorum pro vino de vite. Alia sunt accidentalia, eaque vel in quantitate, vel in qualitate: ùt,

ùt, si vendas oves morbidas pro sanis. Item alia sunt manifesta , quæ omnibus facilè patent ; alia occulta, quæ non facilè passim notantur : alia damnosa Emptori, aut saltem talia, ut iis cognitis, vel non emeret , vel saltem non tanti ; alia non talia. Quòd venditor teneatur vitium substantiale manifestare id non advertenti Emptori , constat ex dictis ; quia nempè Emptor non consentit in substantiam contractûs , nisi materia sit saltem moraliter eadem cum illa, quæ intenditur : utì esset , si unum medicamentum certò æquè salubre , & utile substitueretur alteri. Itaque de solis vitiis accidentalibus est quæstio , ad quam.

Resp. 1mò Si venditor interrogetur de vitiis mercis , tenetur manifestare omnia occulta, quamvis mercem, nec inutilem, nec damnosam faciant ; quia , si interrogatus non respondeat sincere , dolum committit, qui si fuerit antecedens., causaque contractûs, ità, ut vitio cognito Emptor non fuisset empturus, contractus saltem rescindibilis est ; si autem fuerit incidens , seu talis , ut vitio cognito Emptor adhuc fuisset empturus, sed non tanti, venditor tenetur ei restituere ex pretio , quanto minoris justè emisset ; quia eatenus illi injuriam fecit. Putat Sporer , hæc vera esse, etsi vitium tantùm esset leve ; eò quòd Emptor interrogando satis indicaverit , se tantùm habere voluntatem conditionatam emendi, vel tanti emendi , si nullum esset vitium, quod scire voluit. Verùm cùm vix res sit ab omni vitio omninò pura , non videtur in tali rigore intelligi interrogatio. Cæterùm si venditor interrogatus putaret etiam non occulta vitia ab

216. *Interrogatus tenetur vitia detegere.*

Emp-

Emptore non notari, teneretur & illa aperire; quia generatim interrogat de omnibus. Ità Leff.

Secùs, si non interrogetur, & vitium non reddat rem notabiliter inutilem, &c.

Econtra si venditor non interrogetur de vitio rei, hocque rem nec noxiam, nec periculosam, nec notabiliter inutilem reddat, non tenetur aperire vitium etiam occultum, tenetur tamen minuere pretium pro ratione vitii. *Ratio 1mæ partis est*; quia tunc nulla Emptori fit injuria, etsi fortè, sciens vitium, non fuisset empturus, sicque etiam sit secundùm quid involuntaria. Ità habet communis cum S. Th. quæ nisi vera esset, multi emptores pretio justo postea detraherent, & venditores à commercio cum magno Reip. detrimento deterrerentur. *Ratio 2dæ partis est*; quia aliàs pluris venderet, quàm valeret. Unde si venditor probabiliter prævideret, rem ab emptore revendendam esse pluris, quàm justo pretio, ob latens vitium, deberet monere saltem post contractum; quia, qui exponit rem venalem, providere debet, ne alii inde damna patiantur. Si emptor notaretur nolle emere, nisi res vitio careat, emptio esset invalida.

217. *Tenetur non interrogatus, si vitium sit damnosum.*

2. Si autem merx habeat vitium, ob quod sit damnosa, vel periculosa, inutilis, vel notabiliter minùs utilis ad notum emptoris finem; tenetur venditor, si id sciat, etiam non interrogatus illud manifestare: aliàs tenebitur restituere pretium, & compensare damna; quia injusta horum foret causa: quilibet enim vendens censetur agere sincerè, & mercem vendere non noxiam, non inutilem; sique secùs fiat, emptor non consentit in eam. Est autem res damnosa, & inutilis, si non sit apta usibus communibus, ad quos solet emi, vel

emitur. Unde peccat, qui occultans vitium rei, ob quod brevi corrumpitur, eam vendit, nisi mox esset ab emptore sine detrimento consumenda. Sic peccat, qui vendit semina corrupta pro recentibus, frumenta pro polenta ad coquendam cerevisiam, quæ destituta sint vi germinandi, oves scabiosas pro sanis, pannum adustum pro durabili, tigna cariosa pro ædificio, bona litigiosa pro liberis, & certis, debita periculosa pro securis, equum segnem pro generoso. Item qui sciens à Cajo quæri bovem aptum aratro, vendit illi ad id ineptum, bonum tamen pro macello, ut habet communior, & probabilior contra S. Antoninum, & alios; quia licèt sit simpliciter bonus, & dignus isto pretio, Cajus tamen in illum non consentit, teneturque venditor ejus se menti accommodare. Dixi: *Tenetur de damnis, si vitium sciverit*: nam si id inculpabiliter ignoraverit, tenetur tantùm reddere pretium, si ignorantia in emptore fuerit causa contractûs; vel excessum pretii, si tantùm fuerit causa, cur pluris emerit.

Resp. 3. Venditor regulariter non tenetur manifestare vitium mercis ex se manifestum; sed sufficit, debetque pretium minuere pro ratione vitii. *Ratio est*; quia vitium tale præsumitur advertì, sique emptor non advertat, debet imputare suæ incuriæ Dixi *Regulariter*; quia si emptor esset tam rudis & hebes, ut vitium etiam manifestum non adverteret, monendus esset, quia respectu ipsius vitium censeretur occultum. 218. *Nisi vitium ex se manifestum.*

Dices. Possum emere agrum communi pretio, in quo privatim scio latere thesaurum; quia non ideo pluris fit in æstimatione communi; ergo possum vendere debitum periculosum, si in communi æstimatione censeatur securum. R. C. 219. *Objectio solvitur.*

ant. N. coam, quia thesaurus nec est pars, nec fructus fundi, nec pertinet ad dominum fundi, sed nullius est, per accidens in agro latens, dominoque fundi nec ex dimidio debetur, donec inventor eum apprehendens, voluerit facere suum. At vitium talis debiti est illi intrinsecum, facitque ipsum intrinsecè vilius & postea manifestandum. Idem à potiori dic, si scias debitorem tuum non esse solvendo; quia ex debito fit non debitum cum nemo ad impossibile teneatur. Idem dicunt Less. & alii de vena metallica, quod dixi de thesauro: juxta quos vena talis est 1mò occupantis, & ager emetur tantùm ratione superficiei, & virtutis frugiferæ; & hinc ratione venæ passim ignotæ non æstimatur pluris in ordine ad usus humanos, nisi communiter id cognoscatur saltem à venditoribus. Quod si ignorans venam bonâ fide emisses agrum, certum est in praxi, non habendam dein rationem istius venæ; quia, quæ à nemine cognoscuntur, non æstimantur pretio: unde emptor nunquam tenebitur compensare valorem venæ. Sic inquit La Croix hic n. 952. si emisti vas, quod communiter æstimabatur æneum si postea inveniatur esse ex parte aureum, non teneris communi pretio aliquid superaddere; quia non fuit error in substantia morali, & commercio humano.

QUÆSTIO VII.

An, & quatenus liceat vendere res mixtas, & inducere emptores, ut carius emant?

220. *Quid, si res fiat*

Resp. Peccat contra justitiam, & ad restitutio-

tutionem tenetur. 1mò. Qui vendit rem aliâ viliore mixtam, si commixtio noxia sit, vel reddat rem deteriorem, aut minùs utilem; quia injustè contra fidem contractus decipit emptorem, qui putat, sibi vendi res puras, & non minoris bonitatis. Si autem res maneat idonea ad consuetum usum, nec reddatur deterior, quàm illa, quæ simili pretio ab aliis venditur, potest licitè vendi, saltem si remittatur proportionatè de pretio. Ità Molina, Laym. Sporer, La Croix n. 957. & alii. Addit Less. si materia deterior per industriam meliori ità admisceatur, ut meliùs temperetur, posse vendi consueto pretio: verùm in praxi id non facilè permittendum; quia amor lucri facilè hominibus, suæ utilitati intentis, persuadebit, non obstante mixtione rem manere æquè bonam, aut etiam fieri meliorem. Quòd, si vinum tuum purum non possis justo pretio vendere & misceas aquâ, vendasque amphoratim, excusat te Layman, modò justum pretium non excedas, & pro aqua non exigas pretium. Secùs foret, si vasi vendendo aquam affunderes; quia sic vinum faciliùs acescet: unde hoc casu vilius vinum admiscendum foret.

vilior per mixturam.

2. Etsi liceat laudare merces suas, & ità inducere ementes, ut cariùs emant intra justum pretium; peccat tamen contra justitiam cum onere restitutionis, qui fraude vel mendacio ementes inducit, ut cariùs emant: utì qui subdolè facit, ut mercis bonitas major appareat, quàm in se sit; qui auget pondus, vel extensionem per dolum, v.g. avenam aquâ perfundit, lanam ponit in loco humido, ut fiat ponderosior; qui fingit litteras, vel spargit falsum rumorem de urbe obsidenda, de submersis navibus,

221. *Licet inducere emptores, sed sine mendacio.*

vibus, quæ tales merces vehebant, ut sic cariùs vendat merces suas. Hoc casu & alios, qui bonâ fide cariùs vendiderunt, teneri ad restitutionem, tenent apud La Croix n. 955. Castrop. Salas, & alii; quia pretium est injustè auctum, & iniquum respectu auctoris sui: ergo & respectu aliorum.

222. *Quid, si vendat minoris & detrahat de pondere?* 3. Peccat cum onere restitutionis, qui vendit infimo justo pretio; & detrahit de pondere; vel mensura; ut habeat pretium medium; imò, & qui vendit infra infimum, & ut hoc habeat, detrahit de pondere vel mensura, vel mercem viliori miscet; quia ab aliis mercatoribus ad se trahit emptores per dolum, & decipit ementes: unde tenetur aliis mercatoribus compensare damnum, uti & emptoribus, si quod passi sunt.

223. *Si venditor falsò juret, sibi pluris stetisse.* 4. Etsi peccent mercatores dicendo falsò; vel jurando, mercem sibi pluris constare, se pluris jam vendidisse, se non posse sine damno vendere minoris; attamen saltem regulariter non tenentur ad restitutionem, si ementes inducantur ad pluris emendum; quia satis constat, ejusmodi dicta adhiberi à mercatoribus lucri causâ, & sæpè falsa esse; hinc imputent sibi emptores, si facilè credant. Ita La Croix N. 956. Excipe, nisi emptor esset nimis simplex.

QUÆSTIO VIII.

Quandonam Emptor acquirat dominium rei emptæ.

224. *Si res trada-* Resp. Quando res est tradita, pretiumque realiter, vel æquivalenter solutum; regulariter

tor autem non ante. *Ratio est*; quia tum, & non priùs intendit venditor transferre dominium, ùt constat ex jure gentium, praxique communi. Censetur verò pretium æquivalenter, vel virtualiter solutum, si pro eo sit præstita cautio per pignus, vel fidejussorem, aut fides sit habita, ità, ut venditor sit contentus, utì fit plerumque, promissione emptoris, sicque pretium pro soluto habeat. Hinc si res auferatur, antequam pretium sit in se, vel in æquivalenti solutum, restituenda est venditori. Dixi *Regulariter*: nam quando principalis venditor est Ecclesia, vel Fiscus, vel minor, res per venditionem ministri, procuratoris, vel curatoris non alienatur ante actualem pretii solutionem. La Croix N. 966, 974. *tur, & pretium est, vel habetur pro soluto.*

QUÆSTIO IX.

Ad quem pertineat periculum, commodum, & incommodum rei venditæ?

Resp. Per se loquendo pertinent ad dominum rei: æquitas enim naturalis postulat, ut res pereat, fructificet, sterilescat suo domino: unde nisi aliter conventum sit, re traditâ, fideque de pretio acceptatâ à venditore, ista pertinent ad emptorem. Dixi: *Per se loquendo*: nam Jure civili hæc statuta sunt. 1mò: Etsi res emptori necdum sit tradita, adeoque nec ejus dominium habeat, si tamen vendita sit absolutè, & in individuo determinata, saltem sub disjunctione, v. g. hic equus, hic ager; perit, fructificat, crescit, & decrescit 225. *Regulariter ad dominum rei.*

Emptori, nisi aliter conventum sit, vel culpa venditoris intervenerit, v. g. quòd rem non custodierit, statuto tempore non tradiderit. 2. Si autem res non fuerit in individuo determinata, pertinent ista ad venditorem: ùt si emas 20. modios tritici ex acervo, vel etiam acervum tritici uno imperiali in singulos modios, sex oves ex grege, non determinando eas, vel hunc gregem uno imperiali in singula capita; quia talis venditio non est perfecta, sed conditionata, si nempe traditæ fuerint tot oves, mensurati tot modii. Aliud foret, si emeres non ad numerum, vel mensuram, sed cumulativè totum gregem, vel acervum; aut ex duobus equis emeres unum sub disjunctione, ut tibi traderetur hic, vel ille: tunc enim si ambo perirent post venditionem absolutè factam, tenereris solvere pretium, etsi nihil reciperes; si vero unus tantùm periret, Jus haberes ad alterum. Excipe tamen iterum, nisi culpa intervenerit ex parte venditoris, si v. g. terminum rei mensurandæ, vel numerandæ culpabiliter transgressus esset. 3. Si venditio fuit sub conditione de futuro contingenti, periculum rei venditæ pertinet ante traditionem ad venditorem, sique pereat, illi perit; quia venditio fuit imperfecta. Si autem pendente conditione solùm decrescat, vel crescat, commodum & incommodum pertinet ad emptorem, nisi incommodi causa fuerit venditor; & contractus purificatâ conditione est absolutus, jurisque fictione retrotrahitur, ac si res in eo statu fuisset vendita. Ità statuitur *L. 1. Cod. de periculo, & incommodo rei venditæ. L. 12. de actione empti. L. 35. ff. de emption. & vend. &c.*

Super-

Supereſt dubium, an rei determinatæ in individuo, abſolutè venditæ, non traditæ, non ſolùm pendentes, & apparentes, uti convenit, ſed etiam priùs poſt contractum exorti fructus pertineant ad Emptorem? Affirmat communior Theologorum contra plures Juriſtas, Sanch. Nav. Molinam; quia cum pericula ad hunc pertineant, æquum eſt, ut & fructus: aliàs non ſervaretur æqualitas. Dein fructus rei frugiferæ ſunt acceſſorii: ergo cum re debentur Emptori. Verùm quia pleraque pendent à voluntate præſumpta contrahentium; expedit, ut hi clarè exprimant in contractu intentionem ſuam circa ea, quæ controverti poſſunt. La Croix n. 977. 983. 226. *Quid de fructibus poſt contractum exortis?*

QUÆSTIO X.

Quæ pacta venditioni, & emptioni licitè poſſint adjici?

Reſp. Poteſt licitè adjici pactum revenditionis, quo obligatur Emptor, ut poſt tempus rem jam ſibi traditam revendat, vel reſtituat pro pretio ſoluto, modò ſincere procedatur, venditorque remittat de pretio, ut onus emptori impoſitum compenſetur, & non obligetur ad revendendam rem pretio minori. Hoc enim iniquum foret, etſi pretium non eſſet adhuc numeratum: nam contineret virtuale mutuum, qui contractus dicitur hiſpanicè Mohatra, & proſcriptus eſt ab Innoc. XI. Si autem prædictæ conditiones adſint, ſervatur æqualitas. Si tamen res vendita induſtriâ emptoris facta eſſet melior, incrementum hoc ei compenſandum eſſet. 227. *Pactum revenditionis.*

228. *Pactum retroemptionis.* 2. Adjici per se loquendo licitè potest pactum retroemptionis, quo venditor obligatur ad rem redimendam eodem pretio, si Emptori placuerit, modò prædictæ conditiones serventur. Emptorem tamen rei frugiferæ adjicere pactum, quo teneatur venditor postea rem recipere, & totum pretium emptori, retinenti fructus ex re interim perceptos, restituere, est in praxi periculosum, & affine virtuali mutuo: nam qui emit v. g. vineam cum pacto, ut post duos, vel tres annos eodem pretio redimatur, quo empta fuit, & fructus illi maneant, non videtur habere animum sincerum emendi, sed dare pecuniam præsentem, ut totam recipiat cum lucro. Excusari tamen poterit, si res ab initio ematur majori pretio proportionato spei fructuum, ob quam res antecedenter est magis æstimabilis, modò tamen fiat vera emptio.

229. *Pactum legis commissoriæ.* 3. Licitè potest pactum adjici legis commissoriæ: id est, quo emptor obligatur ad pretium solvendum designato die, sique eo non solvat, contractus sit nullus: v. g. vendo tibi hunc agrum 100. aureis, mihi numerandis 1mâ Martii; sique illo die non numeres, volo, ut ager sit inemptus. *Ratio est*; quia cùm venditor teneatur tunc exspectare diem designatum, servatur æqualitas. Quodsi eo die non numerentur, potest venditor vel petere pretium, vel repetere rem venditam. Si hanc repetat, tenetur Emptor etiam fructus perceptos reddere, & compensare damnum; quia fructus Emptori non fuerunt acquisiti, nisi ratione dominii resolubilis, quod perinde habetur, acsi non fuisset; eò quòd venditio reputetur, acsi facta non fuisset.

4. Ad-

4. Adjici poteſt pactum addictionis in diem : id eſt, quo venditur res certo pretio eâ lege, ut maneat Emptoris, niſi alius ante certum diem plus offerat, v. g. vendo tibi hunc agrum 100. aureis, ſi ante Calendas Januarii nullus plus obtulerit ; ſi autem quis ante plus obtulerit, ager à te abeat. In venditione cum hoc pacto dominium rei, utì & vindicatio ſtatim in emptorem tranſit, etſi res non ſit tradita. Neque hoc pactum, utì nec commiſſorium, reddit contractum conditionatum, ſed relinquit abſolutum, eſtque conditio adjecta non ſuſpenſiva, ſed reſolutiva contractûs. Hinc Emptor Jus abſolutum acquirit ; ſed deficiente conditione reſolvitur contractus, & res ad venditorem redit. Hinc & commoda omnia, & incommoda pertinent ad Emptorem, eâ tamen lege, ut fructus rei omnes etiam conſumpti venditori ſint reſtituendi, ſi ante diem elapſum melior conditio offeratur, & contractus reſolvatur. Melior autem conditio cenſetur oblata, ſi offerat quis aliquid ad majorem venditoris utilitatem : ùt ſi plus offerat pretii, ſi pretium idem velit numerare, & tempore commodiore, vel ſublevet venditorem etiam aliquo onere. Hanc conditionem, ſi primus Emptor præſtare velit, vel adæquare, res empta apud ipſum manebit. Non poterit tamen fructus pendentes retinere vi primæ emptionis, utpote quæ reſoluta eſt. 230. *Pactum addictionis.*

5. Adjici poteſt pactum locationis : utì ſi Petrus vendat Paulo domum, nolens ejus etſi traditæ transferre dominium, donec pretium ſolvatur, interim retinens ejus dominium cum periculo illam Paulo elocet erga juſtum loca- 231. *Pactum locationis.*

 gium,

gium, donec pretium solvatur: sic enim Paulum liberat periculo, partemque utilitatis ei permittit, partem autem sibi vult ex re sua solvi, ne re, & fructibus careat. Cavendum tamen, ne Emptor plus justo gravetur. Si autem dominium transferat, vel periculum in se non suscipiat, non potest pacisci de pendenda sibi parte fructuum, nisi adsit alius titulus, v. g. lucrum cessans, &c. Vid. Lug. disp. 25. n. 140. La Croix hìc n. 981.

QUÆSTIO XI.

Quæ non liceat vendere, & emere?

232. *Non licet imo vendere rem alteri venditam.* Resp. Non licet vendere & emere imò rem alteri venditam, etiamsi necdum traditam; quia Emptor primus habet jus ad rem illam, si tamen secundo res tradita est, jam ejus dominium habet, & primo contra venditorem competit actio: imò si hic solverit pretium, non verò secundus, aut pactum iniverit cum venditore de re non vendenda alteri, secundus Emptor non acquirit dominium rei, etiam sibi traditæ; quia tunc apponitur clausula Constituti, id est: venditor constituit se possessorem pro emptore, ideoque hic Emptor incipit possidere, & traditio æquivalenter præcessit. Hinc posterior venditio invalida est. Si autem 2dâ venditione translatum sit dominium, potest secundus emptor rem retinere, nisi venditorem induxerit ad vendendum, aut malâ fide processerit, & primus Emptor rem intra annum repetat. Hæc valent etiam in aliis contractibus, v. g. locatione &c. Excipe tamen res venditas, vel donatas Ecclesiæ, civitati,

vel piæ causæ: hæ enim acquirunt dominium ante traditionem.

2. Vendere non licet rem hypothecatam, nisi monito Emptore de gravamine, quod res fert secum. *2. Rem hypothecatam.*

3. Nec bona sua in fraudem creditorum: his enim, cùm Jus habeant ad solutionem debitorum, fit injuria, si debitor se, vendendo sua vel donando, reddat minùs potentem debitis solvendis. Et quanquam in Emptores transferatur juxta probabiliorem dominium, contractus tamen rescindi potest à creditoribus; sique ementes processerint malâ fide, non sunt tuti in conscientia; quia concurrerunt ad damnificationem, & determinatâ actione suâ eam compléverunt: unde tenentur ad restitutionem in foro interno, quòd tamen negat Molina, & Less. dub. 19. n. 168. si vendentem non induxerint, eò quòd usi sint jure suo permittentes venditoris peccatum, cujus malitia jam per oblationem rei venalis completa sit. Lugo Disp. 20. cum aliis contradicit; quia determinatè cooperatur injusto impedimento, quo solutio fit impossibilis. *3. Bona in præjudicium creditorum.*

4. Res tum spirituales, utpote excedentes omne pretium, tum Ecclesiasticas immobiles, & mobiles pretiosas, quæ servando servari possunt; has enim vendere sine solennitate & consensu legitimi Superioris, seu Pontificis, aut saltem Episcopi, lege positivâ prohibitum est. *4. Res spirituales.*

5. Licitum non est emere res etiam dubiè furtivas cum animo eas retinendi, etsi certum esset, eas ab aliis esse emendas, vel consumendas; quia emens cooperaretur furi, & præveniens alios emendo, præveniret in injuria. Si tamen prudenter præsumeres, rem à Domino haberi pro derelicta, posses dare ali- *5. Res furtivas.*

quid

quid etiam leve pro ea, ſicque rem faceres tuam titulo non emptionis, ſed occupationis. Si autem poſtea Dominus compareret, & rem pro derelicta non habuiſſet, deberes reddere. Dixi: *Animo retinendi*: nam cum animo eam Domino reddendi, potes modico pretio emere, tibi dein reſtituendo; quia utiliter gereres negotium Domini, quem tunc & tenereris inquirere. Imò ſi ex prudenti ratione judicâſſes, paratum eſſe Dominum refundere etiam magnum pretium, ideoque id furi dediſſes pro re Domino vendicanda, poſſes rem retinere, donec tibi reſtituatur pretium; quia bonâ fide ex voluntate Domini prudenter præſumpta proceſſiſti, cenſeriſque utiliter rem Domini egiſſe, quod non debet tibi nocere.

6. Quamvis Leſſ. *in auctario V. beneficium caſu ſexto*, doceat, non licere ab hæreticis emere bona Eccleſiarum, & Monaſteriorum, niſi cum animo, reſtituendi ea cum fructibus omnibus; probabile tamen videtur, licere Catholicis emere bona immobilia eorum, etiam ſine conventione cum Papa, & Generali ordinis, & retinere, quamdiu à propriis Dominis occupari non poſſunt, nec interea eſſe obligationem ad intereſſe, aut ſolvendum aliquid pro fructibus; quia præſumitur voluntas Papæ, & Dominorum, quòd malint fructus, & Jura cedere Catholico, quàm manere in manibus Acatholicorum ſine ſpe recuperandi: ſic enim Catholici animantur ad ea emenda. Si tamen Acatholicus ea emeret, careret hoc jure; quia Eccleſia non cenſetur illi favere magis, quàm aliis Acatholicis. Dixi: *Bona immobilia*; quia ſi eſſent mobilia, v.g. calices, deberent reſtitui: quæ ſi bonâ fide ſint

empta,

empta, potest repeti pretium. Quodsi nesciretur, ad quam determinatè Ecclesiam spectent, sufficit restituere Ecclesiæ ejusdem Diœcesis; vel ordinis sub conditione restituendi vero Domino, si compareat. Similiter licitum est bona fidelium injusto bello à piratis capta emere, & in proprios usus convertere sine onere restituendi; nisi Domini compareant, & pretium datum reddant; quia censetur esse voluntas Dominorum, ut hæc bona potiùs in suum commodum habeant fideles; quàm infideles, uti habetur ex decretis S. Congreg. ab Urb. VIII. approbatis. Ità ferè La Croix N. 972.

QUÆSTIO XII.

An licita sint Monopolia?

Resp. Monopolium; quod est potestas emendi, vendendi penes unum, aut paucos tantùm existens, si authoritate publicâ ex rationabili causa concessum sit; potest licitè exerceri: uti si uni Bibliopolæ soli certum librum vendendi; uni œnopolæ certa vina propinandi, uni artifici soli certum artificium exercendi, uni soli coquendi cerevisiam facultas sit concessa ex rationabili causa: qualis esse potest, si aliàs certæ merces non adducantur, nisi quis tali privilegio gaudeat; si pecunia sit necessaria ad bonum commune tuendum, & inde concesso privilegio proveniat: sic enim consulitur bono Reip. Providere tamen debet Superior Reip. ne nimio pretio graventur subditi.

233. *Licent authoritate publicâ constituta.*

Econ-

Non per privatam inductа. Econtra illicita sunt monopolia, privatâ authoritate inducta: nam repugnat charitati, & justitiæ bonum privatum præferre communi, membraque Reip. privare libertate pretio quocunque justo emendi.

Unde peccant imò cum onere restitutionis, si duo, vel plures conveniant inter se, ut certas merces non vendant, vel operas non elocent, nisi summo pretio, etsi hoc non excedat justum ante conventionem currens, vel si conveniant, ut nemo emat, nisi pretio infimo; quia, etsi cuilibet liceat merces vendere summo justo pretio, & infimo emere; alios tamen inducere, ut non nisi summo vendant, aut infimo emant, est contra Jus, quod privati habent, ut possint emere, & vendere pretio quocunque justo.

2. Peccat. qui vi, metu, vel dolo impedit, ne merces aliunde advehantur, sicque suas vendit cariùs: nam quilibet Jus habet, ne vi, vel dolo à suo bono sperato impediatur.

3. Peccant Mercatores, tenenturque restituere, si conspirando supprimant merces suas, ut videantur raræ, sicque cariùs vendant: nam Resp. jus habet, ne ab emendo merces à quolibet pretio, quod spectatâ rerum copiâ justum est, impediatur. Potest tamen mercator privatim servare merces suas ad tempus, quo cariùs vendentur; quia sic utitur Jure suo, & nulli injuriam facit, neque impedit, quominus quisque emat apud alios pretio, quo poterit.

An peccetur contra justitiam, si unus, vel pauci certi generis merces, v. g. frumenta, salpas, &c. coemant omnes, aut ferè omnes, quando

quando venduntur mediocri pretio, ut eas postea summo pretio vendant ; controvertitur. Affirmant Laym. L. 3. Tr. 4. c. 12. n. 41. Sporer, & alii putantes, violari Jus Reip. privando ejus membra jure emendi minore pretio & authoritate propriâ constituendo monopolium. Negant Less. L. 2. cap. 21. Molina, Castrop. Dicast. Illsung hìc n. 168. & alii; quia, inquiunt, talis utitur jure suo, nec causa est, cur alii minoris emere, & maturè providere non potuerint sibi. Addit Lugo, nec fore contra charitatem, si unus, vel alter solus id faciat sine gravi damno Reipublicæ.

QUÆSTIO XIII.

Quid de Venditionis rescissione, rei venditæ retractu, & evictione ?

Resp. 1. Venditio rescindi potest imò mutuo consensu,& tunc fructus percepti ex re manent emptori. 2. Si pactum venditioni adjectum non sit impletum. 3. Si emptor, vel venditor sit deceptus ultra dimidium justi pretii. Hoc jus convenit læso, quandoque etiam contra tertium, cui res vendita, vel donata est. Quodsi læsio sit facta infra dimidium inculpabiliter, lædens non tenetur recedere à contractu, nec restituere fructus perceptos ; tenetur tamen in conscientia compensare defectum, aut rem restituere. La Croix n. 993. 234. *Rescissio fieri potest mutuo consensu, & ob deceptionem ultra dimidium.*

Resp. Retractus est jus lege, vel consuetudine introductum, quo conceditur revocatio ad se rerum ab alio venditarum, erga pretium idem, vel aliud justum. Si tale jus sit concessum consanguineis, ità, ut proximior venditori *Retractus.*

ditori possit ab extraneo, vel consanguineo re-motiore ad se rem revocare, dicitur retractus gentilitius. Ut autem licitè fiat, debet sine fraude, vi, & dolo cum animo sibi rem retinendi retrahi à vero consanguineo: aliter enim jus non habet. Laym. L. 3. Tr. 4. cap. 17. §. 6. La Croix n. 995.

Evictio. Resp. 3. Evictio rei venditæ est ejusdem ab altero possessæ per Judicem recuperatio: uti, si Titio vendidisti rem meam, & ego eam evincam apud Judicem; & hoc casu teneris Titio restituere pretium, & solvere expensas litis. Differt evictio à vindicatione, quæ est actio realis ad rem suam; & à condictione, quæ est actio personalis, ad rem sibi debitam recuperandam intentata.

CAPUT VI.

De Contractu Locationis, & Conductionis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Locatio, & Conductio?

235. *Elocatio, conductio.* RESP. Locatio, & conductio est contractus onerosus, quo rei usus, vel fructus, aut personæ opera pro certo pretio, vel mercede ad tempus ab uno accipitur, & ab altero conceditur. Qui concedit ejusmodi, dicitur Locator; qui accipit, dicitur Locatarius, & Conductor. Operas suas erga mercedem elocant famuli, ancillæ, operarii diurni, medici, chirurgi, & alii ejusmodi. Pro pretio ad usum elo-

elocantur domus, equi, servi; ad fructum vaccæ, oves, agri, prædia, quæ si urbana sint, Conductores dicuntur inquilini; si rustica, dicuntur Coloni. Res immobiles dicuntur elocari pro pensione, debetque elocatio non se extendere ad decennium; aliàs erit emphyteusis, & jure sic disponente transfertur dominium utile, quod alioquin manet apud locatorem. Praxis tamen habet, ut ad annos 12. elocetur. La Croix n. 1041.

QUÆSTIO II.

Quæ sint obligationes Locatoris?

Resp. Sunt hæ. 1. Tenetur aperire vitia noxia rei elocatæ. 236. *Obligationes locatoris.*

2. Præstare tum expensas necessarias rei elocatæ reparandæ, & usurpandæ, exceptis alimentis animalis, tum onera publica rei annexa, ùt vectigalia, census, reparationes viæ publicæ; quia, qui sentit commodum, debet sentire & onus: nisi tamen aliter conventum, & ideo conductori minus pendendum sit.

3. Tenetur remittere pretium, vel pensionem, quo tempore conductor non potest uti, vel frui re locatâ, vel operâ ex impedimento ab ipso locatore, vel re locatâ proveniente; quia tunc nihil adest pretio dignum.

4. Si ob sterilitatem, grandinem, hostium depopulationem colonus ex fundo frugifero nihil percipiat, tenetur locator remittere pensionem totam. Si sterilitas non fuerit magna, attendenda est consuetudo, & intentio prima contrahentium: quandoque enim sterilitas unius anni aliis annis compensatur, quando-

que fiunt pacta, ut omni anno solvatur, & ideo minor pensio exigitur. Prudenti judicio ex circumstantiis est determinandum, quid æquitas postulet. Vide La Croix à n. 1049.

5. Si locator rem elocatam alteri vendat, uti potest; si non sit aliter conventum, tenetur curare, ut conductor non graverur injustè, v. g. ne agro locato teneatur cedere priùs, quàm fructus collegerit: aliàs tenebitur de damno.

6. Tenetur non augere pensionem ob industrialem fructuum abundantiam: industria enim fructificat suo domino, imò nec ob naturalem v. g. ob cœli clementiam, nisi esset plurium annorum. Item tenetur sustinere rei periculum, quia ipsius est.

7. Tenetur rem locatam non retrahere ante tempus locationi terminandæ præfixum, nisi ob casum improvisum, v. g. incendium re suâ egeat, aut hæc sit restauranda, & non possit altero v. g inhabitante restaurari, aut si à conductore malè usurpetur, & deterioretur, vel is intra biennium pensionem non solverit. Hæ obligationes locatoris, nisi tempus ejus morte finiatur, transeunt ad ejus hæredes, non tamen ad successorem particularem v. g. legatarium, emptorem, donatarium; sed hi possunt rem ad se revocare, quibus & conductor obnuntiare potest contractum; quia cum his non contraxit. Non potest tamen successor expellere conductorem cum gravi ipsius damno v. g. ab agro seminato, fructus collegerit.



QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quæ sint obligationes Conductoris, seu Locatarii?

Resp. Sunt hæ. 1. Tenetur uti re locatâ prudenter, nec ad alios usus, quàm sit locata, nisi ex prudenter præsumpto saltem consensu domini, aliàs peccat contra Justitiam. 237. *Obligationes conductoris rerum.*

2. Tenetur eandem conservare curâ, quam diligentiores simili rei solent impendere, & suis in ejus usu, & conservatione invigilare; aliàs tenetur de damno ex culpa lata, & levi etiam in foro externo.

3. Tenetur illi conservandæ expensas modicas, & quotidianas impendere, v. g. alimenta præbere animalibus, agros colere, stercorare, fruges metere, curare, ut res conservetur ab incendio, militibus, &c. Item stato tempore pensionem solvere totam, idque, licèt sine sua culpa re uti, vel frui non possit ex impedimento proveniente ex parte ejus; quia, sicut locator non potest exigere pensionem, si ex parte illius impedimentum proveniat: sic æquum est, ut conductor solvat pensionem, si ex parte ejus stet, quò minùs uti, vel frui possit re locatâ.

4. Si rem, uti potest, alteri elocet, tenetur elocare æquè idoneo, ne detrimentum res accipiat, & ipse pensionem locatori suo solvere.

5. Tenetur rem locatam stato tempore restituere, nec ante finem ejus, invito domino, dimittere: aliàs tenebitur indemnem servare eum.

QUÆSTIO IV.

Quæ in hac materia ſint obſervanda circa famulos, & operarios?

238. *Obligationes conductoris famulantium.* Reſp. 1. Conductor famuli, vel operarii tenetur cum hoc de juſta mercede convenire, qualis eſt, quæ in iis locis communiter talibus dari ſolet, eſtque alia ſumma, alia media, alia infima, creſcitque, & decreſcit, ut pretium mercium ex variis circumſtantiis: creſcit v. g. ex penuria, & decreſcit ex copia famulantium; cenſeturque juſta in æſtimatione communi, quæ non ſolet tanquam inſufficiens recuſari, aut, uno recuſante, ſtatim ab alio admittitur. Unde ſi conventum ſit de infima, hâc acquieſcendum; ſi de ſumma, hæc ſolvenda eſt.

2. Si tuo, famulum, vel operarium conducentis, arbitrio relicta eſt merces determinanda, teneris dare juſtam, ſaltem infimam, quia conductio eſt quædam operæ emptio, quæ juſtum exigit pretium, mensque conducti fuit non gratis, ſed pro juſta mercede ſervire; adeoque de hac fuit conventio implicita.

3. Si famulus, vel operarius ultro ſe tibi offerat, tuque eo non egeas, ſed ex charitate ſolùm ſuſcipias, teneris ei dare alimenta, ſique ejus opera horum valorem utilitate ſuperet, teneris ſuperaddere æquivalens; quia jure naturæ dignus eſt operarius mercede ſuâ, & ex alterius indigentia non debes diteſcere: ſed nec is cenſetur tibi exceſſum donare liberaliter. Quatenus autem ſit exceſſus, ex æſtimatione communi in talibus circumſtantiis determi-

terminandum est, ut justa operæ, vel obsequiis merces respondeat.

4 Si operarius, vel artifex conveniat tecum de mercede per errorem minore; quàm mereatur opera; teneris defectum supplere non secùs, ac si emisses rem pretio infimo minore: aliàs non servatur æqualitas, neque censetur artifex liberaliter donare excessum, in quem ex ignorantia consensit. *Excipe*, nisi contractus sponsionis intervenerit; utì, si spes fuisset artifici plus, quàm labor, & sumptus ejus mereantur, & periculum etiam minus accipiendi, & tibi pariter periculum plus, & spes minus solvendi, sicque uterque se commisisset spei, & periculo.

5. Si operâ alterius conductâ uti non possis ex impedimento, aliunde, quàm ex parte operarii proveniente, teneris mercedem pro die totam solvere, perinde ac si opera impensa fuisset; quia æquum tunc est, ut tu potiùs damnum feras, nisi aliter conventum sit. Si tamen conductus operâ suâ tantundem alibi lucraretur, nihil ei deberes; si autem aliquid tantùm, hoc mercedi decederet; quia opera illa tibi debetur. Hinc si plus lucraretur, hoc tibi deberetur. Econtra si conductus operam conductam ob impedimentum, ex sua parte etiam citra culpam proveniens, v. g. ob morbum non præstet, merces ei non debetur; quia non obligâsti te ad illam dandam in tali casu. Quodsi operam conductam suâ culpâ omisisset, teneretur compensare damna.

6. Bene laborantibus merces condicto tempore statim solvenda est; quia jus ad id habent. Si autem non debitè laboraverint, mercedem admittere non possunt, nisi respondentem labori; sique plus acceperint, tenentur re- 239. *Obligationes famulantium.*

 stituere

ftituere exceffum, imò & compenfare damnum, fi quod evenerit, & lucrum ceffans. Idem dic de famulis, ancillis, præceptoribus, &c. qui omnes tenentur ad diligentiam, qualem diligentes in ejufmodi rebus adhibere folent, quæque defidiam excludat. Ad fummam tamen, quam diligentiffimi, aut ad mediam, quam diligentiores folent adhibere, non tenentur, nifi de hac pactum intervenerit.

240 *Quid, fi dominus famulum dimittat?*

7. Si dominus fine jufta caufa ante ftatum tempus famulum dimittat, vel ità tractet, ut meritò difcedere debeat tenetur ei folvere totam mercedem. Si tamen famulus ftatim æque bonum famulatum accipiat, in foro confcientiæ dominus non teneretur ad totam, quia injuria damnofa non effet. Si autem non ftatim invenerit dominum, vel eandem mercedem non acciperet, teneretur dominus fupplere defectum, & dare mercedem pro rata temporis, quo fervivit. Similiter, fi conductus ante tempus condictum fine jufta caufa difcedat, perdit totam mercedem, nifi domino offerat famulum æquè bonum: hoc enim cafu merces in foro confcientiæ folvenda foret, juxta Lug. Difp. 29. n. 56. pro rata temporis, Dixi: *In foro confcientiæ*: nam in foro externo poft fententiam Judicis merces à domino folvenda in primo cafu, & in fecundo à famulo tota perdenda effet.

8. Operario non debetur diurnum falarium, fi uno die non laboret, famulo tamen nihil detrahitur, fi exiguo tempore ob morbum, vel aliam juftam caufam laborare non poffit: fecùs, fi notabili tempore. De his vide plura in Tract. de Confeffario.

CAPUT

CAPUT VII.

De Censu, Emphyteusi, Feudo, & Libello.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Census?

RESp. Census formaliter, vel causaliter, strictè spectatus, est contractus onerosus, quo certo pretio emitur jus percipiendi pensionem ex re fructifera alterius, vel persona propter laborem, industriam, negotiationem utili. Objectivè spectatus est ipsum jus percipiendi pensionem, quæ est vel pecunia, vel fructus v. g. ex agro, vel vinea, &c. & etiam Canon dicitur. Is, qui emit tale jus, dicitur Censualista, vel Censitor; qui id vendit, & pensionem tenetur solvere, dicitur Censuarius; res, in qua id fundatur, dicitur res censita, quæ, ut census sit justus, debet esse fructifera, uti & persona, in qua census constituitur, lucrosa: aliàs jus, quod est quasi ususfructus partialis, emi non potest. Item pensio conformis legibus, vel legitimæ consuetudini esse debet. Latiùs acceptus, est contractus, quo constituitur jus percipiendi pensionem ex re aliena, vel persona utili. 241. *Definitio.*

Resp. 2. Census, latè acceptus, dividitur in reservativum, & consignativum. Reservativus est, quo quis transfert in alterum rei suæ dominium directum, & utile, reservatâ sibi pensione annuâ: hic extra dubium justus esse potest. Consignativus est contractus, quo 242. *Divisio in reservativũ, & consignativum.*

quo quis, retento dominio directo & utili, super bonis suis, vel personâ, consignat alteri jus pensionis annuæ. Hic variè subdividitur.

243. *In realem, personalem, & mixtum* Ac 1mò quidem in realem, personalem, & mixtum. Realis est, quo res aliqua v. g. domus ager, molendinum ad pensionem obligatur: hinc obligatio comitatur rem, ad quemcunque devenerit, velut servitus, & onus reale, cessatque vel ex toto, si res tota, vel ex parte, si ex parte pereat, vel fiat in perpetuum infructifera sine culpa censuarii. Dico: *In perpetuum*; quia si res uno, vel altero tantùm anno non ferret fructus, & aliis ferret tantos, ut defectus compensaretur; deberetur, per se loquendo, tota pensio. Hic quoque census certò licitus est, si ex re frugifera pensio sit conformis legibus, vel legitimæ consuetudini, quæ in Imperio sunt Jure Cæsareo 5. erga centum. Personalis est, qui immediatè super persona utili, ùt tali, constituitur absque respectu ad rem aliquam. Mixtus est, qui constituitur in re frugifera simul, & personâ lucrativâ. Censum personalem licitum esse negant Molina, Nav. Lugo. Affirmat communior; quia sicut jus percipiendi pensionem ex re frugifera alterius est pretio æstimabile, ità & jus percipiendi ex alterius industria, negotiatione, & labore: persona etenim eatenus est frugifera, quatenus ipsa aliis potest lucrum facere, habetque ità praxis in Germania, Gallia, Belgio inter timoratos, quæ non facilè damnanda est, nisi afferatur ratio evidens in contrarium. Dein vix est persona, quæ habens bona aliqua non censeatur habere industriam lucrandi saltem per alios, imò & per se, saltem per parsimoniam. *Nec obstat* Bulla Pii V. quâ statuit,

ut census constitui non possit, nisi in re immobili, aut quæ pro re immobili habeatur, ex natura sua frugifera; nam Bulla in his Partibus non est recepta.

2. Subdividitur in redimibilem, & irredimibilem. Irredimibilis est, à quo non licet, nisi mutuo consensu recedere refundendo summam, quâ emptus est census. Hic jure naturæ quidem licitus est, si onus censuario compensetur, cùm sit quædam venditio, quæ de se perpetua est; jure tamen positivo illicitus est, ubi viget Constitutio Callixti III. & Martini V. Pontificum, qui ad justitiam censûs requirunt redimibilitatem liberam Censuario. Census redimibilis est, à quo licet uni parti recedere alterâ etiam invitâ, ob pactum explicitè, vel implicitè additum. Si licet recedere soli venditori censualistæ summam refundendo, dicitur redimibilis ex parte venditoris: & hic licitus est in omnium sententia, modò onus emptori compensetur, & pensio sit justa, quales sunt 5. erga 100. Patet à pari in venditione secundùm dicta. Si autem etiam emptori liceat ob pactum recedere, ità, ùt possit repetere summam capitalem, quâ jus ad pensionem emit, teneaturque venditor eam reddere, dicitur utrimque redimibilis, vel etiam ex parte emptoris. Hæc censûs constitutio, etsi speculativè, & spectato jure naturæ videri possit licita, ùt de retroemptione dictum est; in praxi tamen periculosa est ob speciem, periculumque usuræ: cùm emptor non tam videatur intendere emptionem juris ad pensionem, quàm hanc immediatè exigere ex mutuo. Et hinc constitutio talis censûs à prædictis Pontificibus prohibita est.

244. *In redimibilem & irredimibilem.*

145. *In vitalitium.* His addi poteſt cenſus vitalitius, qui ad dies vitæ Cenſualiſtæ conſtituitur, eſtque emptio juris ad penſionem cum periculo damni, & ſpe lucri, ideoque involvit contractum ſortis, in quo contrahentes committunt ſe periculo damni, & ſpei lucri; ità ut capitalis ſumma maneat Cenſuario poſt mortem Cenſualiſtæ. In hoc conſtituendo habenda eſt ratio ætatis, complexionis, modi vivendi illius perſonæ, ad cujus vitam conſtituitur, & meritò exprimendum, quæ ſit obligatio, ſi perſona illa intra annum ante terminum ſolutioni præfixum moriatur, an nempe pars penſionis reſpondens tempori ſit ſolvenda hæredibus: ùt, ſi terminus ſolutionis ſit 1mâ Januarii, & Cenſualiſta vitalitius moriatur in Junio, qui caſus diſcuſſus videri poteſt apud La Croix L. 3. P. 2. n. 1023. *Ex dictis*

146. *Corollaria.* *Colliges.* 1. Cùm contractus censûs ſit quædam ſpecies emptionis & venditionis, poteſt illi adjici pactum non ſolùm revenditionis; ſed etiam pactum (modò ſervetur æqualitas Juſtitiæ) quo venditor ſuſcipiat in ſe rei cenſitæ particularis periculum, ità ut illâ pereunte teneatur adhuc ſolvere penſionem ex aliis ſuis. Item vi cujus teneatur reddere pretium, ſi intra certos annos non ſolvat penſiones, neque ob hoc pactum penſio minui debet. Item pactum, quò priùs monere teneatur emptorem, quàm pretium refundat, hocque refundat in eadem moneta, modò æquale ſit periculum augmenti, & decrementi: ſi enim valor monetæ certò foret augendus, pactum injuſtum foret, ſi aliunde fieret compenſatio. Denique pactum commiſſorium, vi cujus res cenſita fiat Cenſualiſtæ, ſi Cenſuarius ſuâ culpâ intra certos annos pen-

ſionem

ſionem non ſolvat, modò tamen pœna proportionetur culpæ, ut pro parva penſione non cedat res magni valoris, & pro onere minuatur penſio, fiantque omnia, quæ Juſtitia exigit.

2dò. Non licet Cenſuario vendere rem cenſitam cum gravamine Cenſuiſtæ, nec ſummam capitalem reddere per partes ſine conſenſu ejus; cùm ſic redditam æquè applicare non poſſit.

3tiò. Etſi Jus ad quinque annuè ſolvendos non liceat emere minoris, quàm centum; licet tamen, ſpectato jure naturæ, pluris vendere; quia penſio taxata eſt in favorem vendentium. Poteſt quoque minoris emi, quàm ab initio fuit conſtitutum, quia habet ſe per modum mercis, quæ emi poteſt pretio juſto, ſummo, medio, infimo.

4tò. Si cenſus fuerit conſtitutus ſuper univerſitate bonorum, non extinguitur re particulari v. g. domo pereunte. Aliud eſt, ſi fuerit conſtitutus ſuper re particulari ſecundùm dicta N. 243.

5tò. Juri naturæ non repugnat penſiones ex cenſu, ſucceſſivè notabiles, non ſolutas erigere in ſortem, iiſque novum cenſum emere, & penſiones juri cenſuali proportionatas, & à legibus permiſſas majores exigere, modò res cenſita iis par ſit, aut novo cenſui ſubjiciatur. *Ratio eſt*; quia, ùt docet Navar. Mol. Leſſ. hìc n. 80. Caſtrop. ex debito vero, & legitimo, v. g. pecunia credita poteſt creari cenſus: ſi enim ex penſionibus Petro debeas 100. poteſt is à te illis emere merces, alteri illos aſſignare in ſolutionem pretii pro agro, tibi relinquere pro pretio prati à te empti, cur non, ſaltem ſpectato jure naturæ, iis emere poterit cenſum? Dixi 1mò. *Juri naturæ non repugnat*: Nam S. Pius V. inter alia de cenſibus,

ſibus, contractu utrimque oneroſo conſtitutis, vetuit ex penſionibus novum cenſum conſtituere, cujus decretum, ubi viget, ſervandum eſt. Verùm nec illud, nec decreta Martini V. Callixti III. Pontificum, nec Caroli V. Imperatoris, quatenus in cenſibus reſtringunt jus naturæ, in Germania, Gallia, Belgio eſſe recepta, teſtantur AA. Germani paſſim, La Croix n. 1010, unde iſta non impediunt, quominus in iis locis liceat ex penſionibus creare novum cenſum. Nec obſtant leges civiles pro foro interno, nam hæ loquuntur de uſuris uſurarum, hoc eſt, de lucris, occaſione mutui juſto titulo percipiendis, & non ſolutis, quæ ſi redigantur in ſortem, Anatociſmus dicuntur, qui per leges civiles prohibetur; in merè poſitivis autem non tenet Concluſio ab uno ad alterum, dantque Auctores de Anatociſmo agentes diſparitatem; quia cenſus ex vero emptionis contractu conſtituitur, eſtque principale, cùm tanquam merx ematur; Anatociſmus autem ex mutuo provenit, in quo lucrum eſt acceſſorium ſorti. Præterea cùm in cenſu debeat aſſignari res fructifera ſine amiſſione dominii non tam facilè Cenſuarii, quàm Mutuatarii ad inopiam iſtâ occaſione rediguntur. Id quod leges civiles intendunt impedire. Dixi: *Pro foro interno*: Nam ſi non ſolutæ penſiones capitali adjiciantur in augmentum annui Canonis, fraus, & uſura in foro externo præſumitur, non permittitur porrò, ſi à Cenſuario cenſus redimi nequeat, pretium juxta communem debet eſſe duplo majus; ſi autem redimi poſſit, meritò minuitur pretium censûs; quia onus imponitur Cenſuiſtæ. Communiter in Germania pretium, quo emitur census redimibilis, ex parte ſolius Cenſuarii ſunt 100. pro 5. Quod pretium ex recepta

recepta consuetudine in Germania juxta Sporer & Tamb. etiam sufficit, & justum est pro censu utrimque redimibili, adjecto licet pacto assecurationis. De quo vide La Croix N. 1012.

6tò. Dum census emitur, non emuntur immediatè pensiones, sed jus ad illas, cujus æstimatio proportionaliter decrescit: quo enim pensiones sunt remotiores, eò minùs sunt æstimabiles ob pericula, ne res censui subjecta pereat, vel fiat infructuosa. Patet in simili: nam si emas vineam, non emis immediatè vina aliquando proventura, sed ad illa jus, & spem, quæ minoris sunt, quàm vina ad finem mundi proventura.

QUÆSTIO II.

Quid sit Emphyteusis, & quæ Emphyteutæ obligationes?

Resp. 1. Emphyteusis formaliter spectata est contractus onerosus, quo res immobilis per culturam meliorabilis, quoad dominium utile alicui, sub obligatione pensionis realis annuè proprietario, retinenti dominium directum, solvendæ conceditur, non minùs, quàm ad decennium. Objectivè spectata est dominium utile sic concessum. Emphyteusis differt à Locatione; quia non constituitur, nisi in re immobili; nec minùs, quàm ad decennium; & dominium utile transfert. Cui Emphyteusis conceditur, vocatur Emphyteuta, Zinß-Mann: qui eam concedit, dicitur dominus directus, Zinß-Herr, Grund-Herr. Pensio dicitur Canon, Erb-Zinß. Res emphyteutica dicitur feudum rusticum, Bauren-Lehn. Si Emphyteusis constituatur ad certos annos, dicitur temporalis; si ad dies vitæ, vitalitia:

247. *Definitio.*

litia : si etiam pro hæredibus, hæreditaria : si ab Ecclesia, Ecclesiastica : si à Laico, Laica dicitur.

248. *Obligationes Emphyteutæ.* Resp. 2. Emphyteuta tenetur 1mò statis temporibus in pecunia, vel fructibus, prout conventum est, solvere Canonem, sique negligat per triennium solvere sæculari, & per biennium Ecclesiæ suâ culpâ, cadit in pœnam commissi, & rem amittit cum omnibus expensis in ejus meliorationem factis, nisi moram intra breve tempus purgaverit, vel tacuerit dominus directus, & Canonem in futurum acceptaverit. Notandum tamen, biennium pro anno computari, si singulis tantùm bienniis res emphyteutica fructus ferat.

2. Tenetur præstare onera personalia, & realia, quæ ratione rei emphyteuticæ imponuntur, expensas omninò necessarias rei conservandæ, nec potest eas repetere, nisi fecerit extraordinarias necessarias, aut ad perpetuam rei meliorationem pertinentes. Hinc si res emphyteutica ejus culpâ pereat, vel notabiliter deterioretur, cadit in commissum; si verò tota pereat sine ejus culpa, contractus extinguitur; si solùm ex parte, Canon pro rata solvendus est; si tota occupetur ab hostibus, probabiliter non est obligatio ad Canonem.

249. *An vendere possit jus suum?* 3. Non potest Jus Emphyteuticum sine consensu domini directi vendere, sique vendat, & emptori tradat, cadit res in commissum cum omnibus emponematis, seu melioramentis. Potest tamen sine consensu domini directi alteri donare, legare, ad breve tempus elocare, salvo semper jure proprietarii quoad investituram, & laudemium, seu honorarium pro laude, seu approbatione, & investiturâ novi Emphyteutæ per venditionem, donationem &c. succedentis, quod hic solvere debet domino directo. Non debet id

autem

autem excedere quinquagesimam partem æstimationis rei emphyteuticæ, nec solvitur, quando Emphyteuta novus succedit, ùt hæres; vel Emphyteusis datur filio in dotem à patre nihil aliud habente. Cæterù Emphyteusis Ecclesiastica alienari non potest sine solennitate à jure præscriptâ.

QUÆSTIO III.

Quid de Feudo, & Libello?

Resp. 1. Feudum formaliter acceptum est 250.
contractus, quo res immobilis, vel quasi im- *Feudum.*
mobilis quoad dominium utile alteri conceditur sub onere personalis obsequii, domino directo præstandi, & fidelitatis. Objectivè autem spectatum est illud idipsum jus utile. Hoc qui concedit, dicitur infeudator, & dominus feudi; qui accipit, dicitur infeudatarius, & vasallus: qui à domino directo debet investiri,
quod fit vel per inductionem in realem rei *Investi-*
feudalis possessionem, quâ vasallus acquirit jus *tura.*
in re, vel per verba, vel symbola quædam v. g. per traditionem annuli, ensis, vexilli, quâ investitura non acquiritur jus in re, sed facultas authoritate propriâ capiendi possessionem. Si feudum concedatur à Principe cum titulo dignitatis v. g. Ducis, Comitis &c. dicitur nobile, & regale; si ab Ecclesia, Ecclesiasticum; si à Laico, Laicum; si transeat ad hæredes etiam extraneos, hæreditarium; si ad solos liberos, gentilitium; si ad solos masculos, masculinum. Feudo opponitur Allodium, quod est bonum immobile, ità proprium sui possessoris, ut nullum alium agnoscat patronum, & dominum dire-

directum: ut proin ad nihil obligetur, nisi ad tributa. Hinc patet, quæ sint bona allodialia, & quæ feudalia.

251. *Obligationes Vasalli.* Resp. 2. Feudatarius tenetur 1mò præstare Juramentum fidelitatis Domino directo, & obsequia suo tempore requisita.

2dò. Non disponere alienando de re feudali per ullum contractum, etiam gratuitum, sine consensu Domini directi.

3. Quivis ejus Successor, etiam hæres tenetur præstare homagium, seu juramentum fidelitatis, & petere renovandam investituram, item quoties Domino directo mortuo, vel mutato, alius succedit, idque intra annum sub privatione feudi saltem post sententiam Judicis.

4tò. Feudo excluduntur Clerici in sacris constituti, & monasteria, nisi dignitati Ecclesiasticæ sit annexum: at Jure civili tantùm, non Ecclesiastico, & consuetudinario. Item illegitimi. Plura de his vid. apud A. A.

252. *Libellus* Resp. 3. Libellus est contractus, quo Vasallus vel Emphyteuta rem feudalem, vel emphyteuticam alicui tertio sub onere realis pensionis tradit fruendam: potest enim Vasallus, vel Emphyteuta, invito etiam Domino directo, in re feudali & emphyteutica ad tempus, quo Emphyteusis, vel feudum durat, censum constituere; quia per talem contractum res non alienatur, sed Jus tantùm percipiendi fructus usque ad certam pensionem; & ideo Vasallus, & Emphyteuta retinet dominium utile: sicut usufructuarius potest ad tempus vitæ suæ super usufructu censum constituere; quia usumfructum potest ità vendere, ut ipse teneatur alteri pensionem solvere, quamdiu ipse usumfructum non amittit.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Contractu Societatis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Contractus Societatis?

Resp. Est duorum, vel plurium conventio 253.
conferendi aliquid lucrosum ad communem *Defini-*
quæstum: ùt, si unus pecuniam, vel mercem, *tio.*
aut animalia, vel instrumenta conferat, & alter operam. Hunc contractum licitum esse, si servetur æqualitas, extra controversiam est. Nec obstat, quòd pecunia sit sterilis; nam etsi secundùm se sterilis sit, non tamen ùt subsstat industriæ tanquam instrumentum negotiationis quæstuosæ: cumque pecuniam conferens ejus dominium retineat, feratque periculum, potest ultra sortem accipere aliquid, tanquam fructum suæ pecuniæ negotiationi, & periculo expositæ. Secùs est in mutuo, quo dominium pecuniæ in alterum transfertur; ex re autem non ampliùs sua lucrum exigere, iniquum est. Explicari potest in simili; nam navis, currus, &c. ex se fructum non ferunt; attamen ùt subsunt humanæ industriæ, & labori, lucrosa sunt, etiam ultra, quàm usu atterantur.

QUÆSTIO II.

Quænam requirantur, ut justus sit contractus societatis? 254.

Requisita ad justitiam ejus.

Resp. Requiritur 1mò, ut negotiatio, pro qua initur contractus, sit licita.

2, Ut singuli socii conferant aliquid lucro faciendo idoneum : ùt sunt pecunia , opera, industria, animalia, currus, naves, &c. qui enim nihil confert, jus non habet exigendi lucrum.

3. Ut dividatur lucrum proportionatè ad collata pro eo acquirendo ; qui enim plus confert, plus de lucro participare debet.

4. Ut periculum, impensæ, damna, quorum per se causa est societas, sint communia : qui enim vult sentire commodum, debet sentire & onus.

5. Ut pecunia, vel res collata maneat sub dominio conferentis, sique casu pereat sine culpa alterius, pereat conferenti : ex re enim non sua nemini debetur fructus, nisi adsit alius titulus, & res per se loquendo, perit Domino suo ; si verò pereat culpâ alterius, hic compenset.

6. Ut societas ineatur ad certum tempus, intra quod non liceat repetere ; quod pro lucro est collatum : hoc enim exigit finis societatis.

7. Ut, si singuli conferant pecuniam, dominium sit penes omnes, adeoque debeant omnes ferre periculum.

8. Finito contractu, singulis sua sors collata restituenda est, & lucrum dividendum pro rata collati ad id faciendum, ùt dictum. Si nullum lucrum sit acquisitum, & opera alterius fuerit æqualis valoris cum pecunia à te collata, Less. Lug. apud La Croix n. 1101. tenent, pecuniam dividendam esse. Econtra probabiliùs censent alii, adhuc totam reddendam esse conferenti ; tum quia hujus mansit, sique periisset, ipsi periisset : ergo æquum est, ut alter ferat quo-

quoque solus jacturam suæ operæ ; tum quia alteri tantùm concessus fuit usus pecuniæ, sicut conceditur usus navis, quæ postea reddenda est domino suo, etsi lucrum nullum sit factum.

QUÆSTIO III.

An licitus sit contractus societatis triplex?

Nota. Contractus societatis triplex est, quo pecuniam in societatem conferens paciscitur cum altero socio, ut, quidquid evenerit, summa collata sibi restituatur integra cum lucro certo, minore tamen illo, quod sperare aliàs probabiliter poterat. Dicitur contractus triplex; quia tres contractus explicitè, vel implicitè ineuntur. 1mus, & principalis est contractus societatis, quo confers pecuniam in societatem, & alter promittit industriam. 2dus est contractus assecurationis, quo alteri imponis periculum sortis, erga quod cedis illi magnam partem lucri meritò sperandi, v. g. est spes probabilis ex 100. quos confers, lucrandi 30. quorum media pars ad te pertineret: ex iis cedis quinque pro assecuratione sortis, retentis tibi 10. 3tius est vel assecuratio lucri, pro qua iterum cedis 5. ut pro certo lucro 5. habeas; vel venditio, quâ vendis spem lucri majoris probabiliter futuri pro minore, v. g. spem 10. aureorum vendis pro 5. certò solvendis; sicque conferens ad commune lucrum 100, aureos, facis lucrum certum 5. aureorum, summamque capitalem per alios contractus securam reddis. Hos contractus inire cum eo, qui non possit negotiari, v. g. cum pau-

255. *Quid sit contractus societatis triplex?*

paupere, indigente pecuniâ ad necessariam suam sustentationem; vel debita solvenda, esse palliatam usuram, satis convenit inter A. A. quia spes lucri, & titulus deest aliquid exigendi supra sortem. Quæritur, an si socius pecuniâ à te collatâ verè sit negotiaturus tuo simul nomine negotiatione lucrosâ, is contractus triplex liceat?

256. *Potest esse justus.* Resp. Contractus triplex societatis ex naturâ suâ licitus est, si spes lucri futuri justè æstimetur, & onus periculi à socio suscepti proportionatè compensetur. Ità Less. Lug. Laym. aliique communiùs contra Cajet. Sotum, Azor, Rebellum, & alios. *Ratio est*; quia singuli illi contractus de se sunt liciti, & justi, si rectè fiant, nec ostendi potest in aliquo injustitia, si fiant simul cum eodem: nam cùm maneat dominium pecuniæ apud eum, qui eam confert, non accipiet lucrum ex alieno. Deindè si ex æquo compenset onus periculi sortis, à socio suscepti, ipse æquivalenter sustinet sortis periculum: unde quòd Adversarii dicunt, de essentia contractûs societatis esse, ut conferens pecuniam ferat ejus periculum, pereatque ipsi pereat, nihil evincit. *Confirmatur*: Possum contrahere cum Cajo, ut pecuniæ, ipsi ad usum concessæ, equi ipsi commodati, domûs ipsi elocatæ periculum ad ipsum pertineat: ergo & possum contrahere, ut periculum pecuniæ, illi ad negotiationem collatæ, ipse ferat, eâ utendo, & meo simul nomine negotiando partem lucri mihi cedat, cujus acquirendi velut instrumentum est pecunia mea. Deindè possum pacisci, ut rem, quam contuli ad commune emolumentum, servet socius integram, v. g. possum alicui tradere gregem ovium pascen-

ſcendum, eâ lege, ut ipſe lanam habeat, & partem dimidiam agnorum, ſervet autem gregem integrum, ſubſtituendo agnum ex ſuis, ſi quæ ovis Pereat. Idem eſt in aliis exemplis: cur non poſſem contrahere, ut erga juſtum pretium periculum pecuniæ in ſocietatem collatæ ad ipſum pertineat?

Nec obſtat, quòd Sixtus V. per Bullam 45. *Deteſtabilis*, damnet omnes pactiones, quibus cavetur, ut capitale ſalvum maneat, ſive contrahatur ad certum, ſive ad incertum lucrum: nam damnat ſolùm, ſi vi contractûs ſocietatis exigatur aſſecuratio pecuniæ collatæ. Vide La Croix ſub N. 876. Notandum tamen, quò minores fructus ſperari poſſunt ex negotiatione, eò minùs à conferente pecuniam lucrum peti poſſe. Dixi: *Ex natura ſua*: nam ob difficultatem ſtatuendi, quod juſtum eſt, & pericula prohiberi poſſet.

CAPUT IX.

De Contractu Cambii.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Cambium?

Reſp. Cambium eſt contractus, quo in gratiam alterius quis permutat pecuniam cum pecunia cum ſuo lucro. Dividitur in manuale, & locale: Manuale eſt, quo pecunia de manu in manum viciſſim traditur in eodem loco, & tempore, v. g. minor pro majore, nova pro antiqua, aurea pro argentea, vel contra. Locale eſt, quo permutatur pecunia præſens cum ab- 257. *Definitio.*

absente: utì si Titio hìc des pecuniam, & is tradat tibi litteras, quarum ope recipias pecuniam alibi. Qui dat pecuniam cum suo lucro, dicitur Campsor, vel Cambiator; qui eam accipit, & pendit lucrum, dicitur Campsarius. Si Campsor exercèat simul negotiationem suis & alienis pecuniis, quas conservat, dicitur trapezita, argentarius, nummularius, mensularius.

QUÆSTIO II.

An, & ex quibus titulis licitum, & justum sit Cambium tum manuale, tum locale?

258. *Licitum ex tribus titulis.* Resp. Si lucrum sit moderatum, & conforme taxæ, per legem, & consuetudinem, aut communem hominum æstimationem statutæ, licitum & justum est ex his titulis. 1*mus* est labor, & opera in conquirendis, & conservandis variis monetarum speciebus, in numeranda pecunia, & aliis in bonum Reip. ex officio, suscepto à campsore, obeundis: & hinc lucrum sæpè cessans, & damnum emergens. 2*dus* est pecuniæ unius præ alia major in ordine ad usum commoditas, ejusque antiquitas, raritas, pulchritudo, conformitas serviens ad ostentationem, minus periculum valoris diminuendi, valor major in aliis locis, &c. licèt enim pecuniæ fortè sint ejusdem valoris vulgaris; quia tamen hìc subeunt rationem mercis, & valor pro diversis circumstantiis crescit, & decrescit; una in æstimatione morali pluris, alia minoris fit. 3*tius* in cambio locali titulus etiam est virtualis translatio pecuniæ

cuniæ in alium locum, quam Campſor facit in gratiam Campſarii, ſuſcepto in ſe omni labore & periculo.

Nec obſtat, ſi id faciat cum ſuo commodo, & ferè ſine labore, v. g. ſi Romæ Campſor indigeret pecuniâ, & Campſarius hîc ſibi numeratæ æqualem ibi refunderet; id enim per accidens eſt, & provenit ex ejus cura, induſtria, & officio, pro quo ſuſtinendo multæ impenſæ, & operæ præſtandæ ſunt, cùm re ipsâ ſuſcipiat obligationem laborioſam, ac periculoſam, quæ pretio æſtimabilis eſt. Declaratur in ſimili: ſi eſſes conductus, ut Titii equum duceres Luxemburgum, quamvis ex alia cauſa eò proficiſci velles, aut deberes, tibique commodiſſimum foret equo uti, tamen poſſes conductionis eandem mercedem admittere. Idem eſt, ſi tenereris ex conductione Caji pecunias deferre Coloniam, & hîc reperires, qui nomine tuo eas Coloniæ numeraret; quia æquivalenter eas Coloniam detuliſſes, foretque merces fructus tuæ induſtriæ: idem eſt in caſu noſtro. Similiter ſi ducati 94. valerent hîc, quòd Romæ centum, poſſes hîc 94. numerare, ut tibi Romæ numerarentur 100. quia tantum hîc dares, quantum Romæ acciperes; ſique illos 100. huc negotiando exponeres in valore, quem hîc habent, eſſet lucrum tuæ induſtriæ: ſi autem in cambio deſit titulus, erit uſurarium, fictum, & ſiccum.



QUÆSTIO III.

An liceat cambium, quo quis dat pecuniam, in nundinis, v. g. Francofurdiensibus recipiendam cum lucro majore, vel minore, quo magis, vel minùs distant nundinæ à die numeratæ pecuniæ?

259. *Licet, si adsit justus titulus.* Resp. Potest esse justum hoc cambium, si adsit justus titulus, & lucrum proportionatum exigatur. Titulus autem hic esse potest periculum sortis, damnum emergens, lucrum cessans, major pecuniæ æstimatio: cùm enim pecunia se in permutatione habeat instar mercis, valor ejus extrinsecus in ratione mercis augetur ex illius, & Campsorum penuriâ, & minuitur ex copia; Jam verò in nundinis, & tempore illis propinquo est copia pecuniarum, & Campsorum major, & tempore ab illis remotiore est minor; hinc in tempore remoto pecuniæ valor in ratione mercis est major, quàm in propinquo: unde potest Campsor exigere auctarium non ratione dilatæ solutionis, aut translationis à se pecuniæ, cùm eam Campsarius transferre debeat, sed ratione vel damni, vel lucri cessantis, vel valoris majoris pecuniæ, quem habet in ratione mercis ante nundinas. Ità Less. Laym. & alii. Declaratur in simili; nam possum sine usura mutuò dare, & repetere pecuniam secundùm valorem præsentem, etsi sciam post aliquot menses, quando pecunia erit reddenda, valorem esse minuendum; quia valor præsens meus est,

potestque mutuatarius in eo illam exponere, vel permutare: ergo possum etiam in cambio Nundinensi petere æstimationem præsentem pecuniæ traditæ, etsi illa postea sit minuenda. Cavendum tamen, ne lucrum exigatur sine vero titulo. Videri potest Lugo disp. 28. N. 76. Less. La Croix N. 1033. Bulla Pii V. quæ requirit varias conditiones ad cambium, quæ jure naturæ non requiruntur, teste Lugone, & Less. apud La Croix N. 1032. non est recepta.

CAPUT X.

De contractibus, in quibus fortuna admiscetur, ut assecuratione, sponsione, lusu, sorte.

QUÆSTIO I.

Quid sit Assecuratio, & quid ad ejus Justitiam requiratur?

Resp. Assecuratio est contractus, quo quis gratis, vel erga pretium rei alienæ periculum in se suscipit, obligando se ad ejus compensationem, si pereat, v. g. si dederis mihi 100. assecuro te, quòd merces tuæ salvæ sint advehendæ: si secùs fiat, earum valorem tibi compensabo. Si suscipiatur periculum erga pretium, est quædam venditio, quâ venditur obligatio rem alterius præstandi indemnem. 260. *Assecuratio.*

Ad hujus contractûs justitiam requiritur 1mò æqualitas inter æstimationem periculi, & pretii; unde utrique parti debet esse incertus *Requisita ad ejus justitiam.*

 rei

rei eventus, & periculum probabile : ſi enim aſſecuranti conſtaret, rem eſſe extra omne periculum, aut domino rei jam conſtaret, rem periiſſe, deeſſet titulus aliquid exigendi, adeoque aſſecuratio locum non haberet.

2. Aſſecurator ante contractum moneri debet de periculis, ut expendere poſſit, velitne, an nolit, & quo pretio poſſit ſuſcipere rei periculum : quò enim hoc majus, eò pluris ejus ſuſceptio æſtimanda eſt.

3. Aſſecurator debet habere in re, vel ſpe, quo re pereunte domino poſſit ſatisfacere : aliàs pretium non poteſt promittere. Unde ſi promitteret 100. pro re, & non haberet, niſi 50. injuſtè ageret : putatque Sporer, contractum fore invalidum : quod negant alii, putantque, quòd ſicut, ſi res periiſſet, debuiſſet ſolvere ſaltem 50. ſic, ſi non pereat, poſſit retinere 50. quia erga hos ſuos 50. periculo expoſuit, nec fuit error, niſi circa medietatem ſubſtantiæ. Simile eſt, ſi luſui verbaliter exponeres 10. & non haberes niſi 5. erga hos luſus foret juſtus.

QUÆSTIO II.

Quid ſit ſponſio, ſeu concertatio de rei veritate, & eventu?

261. *Sponſio juſta quæ requirat?* Reſp. Sponſio eſt contractus, quo duo vel plures de veritate, vel eventu alicujus rei contendentes. ſibi invicem aliquid ſpondent, ut ſit ejus, qui veritatem fuerit aſſecutus. Hic contractus, ut ſit honeſtus & juſtus, 1mò debet adeſſe animus ſe obligandi, & ſolvendi, quod ſpondetur veritatem aſſequenti. 2. De quo agitur, debet ab utroque in eodem ſenſu accipi;

cipi ; aliàs consensus non erit in idem, & contractus non subsistet. 3. Debet id, de quo concertatur, utrique parti esse incertum ; quia in hoc contractu emitur spes lucrandi periculo perdendi ; si autem una pars sit certa, nullum est periculum illi : sicque non servatur æqualitas ad hujus contractûs justitiam requisita. 4. Si sit de aliquo à concertantibus ponendo, debet id esse licitum ; utì non esset, si duo concertarent, quòd alter alterum esset potando superaturus ; quo tamen casu, qui lucratus esset, non teneretur restituere.

Hinc certus de rei veritate, vel eventu non potest sponsione lucrari ; sique, quod propositum fuerat, acceperit, tenetur restituere, saltem nisi alteri suo concertanti indicaverit, se scire. Hoc enim casu, tenent probabiliter Navar. Sanch. Laym. licitè potuisse certare, nec teneri restituere; eò quòd nulla fraus intervenerit, & alter nihilominus certans suo juri resignaverit. Sed probabiliùs contradicunt Lugo, Molina, La Croix ; tum quia alter non intendit rem donare, putatque rem esse incertam, concertantemque falli ; tum quia in sponsione emitur spes lucrandi pro periculo perdendi, velut merx pro pretio ; cùm autem periculum non adest, pro eo spes emi non potest : proin contractus invalidus est, sicut invalida est emptio gemmæ falsæ pro vera, si emens monitus de falsitate à me, putâsset me falli, & emisset.

Si dicas : quando habeo in lusu chartas optimas, & sum certus de victoria, adhuc possum sponsionem augere : ergo & certus de victoria possum sponsionem incipere. R. N. conseq.

conseq. primum permittunt leges lusûs, ut praxis declarat, non secundum.

Quæri hîc solet, an si plures v.g. tres concurrant pro obtinendo aliquo officio, possit quis cum singulis certare, quòd non sint id obtenturi. Ratio dubitandi est, quòd contra unicum possit perdere, & certò lucraturus sit contra reliquos. Respondetur id probabiliter licere; quia hîc triplex est contractus, quique habetur cum uno, impertinenter se habet ad alterum, & in quolibet seorsim subeo periculum perdendi.

QUÆSTIO III.

Quid sit lusus, & quæ ad ejus honestatem, & justitiam requisita?

262. *Requisita ad lusûs justitiam.* Resp. Lusus generatim est actio humana artificiosa, de se ordinata ad animi recreationem. Acceptus autem pro contractu, est conventio, quâ ludentes paciscuntur, ut cedat victori, quòd duo, vel plures deposuerunt. Lusus potest esse actus virtutis, quam Eutrapeliam vocant, si fiat debito fine, & ex circumstantiis non vitietur: uti si congruat personæ, tempori, loco, non sit justo diuturnior, nec occasio scandali, nec afferat hîc & nunc propinquum periculum peccandi, nec obstet justa prohibitio, nec exponatur plus justo.

Ut autem contractus lusûs sit justus, requiritur 1mò, ut ludentes habeant facultatem de re disponendi, eamque alienandi, quam lusui exponunt, & aliunde habeant, unde debita solvant, aliisque satisfaciant. 2. Ut lusus liberè; non vi, fraude, aut dolo inducente susci-

suscipiatur. 3. Ut in lusu absit omnis fraus, & dolus in lusu non permissus. 4. Ut sit moralis æqualitas tum rei expositæ ex utraque parte, tum periculi perdendi, & spei lucrandi, adeoque utriusque in ludendo peritiæ, ità, ut excessus non sit notabilis, & à solo peritiore cognitus: Lusus enim est contractus utrimque onerosus, quo emitur spes lucrandi periculo perdendi. 5. Ut serventur, quæ ex conventione, aut consuetudine sunt constituta. Hinc deduces.

1mò. Lusu acquisita tenetur restituere, qui lucratus est à filio familias, uxore, religioso, quando hi exponendo lusui excedunt necessariam licentiam saltem tacitam patris, mariti, Prælati: hi enim disponentes de re non sua, aut saltem sine legitima facultate, nec perdere, nec lucrari lusu possunt; non perdere, quia dominium transferre non possunt; non lucrari, quia per contractum onerosum acquirere non possunt, nisi expositæ pecuniæ, vel rei dominium vicissim transferant. Ex licentia autem tacita potest uxor exponere id, quod ex consuetudine loci similis conditionis mulieribus permissum scitur. Filius familias, in domo paterna existens, potest id exponere lusui, quòd parentes sciunt, & dissimulant non inviti. Extra illam verò existens id, quod ad honestam, moderatamque recreationem requiritur. Religiosus denique, quòd consuetudo in ea religione declarat exponi posse. Quodsi magnam summam esset lucratus, potest eam exponere successivè, durante eodem lusu; quia ante finem hujus lucrum non censetur plenè acquisitum; non tamen in alio sine 263. *Corollaria.*

nova

nova licentia, saltem ob circumstantias prudenter præsumpta. Laym. hic n. 6.

2. Tenetur restituere, qui lucratus est ab eo, quem vi, vel metu injusto sive in principio, sive in successu lusûs induxit ad ludendum: uti, si nolentem in lusu pergere, avarum, vilem, abjectum nominâsset, vel minatus esset grave incommodum, nisi pergeret. *Ratio est*; quia esset causa injusta damni. Probabilis tamen est sententia opposita, si fraus non adfuit; quia nec coactio, nec lusus videtur fuisse causa damni, sed vel fortuna, vel peritia ludentis; sique cogens perdidisset, debuisset solvere: ergo æquum est, ut potuerit etiam lucrari: alias non fuisset æqualitas. Verùm videtur cogens teneri saltem compensare æstimationem periculi perdendi, in quod alterum per injuriam conjecit, imò probabiliùs totum restituere; damnum enim est ex injuria ejus.

3. Qui per fraudem in lusu non permissam lucratus est, lucrum sic acquisitum restituere tenetur. Fraudes non permissæ sunt, si chartas signis certis notes, ut à tergo agnoscas, meliores occultes, ut dein vilioribus supponas, arte sic componas, ut non casu, sed ex certa dispositione meliores accipias; si post tergum tui collusoris habeas speculum, in quo ejus chartas videas, vel habeas alium, qui te moneat; si de industria te inflectas, aut ità componas, ut ejus chartas videas; si alteri non advertenti minùs solvas, vel dicas te habere plura puncta, quàm habeas. Non tamen si ex usu, & detritione chartas dignoscas, aut casu ex alterius negligentia ejus chartas videas, si non moneas non benè numerantem sua puncta, vel concedentem tibi primam manum,

cùm

cùm illi competeret; quia alteri incumbit attendere suo negotio. Si scias te habere meliores chartas, & metum simules, ut adversarius fiat audacior, & præmium augeat; si habens chartas viliores pretium augeas, ut alterum deterreas, & exposita accipias. Hæc enim ex tacita conventione ludentium sunt permissa. Porrò ut ex fraude oriatur obligatio restituendi, debet fraus influxisse. Hinc si seclusâ fraude adhuc fuisses lucraturus, non teneris restituere: uti nec, si Titius non ludens inspexit viliores chartas Caji, hocque, ut te deterreat, augente præmium, te moneat, ut non terrearis, tuque nihilominus, seclusâ monitione Titii, lusurus fuisses, & vincas; quia monitio habet se per accidens, & in damnum non influxit, si verò decreveras non ludere, aut dubitaveris, an velles ludere, & à Titio monitus lusisti, & lucratus es; distinguendum est: nam, si à te Titius fuit constitutus, ut te moneret, tu teneris restituere primo loco. Si autem à te non fuit constitutus, attamen monuit, hic Cajum teneretur servare indemnem; quia non tu, sed is injuriam fecit te determinando. Si per fraudem lucratus sis 10, & alter iterum à te lucratus est 10, hos teneris solvere, 10 verò quos per fraudem es lucratus, tenetur restituere is; qui injuriam fecit; quia quoties unus lucratus est, toties novus incipit contractus.

4. Si ludens cum notabiliter imperitiore te, certus de victoria lucreris, teneris, si ignoraverit alter tuam peritiam longè majorem, restituere; quia est notabilis inæqualitas. Si autem ignorasses, alterum esse parum peritum, aut is scivisset, te peritiorem, vel te provocaverit, ad nihil teneretis; quia nulla fraus inter-

tervenit, & volenti non fit injuria, dum jure suo cedere potest. Est quidem, si alter te ignoraverit peritiorem, reipsâ aliqua inæqualitas: verùm hoc ipso, quod quis nullâ fraude, vel metu inductus ludat, censetur resignare juri suo, si fortè alter sit peritior, & exigua peritiæ inæqualitas non attenditur: unde sibi damnum imputare debet; sique de victoria dubium fuerit, retinere potes, quod lucratus es.

5. Si Titius non habens nisi 3. obtulit pro exposito 6. aut exposuit monetam falsam; si quid lucratus est, debet pro rata restituere, nisi defectum voluerit compensare.

6. Si ludas pro te, & Cajo contra Titium cum hoc pacto, ut, si perdas, Cajus ferat medietatem damni; si verò lucreris, habeat tantùm tertiam partem lucri, juxta Sanch. pactum est illicitum, & injustum, juxta Lugonem excusari quandoque potest; quia in contractu societatis, qui dimidium capitale apponit, & simul industriam, vel operam impendit, plus lucrari potest.

7. Si socii lusûs conveniant, ut, qui lucratus fuerit plus, solvat candelas, chartas, haustum, & tu per fraudem plus lucreris; teneris stare conventione, solvere chartas &c. & malè acquisita restituere, tibique damnum imputare. Ità La Croix.

QUÆSTIO IV.

Qui Lusus sint Lege positivâ prohibiti?

Resp. Jure tam Civili, quàm Ecclesiastico Lai-

Laicis & Clericis prohibitus est lûsus alearum, chartarum, & taxillorum. Laicis quidem *ff.* *& Cod. de aleatoribus.* Clericis autem sub gravibus pœnis. *Cap. Clerici* 15. *de vita & honestate Clericorum* : quas pœnas innovavit Trid. *Sess.* 22. *cap.* 1. *de Reformatione.* Ratio prohibitionis est periculum & occasio multorum peccatorum & malorum, uti iræ, rixarum, blasphemiæ, perjurii, jacturæ temporis, neglectûs Officii debiti &c. & quia tales lusus sub gravibus pœnis prohibentur ; Doctores rectè inferunt, per se loquendo, Clericos peccare mortaliter, qui sæpe, diu, & publicè chartis, vel aleis ludunt. Nihilominus leges illæ variis in locis non in omni rigore vigent, sed usu contrario sunt mitigatæ, ità ut Laici, per se loquendo, non peccent exercendo lusus de se non malos, nisi ex circumstantiis vitientur, & Clerici quoque non peccent, saltem graviter, si principaliter pro recreatione animi, & secundariò pro moderato lucro quandoque ad breve tempus, secluso scandalo, ludant aleis, vel chartis. Secùs si frequenter, sumptuosè, publicè cum populi scandalo, aut cum gravi statûs sui indecentia ludant. Quòd si quis lusu prohibito, etiam ubi lex viget, lucraretur, lucrum posset salvâ conscientiâ retinere ; quia Jura contractum non irritant, sed tantùm jubent restitui, si sententia Judicis accesserit : ad quem si citeris, alterique desit semiplena probatio, non teneris fateri, nec quidquam restituere. Si autem adesset semiplena probatio, tenereris fateri lucrum, sique negares, deberes nihilominus restituere ; quia mendacio impedires sententiam Judicis, & consequenter alium, quo minus reciperet, quod ei

264. *Lusus alearum & chartarum.*

post sententiam Judicis debetur. Denique, si lusisses creditò, seu pro præmio aliàs solvendo, & perdidisses, posses, nisi juraveris, te soluturum, tueri te exceptione legis prohibentis, & non solvere; quia, quando lex permittit repeti, tacitè permittit retineri. La Croix L. 3. P. 2. n. 677. & 1087.

Si verò socius lucratus esset, & præmium accepisset, fictèque minareris, eum convenire coram Judice, isque ideo daret tibi aliquid, ne repetas in judicio, probabiliter posses id retinere; quia cederes jure tuo repetendi, quod est pretio æstimabile. Ità Less. & alii contra Lugonem hic n. 72. Vid. La Croix à n. 1087.

QUÆSTIO V.

Quid de Contractu Sortis?

265. *Definitio.* Resp. Est Contractus, quo plures conveniunt, quid quis ex rebus dividendis, vel propositis habeat, aut hìc & nunc agat, vel patiatur, si certum ei signum constitutum obvenerit. Hic Contractus licitus per se loquendo est, si absit fraus, & servetur debita æqualitas, habetque locum in hæreditate, aliisque bonis dividendis, in litibus componendis, in functionibus, ubi de honore & periculo agitur, in pœnis sustinendis, in re, vel pretio habendo ex olla fortunæ, vel, ùt vocant, Lotteria: ubi emitur jus extrahendi schedulam cum spe lucri. Non habet tamen locum in Beneficiis Ecclesiasticis, quæ dignioribus sunt conferenda, & invalidè per sortes conferuntur, ex *Cap. Quia propter. de Electione*, etsi competitores plures essent æquè, aut fere æquè

idonei

idonei. Nec ordinariè sic conferri debent Officia Sæcularia. Si tamen, omnibus examinatis, plures essent æquè idonei, sortes usurpari possent. Videri potest Less. L. 2. cap. 43. n. 58. ubi docet, locum habere posse in Beneficiis Ecclesiasticis, si aliâ ratione lis dirimi non posset.

CAPUT XI.

De Contractibus subsidiariis, Fidejussione, Pignore, & Hypothecâ, ubi & de Transactione.

Contractus subsidiarii dicuntur Fidejussio, Pignus, & Hypotheca; quia adhibentur in securitatem, & subsidium alterius Contractûs principalis, v. g. emptionis, donationis &c. quem necessariò supponunt, vel factum, vel faciendum: unde etiam dicuntur accessorii.

QUÆSTIO I.

Quid sit Fidejussio, & à quibus præstari possit?

Resp. Fidejussio est Contractus, quo quis se obligat ad implendam alienam obligationem, si principalis debitor eam non impleat. Obligatio ex hoc Contractu, cùm sit realis, transit ad hæredes; quia tamen accessoria & conditionalis est, cessat, si obligatio principalis sit invalida, aut extinguatur; nisi quis obligaverit se pro securitate Contractûs, ne scilicet à Superiore rescindatur. Non potest 266. *Definitio.*

test Fidejussor conveniri, nisi factâ excussione debitoris principalis, nisi constaret, hunc non esse solvendo. Sique hic impetrâsset prorogationem termini, solutioni præfixi, non teneretur ultra Fidejussor; quia ultra ejus intentionem non extendit se obligatio, quæ, cùm onerosa sit, & pretio æstimabilis, potest pro ea aliquid exigi. Possunt autem, per se loquendo, validè fidejubere, qui possunt principaliter obligari. Qui autem principaliter obligari non possunt, nec possunt fidejubere, ut sunt pupillus, minor, Religiosus, sine consensu Tutoris, Curatoris, Superioris. Deinde fidejubere non potest mulier pro marito; sique vi Fidejussionis solverit, tenetur creditor restituere; quia dominium mulier non transtulit, nisi accesserit juramentum: imò nec potest fidejubere pro alio absque instrumento publico, & tribus testibus, vel nisi in instrumento coram Magistratu suo privilegio, quod habet ex *Sen. Consulto Velleiano*, renuntiaverit, vel Fidejussionem juramento firmaverit, aut pro eo mercedem acceperit, vel in suam utilitatem fidejusserit &c. Vide Pichler in L. 3. Tit. 22.

QUÆSTIO II.

Quid sit Pignus, & Hypotheca?

267. *Pignus.* Resp. 1. Pignus formaliter, seu oppignoratio est Contractus, quo in debiti securitatem, id est, ut ex ea solutio peti possit, creditori obligatur, & traditur res in individuo restituenda, ubi solutum erit debitum. Pignus objectivè sumptum est res, quæ traditur pro securitate debiti, vel contractûs. Hæc dicitur

Pignus;

Pignus; quia quasi in pugnum traditur. Hanc tenetur creditor conservare, ne pereat, vel detrimentum accipiat, eâque uti non potest sine consensu domini; potest tamen eam oppignorare alteri, seu illi jus suum cedere, imò & vendere; si debitor elapso tempore semel monitus intra biennium non solvat: ideo enim dicitur tradi in securitatem debiti, ut ex ea solutio peti possit.

Resp. 2. Hypotheca formaliter est Contractus, quo res creditori in securitatem debiti non traditur, sed nudè obligatur; objectivè est res, quæ ipsi pro securitate debiti obligatur. Hypotheca ordinariè est res immobilis; Pignus res mobilis, sed non semper: si enim res non tradatur, erit Hypotheca. Hæc tamen nomina in jure passim idem sonant. Conveniunt autem Pignus & Hypotheca cum commodato & deposito, quòd dominium non transferant: hinc periculum & fructus rei oppignoratæ vel hypothecatæ pertinent ad debitorem, rei dominum; sique usus ejus, vel ususfructus tibi sit concessus, debet valor computari in sortem, deductis tamen expensis, & labore tuo. Econtra differunt à commodato & deposito, quòd conferant jus reale in re, debito æquivalente, vi cujus in concursu aliorum creditorum, jus tantùm personale habentium, habens Pignus vel hypothecam præfertur. Hoc tamen, Jure non obstante, potest res uni hypothecata alteri obligari in Hypothecam, modò par sit utrique debito: aliàs primo fieret injuria, quæ crimen Stellionatûs dicitur. *Hypotheca.*



QUÆSTIO III.

Quotuplex ſit Hypotheca ?

268. *Diviſio hypothecæ.* Reſp. Alia eſt conventionalis ſeu expreſſa ; alia tacita ſeu legalis : alia univerſalis ; alia particularis : alia privilegiata ; alia non privilegiata. Conventionalis eſt, quæ mutuo conſenſu expreſsè conſtituitur : neque enim hypotheca certam formam, aut ſcripturam requirit. Tacita eſt, quam lex vel conſuetudo concedit, etſi nulla in contractu facta ſit ejus mentio. Sic bona tutoris pupillo, bona curatoris minori ſunt hypothecata pro juſta bonorum adminiſtratione ; bona mariti pro dote uxoris. Univerſalis eſt, quâ bona omnia tam futura, quàm præſentia obligantur. Tales ſunt omnes hypothecæ legales, ſeu tacitæ ; quia lex non exprimit bona in ſpecie. Particularis eſt, quâ res una, vel plures in ſpecie obligantur, v. g. hæc domus, hoc pratum, prædium, hæc catena aurea. Hæc ſemper afficit rem, ad quemcunque devenerit, donec debitum ſolvatur. Privilegiata eſt, quæ ſpeciali favore juris gaudet, vi cujus eam habens in concurſu creditorum præfertur aliis, talem non habentibus. Talem habet uxor in bona mariti pro ſecuritate dotis ; pupillus, minor in bona tutoris & curatoris &c.

Porrò oppignorari, vel Hypothecæ ſubjici poſſunt non ſolùm res corporales, ſed etiam incorporales, ùt jura, debita, actiones. Non poſſunt tamen oppignorari, quæ non poſſunt alienari, ùt Eccleſiæ, bona immobilia, & mobilia cultui divino dicata. *Excipe* caſum neceſſi-

cessitatis, in quo & vendi possunt v. g. Ecclesiæ, ut egentibus succurratur, & extra hunc casum possunt subjici Hypothecæ universali in utilitatem Ecclesiæ. *Cap. 3. de Pignore.* Si castrum, quod Jus Patronatûs habet annexum, oppignoretur, jus id manet domino; secùs, si vendatur castrum. Si domus oppignorata comburatur, fundus manet oppignoratus.

QUÆSTIO IV.

An contractu Pignoris liceat convenire, ut creditor utatur Pignore v. g. agro, ac fructus inde tam diu lucretur, donec debitum solvatur?

Resp. Hic Contractus, qui dicitur Antichri- 269.
sis, toleratur quidem à Jure Civili, sed à Jure Canonico reprobatur velut usurarius; quia mutuans, seu creditor non fit dominus Pignoris: iniquum autem est ex re aliena propter mutuum fructus capere. Possunt tamen esse justi tituli lucrandi fructus ex Pignore sine diminutione sortis, v.g. si ex dilatione solutionis damnum emergat vel lucrum cesset, vel emas rem oppignoratam cum pacto retrovendendi, vel emas per contractum censûs jus percipiendi fructus, aut fructus cedant marito pro dote uxoris &c. Non debent tamen fructus percipiendi excedere titulum justum, seu pensionem convenientem, vel damnum emergens, aut lucrum cessans. De hoc plura vide apud Castropalao hìc D. 4. p. 19. & 20. La Croix num. 1115.

Contractus Antichriseos.

QUÆSTIO V.

Quid de Transactione tenendum?

270. *Defini-tio.* Resp. Transactio est conventio extrajudicialis, utrimque onerosa, de re dubia, controversiâ, vel lite jam motâ. Unde 1. Transigens non debet esse certus, rem alteri esse debitam, aut adjudicatam per sententiam, à qua non detur justa appellatio. 2. Debet fieri cum onere aliquo utriusque Partis: aliàs erit amicabilis compositio, vel donatio. 3. Debet fieri inter Partes per se; si enim fiat judicio arbitri, quem Partes elegerint, erit compromissum: si per aliquem non electum ab ipsis, sed potestate publicâ constitutum, in quem ideo consentire tenentur, dubium componatur, erit controversia dirempta per sententiam Judicis.

Petes; Quid, si transactione factâ, uni certum jus dignosceretur competere? Resp. Si facta sit sincerè vera transactio, & is accipit, quantum jus ipsius dubium in illis circumstantiis judicio prudentum valebat, tenet transactio, nisi redundet in præjudicium tertii, qui ideo magis gravetur. Ità habetur *L. Sub prætextu* 19. *Cod. de Transactione.* Tenentque TT. communiter; quia conveniebat bono communi, ut interveniente ejusmodi transactione, per jus altum sopirentur tales controversiæ. Sic tenet transactio, si post longam litem, an certus Caji fundus sit collectabilis, Cajus transegisset cum communitate; ut censeatur liber, & Cajus postea inveniret certa documenta, per quæ convinceretur, fundum esse

esse collectabilem; essetque hoc casu Cajus tutus in conscientia, modò communitas pro ratione dubii acceperit pretium à Cajo, vel pretio æquivalens; neque enim lex positiva se per jus altum interponit, nisi fuerit transactio distincta à pacto gratuito. Vide La Croix N. 629. 464. Laym. L. 3. Tr. 4. Cap. 31. Molin. Tr. 2. D. 556.

CAPUT XII.

De ultimis Voluntatibus, Testamento, Codicillo, Donatione mortis causâ, Legato, & Fideicommisso.

ULtima voluntas, ùt hìc sumitur, est dispositio legitima, quâ quis statuit, quid rebus suis post mortem suam fieri velit. Illius recensentur hæ quasi quinque species: Testamentum, codicillus, donatio mortis causâ, legatum & fideicommissum, quæ sunt quædam species donationis conditionatæ.

QUÆSTIO I.

Quid sit Testamentum, Codicillus, Donatio mortis causâ, Legatum, Fideicommissum?

271.

REsp. 1. Testamentum est libera ac justa dispositio ultima, quâ quis cum directa ex natura actûs institutione hæredis decernit, quid rebus suis post mortem suam fieri velit. Dixi: *Testamentum, & ad id requisita.*

Dixi : *Ex natura actûs* ; quia codicillo militis ex speciali privilegio potest hæres directè institui, ùt patet ex *L. Militis. De Testamento militari.* Ut autem valeat Testamentum secundùm Jus Civile, requirit septem testes masculos, puberes, ad id rogatos, non surdos, non mutos, civiliter etiam à testatore distinctos, qui simul in eodem loco præsentes, & testatorem videntes, testamento cum testatore subscribant, & annulo subsignent suo, vel alieno, siquidem testamentum scriptum est; vel si scriptum non sit, audiant à testatore nominari hæredem, & ultimam ejus voluntatem, quod testamentum nuncupativum vocatur. Utrumque hoc dicitur testamentum solenne. *Excipe* tamen 1mò testamentum militis, rustici, parentum pro liberis, factum tempore pestis; nam testamentum militis in castris duos; rustici, si plures haberi non possunt, quinque testes tantùm; testamentum parentum pro liberis duos, qui possunt esse fœminæ, nec debent esse rogati, nec subscribere, tempore pestis, si plures haberi non possunt, duos tantùm testes requirit.

2. Testamentum Principi oblatum, vel coram eo factum: hoc enim valet absque omni solennitate, modò probari possit, quòd sit oblatum. Hæc testamenta dicuntur privilegiata. Denique testamentum Clerici in foro Ecclesiastico subsistit, etsi duo sint tantùm testes, sitque profanum, nisi consuetudo alicubi aliud habeat. Pichler L. 3. Tr. 26. num. 6. testes hos n. 7. requirit tanquam de substantia.

272. *Codicillus, & ad eum requisita.* Resp. 2. Codicillus est ultimæ voluntatis dispositio, quâ quis absque directa hæredis institutione aliquid circa testamentum, vel successionem explicat, vel mutat, addit, aut legata,

gata, & fideicommissa relinquit particularia. Dixi: *Vel successionem*: nam codicillus fundatur super successione, vel ab intestato, vel per testamentum, in eoque aliquid alteri dandum, vel aliquid exequendum hæredi committitur. Codicillus extra testamentum, nisi sit ad pias causas, requirit 5. testes, non tamen necessariò rogatos, inter quos possunt etiam esse mulieres, & probabiliter tantùm requiruntur probationis causâ, non tanquam de forma. Porrò Codicillus fieri potest vel in scripto, vel nuncupativè, ante, vel post testamentum, cum, vel sine eo. Si post testamentum fiat, debet fieri mentio testamenti; secùs, non. Si fiat sine testamento, obligat venientes ab intestato; si cum testamento, obligat hæredem ex testamento. Possunt quoque Codicilli plures fieri, qui si sint sibi contrarii, posterior revocat priorem, nec opus est, ut testes sint in conspectu facientis Codicillum; imò si Codicillus testamento confirmatus sit, testes non requiruntur etiam probationis causâ.

Resp. 3. Donatio mortis causâ est donatio intuitu mortis facta, ante mortem revocabilis liberè à donante, post mortem irrevocabiliter firma. Hæc imò debet fieri intuitu mortis, id est, memoria, vel periculum mortis debet aliquo modo esse ejus causa: hinc si dubium sit, an tantùm tempore mortis, an ejus intuitu facta sit, v. g. si nulla fiat mentio mortis, censetur donatio inter vivos. 2. Debet ante mortem donantis acceptari à donatario; aliàs esset potiùs legatum, & non valeret facta à non potente testari. 3. Potest fieri ab absente per epistolam, vel nuntium; ad probationem tamen, si sit ad causam profanam, in foro exter- 273. *Donatio mortis causâ.*

no

no requirit quinque testes, non ad valorem. 4. Potest incipere vel à traditione, vel à promissione absque traditione. Si fiat 1mum, transfert dominium, sed revocabile, quamdiu donans vivit; qui si evadat periculum mortis, & rem traditam repetat, reddenda est. Si fiat 2dum, non transfert dominium rei donatæ, donec hæc tradatur. 5. Morte donantis firmatur, fitque irrevocabilis, resque donata exigi potest etiam per Judicem. Denique mortis causâ donare possunt, qui possunt testamentum facere. Inter eos sunt etiam minores, conjuges, filius familias, qui cum consensu patris de adventitiis donare potest, etsi cum eo testari non possit.

274. *Legatum.* Resp. 4. Legatum est ultimæ voluntatis dispositio, quâ testator ex eo, quod aliàs universim hæredis foret, aliquid alteri, directis ad eum verbis, relinquit ab hærede præstandum; vel: est donatio rei particularis, à testatore facta, verbis immediatè ad donatarium directis, ab hærede præstanda: ùt, si dicat: Lego Titio 100. aureos: si enim diceret verbis ad hæredem immediatè directis: Hæres meus det Titio 100. aureos, foret Fideicommissum. Legatum etiam sumitur pro re legata.

Notandum porrò 1. Legatum acquiritur ab ignorante sine acceptatione hoc sensu, quòd fictione juris dominium ejus ad diem mortis retrotrahatur, nisi sit conditionatum.

2. Legari possunt, quæ alienari, & à Legatario acquiri possunt.

3. Legatum rei alienæ cognitæ, ùt talis, hoc speciale habet ex dispositione juris, quòd hæres teneatur rem alienam legatam emere, vel, si dominus nolit eam vendere, aut nimium pro

pro ea exigat, teneatur Legatario ad æquivalens. Si res aliena non fuerit ùt talis cognita, legatum non subsistit.

4. Si nemo ex scriptis hæredibus adeat hæreditatem, legata profana unà cum testamento corruunt. Si autem adeatur hæreditas, & sit absolutè legata res determinata, fructus hujus debentur Legatario à die mortis testatoris. Si verò res indeterminata sit absolutè legata, ità, ut determinatio sit penes hæredem, dominium non transfertur, nec fructus debentur, nisi à tempore, quo hæres fuit in mora tradendi vel determinandi.

5. Si legatum sit conditionatum, non cedit Legatario ante impletam conditionem, sive hæc sit causalis: ùt, si navis ex India advenerit; sive purè potestativa, seu dependens à voluntate sola Legatarii: ùt, si servum manu miseris; sive mixta, & dependens simul ab alterius voluntate, ùt: si Cajam uxorem duxeris. Conditio potestativa non nisi post mortem testatoris impleri debet, causalis & mixta potest impleri post conditum testamentum. Laym. L. 3. Tr. 5. cap. 10. n. 11. *De Legatis conditionatis.*

6. Legata relinqui possunt vel in testamento, vel in codicillo, vel solâ voce. Si in testamento relinquantur, requirunt, si profana sunt, solennitatem testamenti; si in codicillo, solennitatem codicilli saltem pro foro externo, si nuncupativè extra testamentum, & codicillum, requirunt quinque testes pro probatione, non pro forma; in quo tamen aliqui contradicunt.

7. Legata facta in diem certum, v. g. solven-

da primâ Januarii, æquivalent abſolutis, & tranſeunt ad hæredes, ſi Legatarius poſt mortem teſtatoris ante diem illum obeat. Facta in diem incertum, v.g. Lego Titio 100. ubi factus fuerit Sacerdos, vel ad pubertatem venerit, ſolvendos: æquiparantur conditionatis, adeoque ſi Titius ante illum diem obeat, non tranſeunt ad hæredes ejus. V. n. 138

275. *Fideicommiſſum.* Reſp. 5. Fideicommiſſum eſt ultimæ voluntatis diſpoſitio, quâ hæres ſeu vi teſtamenti, ſeu ab inteſtato ſuccedens à diſponente obligatur abſolutè, vel conditionatè, ut hæreditatem, vel ejus partem tradat alteri. Hæc diſpoſitio etiam dicitur ſubſtitutio, quæ ſi reſpiciat totam hæreditatem, vel partem ejus aliquotam v. g. tertiam, eſt Fideicommiſſum, & ſubſtitutio univerſalis; ſi partem ſingularem ſolùm reſpiciat, dicitur Fideicommiſſum, & ſubſtitutio particularis. Res tamen, quæ fidei hæredis alteri tradenda committitur, etiam Fideicommiſſum dicitur, & is, cui committitur, dicitur hæres fiduciarius, ſeu Fideicommiſſarius. Cæterùm Fideicommiſſa relinquere, ſeu ſubſtituere poſſunt omnes, qui teſtari poſſunt; quin & ab inteſtato relinqui poſſunt univerſalia, particularia, abſoluta, & conditionata, verbis, vel ſcripturâ, nutu, vel epiſtolâ. Si tamen in teſtamento relinquantur, vel codicillo, ſolennitates his propriæ ſunt adhibendæ.



QUÆS-

QUÆSTIO II.

An, & quomodo testamenta, reliquæque ultimæ voluntates ad causas pias valeant sine solennitatibus Juris civilis?

Resp. Testamenta, reliquæque ultimæ voluntates ad pias causas, quales sunt Ecclesiæ, hospitalia, monasteria, pauperes, valent sine solennitatibus Juris Civilis in utroque foro, modò de voluntate Testatoris satìs constet, sive per scripturam . sive per testes saltem duos, sive per nutus. Constat ex *Cap. relatum* 11. *de testamentis*, ubi Alexander III. mandat, ut quæcunque dispositio ultimæ voluntatis pro Ecclesiis in foro externo sustineatur tanquam valida, si adsint duo, vel tres testes, dum nempe aliunde probari non potest. Unde sufficit, si Testamentum sit scriptum manu Testatoris, quæ satìs agnoscatur, etsi nullus adsit testis. Si autem testibus probari debeat, ii debent esse habiles secundùm Jus Canonicum, qualis hîc potest esse mulier, impubes, non rogatus, non tamen servi, infames infamiâ juris, criminosi non emendati, excommunicati vitandi, &c. Neque enim Jus Civile potest disponere in præjudicium causæ piæ, quæ est extra sphæram potestatis civilis. Unus tamen testis etiam omni exceptione major non sufficit: imò nec in foro conscientiæ quisquam cum suo, vel alterius præjudicio stare tenetur solo unius dicto, vel asseveratione; quia alioquin plurimæ fraudes, & injuriæ contingerent. Quare dici solet, unus testis, nullus testis,

276. *Testamentum pium.*

ſtis. Laym. L. 3. Tr. 5. C. 2. N. 4. Ex his reſolves

277. *Corollaria.* 1mò. Si hæredi certò conſtet, voluntatem Teſtatoris fuiſſe, ut aliquid in piam cauſam expenderetur, licèt in foro externo id probari non poſſit, tamen in foro conſcientiæ tenetur obſequi Teſtatoris voluntati: non enim requiritur probatio, ubi de veritate conſtat, eſtque magna aliquorum etiam Advocatorum deceptio, qui putant, debitorem non teneri ſolvere, ſi debitum in foro externo probari non poſſit, inquit Layman.

2. Si Parochus poſt mortem Parochiani ſui producat ſchedam, continentem pia quædam legata, tunc ſi agnoſcatur, vel duobus teſtibus probari poſſit, quòd manu Teſtatoris, vel defuncti ſit ſcripta, pia ejus voluntas executioni mandanda eſt. Si autem ipſe Parochus legata annotaverit, non creditur illi ſine alio teſte: quare Parochi, aliique Confeſſarii tales ultimas diſpoſitiones ad cauſas pias non excipiant, niſi advocatis duobus teſtibus, maſculis, aut fœminis: unus tamen cum Parocho ſufficere poterit etiam in legato pro ſua Eccleſia: nam nec Rector Eccleſiæ nec alius beneficiatus, nec Religioſus prohibetur eſſe teſtis in cauſa ſuæ Eccleſiæ.

3. Valent legata pia, & executioni ſunt mandanda, quæ continentur in teſtamento ad cauſas profanas invalido.

4. Teſtamentum ſolenne quodcunque priùs factum invalidatur per poſterius non ſolenne ad cauſas pias, dummodo hoc ſit invalidum.

5. Ultima diſpoſitio captatoria, ùt vocant, quâ Teſtator ſuam diſpoſitionem in alterius voluntatem committit, etſi reprobetur à Jure civili,

civili, valet tamen ad causas pias: dicitur enim *Cap. cùm tibi. de testamentis: Qui extremam voluntatem in alterius dispositionem committit, non videtur decedere intestatus.*

6. Si moriturus cœpit facere testamentum, vel codicillum, & morte præventus non absolvit, licèt secundùm alia irritum sit, valet tamen quoad legata pia, quæ in sua illa imperfecta dispositione expressit.

7. Legata profana, testamento ad causas pias non solenni inserta valent, & solvenda sunt, modò testamentum sit Jure naturæ, & Canonico validum; quia accessorium sequitur principale. Ità communior. *Nec obstat*, quòd legata pia in testamento profano non solenni non sequantur hujus naturam; quia pium legatum est privilegiatum, & non innititur testamento tali tanquam principali.

8. Si Testator dicat: lego 1000. Cajæ, si non nubat; sique nubat, volo legatum dari Ecclesiæ, conditio servanda est, ut legatum pium subsistat; quia dispositio Juris civilis non præjudicat causæ piæ, nisi Jure Canonico sit approbata: unde valet legatum, si dicat: lego mille Titio, si à matrimonio abstineat, & fiat religiosus.

QUÆSTIO III.

An testamenta facta ad causas profanas, destituta solennitatibus Juris Civilis, valeant pro foro conscientiæ?

Certum est tale testamentum regulariter non sustineri in foro externo, sed negari actionem hæredi, per tale testamentum instituto. Dico

Regulariter : nam si ab intestato succedens ipse perceperit, & fateatur voluntatem testatoris defuncti, alium pro hærede instituentis, aut adfuerit testanti, & nolit juramentum deponere, quod non perceperit voluntatem defuncti; hæreditas adjudicatur hæredi per testamentum non solenne instituto, vel legatum, fidei commissum legatario &c. Dubium itaque est de valore pro foro interno extra hos casus. Ad quod

278. *Tres sententiæ.* Resp. Tres circa hoc sunt sententiæ, omnes nixæ legibus diversis, vel diverso sensu intellectis. 1ma, quam tenet Suar. Vasq. Lugo, asserit, tale testamentum esse omninò nullum etiam pro foro interno, ità, ut hæres per illud institutus, ante sententiam Judicis hæredibus ab intestato hæreditatem, si eam adierit, teneatur restituere. Hæc sententia nititur *L. Hâc consultissima. Cod. de testam. &c.* ubi dicitur testamentum imperfectum haberi pro infecto, nullumque esse: sed respondetur, haberi pro infecto, pro nullo in foro externo, eò quòd non detur actio tali testamento institutis, sed repellantur tanquam destituti probatione requisitâ.

2da sententia, quæ est Molinæ, Less. & aliorum ait, tale testamentum esse pro foro conscientiæ omninò validum, ità ut hæredes ab intestato, si iis constet de voluntate defuncti testatoris, non possint occupare bona, aliis in eo relicta, vel legata, neque agere apud Judicem, sique agant, & relicta aliis adjudicentur ipsis, teneantur restituere; eò quòd Judex non conferat iis Jus absolutè; sed solùm neget actionem iis, qui tali testamento nituntur, eosque repellat tanquam carentes debi-

debitâ probatione. Hæc ſententia probatur 1mò *ex L. Inutiliter C. de Fidei commiſſis.* ubi dicitur, non poſſe repeti fidei-commiſſum, relictum à defuncto inutiliter, ſeu ſine ſolennitate, ſi, ſciens voluntatem defuncti, hæres ab inteſtato id præſtitit; eò quòd voluntati defuncti ex conſcientia ſatisfactum videatur: atqui poſſet repeti, ſi ultima voluntas defuncti fuiſſet irrita. 2. Ex §. *ultimo inſtitut. de Fidei commiſſ. L. 16. C. de teſtam.* Juſtinianus ſtatuit, ut, ſi teſtator tibi hæredi commiſit, ut hæreditatem, vel partem alteri reſtituas, & hic probare non poſſit, tu autem farearis eam fuiſſe voluntatem teſtatoris, vel juramentum oblatum præſtare nolis; cogaris reſtituere, ne depereat, inquit, ultima voluntas teſtatoris fidei hæredis commiſſa. 3. Aliis legibus apud Leſſ. L. 2. c. 19. d. 3. dicitur; *Nihil eſt tam conveniens naturali æquitati, quàm voluntatem Domini, volentis rem ſuam in alium transferre, ratam haberi: ubique cuſtodiri volumus morientium voluntates.* Ergo leges non intendunt eas reddere omninò irritas. Ex his Juris-periti colligunt legata, quæ in teſtamento non ſolenni tibi relicta ſunt, ſi à te poſſideantur, poſſe legitimâ exceptione defendi. Probatur 4. ratione; quia Jure poſitivo non ſatis probatur, tale teſtamentum eſſe omninò nullum; ergo ſtandum eſt pro ejus valore; quia qui potuit Jus apertiùs dicere, & non dixit, contra eum interpretatio facienda eſt, eſtque lex naturalis in poſſeſſione; leges autem irritantes, & à lege naturæ recedentes ſunt odioſæ, adeoque reſtringendæ. Deinde lex irritans juxta communem non extendit ſe ad forum in-

 ternum,

ternum, nisi id exprimat, vel saltem virtualiter ejus mentionem faciat.

3tia sententia, quam tenet Sanch. Valent. Laym. L. 1. tr. 4. c. 17. & alii, est media inter duas priores, docetque validum esse illud testamentum pro foro conscientiæ, sed infirmum, & rescindibile per Judicem, quem hæres ab intestato implorare potest. Juxta hanc sententiam hæres sic institutus hæreditatem, & legatarius legatum retinere potest, donec adjudicetur hæredibus ab intestato à Judice, qui obligationem naturalem, & Jus infirmum dissolvit, & confert Jus firmum hæredibus ab intestato, nisi sciant, & fateantur, aliam fuisse voluntatem defuncti, vel recusent præstare juramentum, se non scire, aliam defuncti fuisse voluntatem. Ratio hujus sententiæ est; quia sic conciliantur leges in speciem oppositæ, & satis fit earum fini, qui est regimen politicum, & evitatio fraudum. Hæ sententiæ omnes sunt probabiles, sed postrema videtur probabilior. Vid. Pichler L. 3. Tit. 26. N. 11. in Compendio.

279. *Quid, si testamento scripto, quid desit?* *Notandum* insuper, si testamentum in scripto deficiat in aliqua solennitate testamenti scripti, v. g. careat debitâ subscriptione, valet ut nuncupativum, si omnes hujus solennitates habeat, etsi id non exprimatur; quia Jura concedunt facultatem transferendi hæreditatem per testamentum nuncupativum, & quisque præsumitur modo, quo potest, disponere, ut actus potiùs valeat, quàm non valeat. Ut tamen testamentum valeat in vim codicilli, debet addi clausula codicillaris, seu quòd velit dispositionem suam valere saltem ut codicillum, quo hæres ab intestato obligetur,

tur: qui enim præcisè codicillum facit, decedit intestatus.

QUÆSTIO IV.

Quinam condere non possint Testamentum?

Resp. Non potest 1mò impos rationis. 2. Surdus & mutus à nativitate. 3. Impubes, etsi sui juris, vel sub Tutore esset; quia jura absolutè requirunt pubertatem, nec permittunt Testamentum pendere ab aliena voluntate. Lex tamen civilis non potest præjudicare causis piis. 4. Filius familias, qui tamen potest testari de castrensibus, si puber sit, & de adventitiis ad causas pias cum consensu patris, secundùm dicta N. 43. 5. Religiosus professus, qui tamen potest testari inter liberos legitimos, si ante professionem fuisset junctus matrimonio, Computare tamen deberet monasterium in numero liberorum. 6. Prodigi privati administratione bonorum. 7. Damnati ad mortem, & rei criminis, cui talis pœna est annexa: ùt hæretici excommunicati, ob hæresin, usurarii notorii &c. 8. Clerici ex superfluis de reditibus beneficii ad causas profanas secundùm dicta N. 51. R. 3. Reliqui autem testari possunt, nec prohibentur testari minores etiam sine consensu curatoris. Vide Less. L. 2. C. 19. Dub. 4. N. 41. 280.

Impuberes, & lege prohibiti.



QUÆSTIO V.

Quinam hæredes institui non possint?

281. *Hæretici, & proscripti, &c.* Resp. Non possunt imò Hæretici non tolerati, eorumque fautores. 2. Apostatæ à fide Christiana. 3. Ex imperio proscripti, seu deportati. 4. Damnati ad mortem, metalla, vel triremes, perduelles, Rei criminis læsæ Majestatis, & eorum liberi. 5. Ordines religiosi bonorum temporalium in communi incapaces, ùt Capucinorum, & Minorum de observantia; quia tamen legata admittere possunt, modò non æquivaleant hæreditati, & immobilia distrahantur. 6. Religiosi professi in particulari intuitu sui; bene tamen intuitu ordinis capacis, de quo vide Laym. l. 3. tr. 5. La Croix L. 3. P. 2. N. 1153.

Quid de prole spuria? 7. Institui non possunt spurii, seu nati ex parentibus, qui tam tempore nativitatis, quàm conceptionis filii, conjuges esse non poterant ob impedimentum dirimens. Hi nec ab intestato, nec per testamentum succedere possunt etiam in partem hæreditatis seu maternæ, seu paternæ: imò nec donatione inter vivos, vel mortis causâ: aliis tamen non prohibentur per testamentum succedere. Potest quoque, & debet aliquid à parentibus iis relinqui ad honestam sustentationem secundùm conditionem suam, nec prohibetur pater filiæ spuriæ constituere dotem. Si tamen spurius aliunde alere se possit, ad alimenta non tenetur pater. Dixi: *Spurii*: nam filius naturalis, id est, natus à parentibus, qui tempore conceptionis, vel saltem nativitatis non habebant impedimen-

tum dirimens matrimonium, potest à suis parentibus, si legitimas proles non habeant, institui hæres universalis. Ex *L. Licet. C. de filiis naturalibus.* Si tamen carens prole legitimâ habeat ascendentem, vel ascendentes, jure communi debetur iis legitima, nisi in certo loco jus municipale aliud statuerit. Non succedit autem filius naturalis patri ab intestato, nisi in duabus unciis, seu sextâ parte hæreditatis, idque tantùm, si careat aliis liberis. Matri verò succedit tum ab intestato, tum ex testamento pari jure cum legitimis; patri prolem legitimam habenti per testamentum tantùm in uncia.

QUÆSTIO VI.

Quinam sint Hæredes ab intestato?

Resp. Hæredes ab intestato sunt, qui de 282.
jure succedunt defuncto, qui aut testamentum *Ante*
non fecit, aut fecit invalidum, vel ruptum fuit. *omnes*
Tales sunt *descen-*

1mò. Liberi legitimi, vel legitimati per sub- *dentes*
sequens matrimonium, qui succedunt æqualiter *legitimi*
suis parentibus; non verò legitimati per rescri- *&c.*
ptum Principis, nisi legitimati sint, antequam nati sint legitimi.

2. Si liberi omnes legitimi sint mortui, horum parentibus succedunt nepotes in capita; quia juxta Layman tunc succedunt vi propriæ conjunctionis secundùm Carolinam Spiræ anno 1519. editam, per quam cessat *Auth. C. de legitim. hæred.* Si autem unus, vel alter tantùm ex liberis sit mortuus, relictis proli-

bus, hæ succedunt in stirpes, id est, inter se dividunt portionem sui defuncti parentis.

3. Si desint tam nepotes, quàm filii, succedunt ascendentes, pater, & mater defuncti, vel avus, & avia. Quodsi unà cum patre, & matre, vel his deficientibus, unà cum avo, vel avia adsint fratres, aut sorores ex utraque parte conjuncti, succedunt hi cum illis æqualiter, & in capita.

4. Si tam ascendentes, quàm descendentes desint, succedunt fratres, & sorores ex utraque parte conjuncti æqualiter, & excludunt conjunctos ex solo patre, vel ex sola matre.

5. Si desint fratres, & sorores utrimque conjuncti, eorumque liberi legitimi, succedunt fratres, & sorores ex una tantùm parte conjuncti, sic tamen, ut conjuncti ex parte patris succedant in bona patris, & conjuncti ex parte matris, in bona matris, in reliqua verò æqualiter omnes. Uxor marito non succedit, nisi desint consanguinei ad 10. gradum. Plura vide apud Laym. hìc cap. 6. sub N. 6.

QUÆSTIO VII.

Qui sint Hæredes necessarii in testamento, seu quos Testator in eo instituere cogatur, si testari velit?

283. *Descendentes legitimi, & ascendentes.* Resp. Sunt descendentes legitimi, ac imò quidem liberi, & his deficientibus nepotes, his quoque deficientibus ascendentes, non autem fratres, & sorores: hinc etsi hi per testamentum ad hæreditatem non veniant, nihil possunt obtendere, nisi persona juris, & facti

facti infamiâ laborans hæres esset instituta, & ipsis nihil titulo institutionis esset relictum : hoc enim casu fratres & sorores agere possent querelâ inofficiosi testamenti, nisi uterini tantùm essent, vel ipsi infames, aut ingratitudine erga defunctum notati. Cæterùm si indigni non sint, & egeant, desintque hæredes necessarii, æquitas naturaliter postulat, ut pars aliqua iis à fratre, utì & à marito uxori relinquatur. Hæres necessarius etiam dicitur hæres suus, si tempore, quo mortuus est testator, fuit in ejus patria potestate, ut filius & filia, nepos & neptis ex filio, qui moriente patre, vel avo adhuc sunt in eorum patria potestate.

QUÆSTIO VIII.

Quæ sit portio legitima, hæredibus necessariis, ex hæreditate debita?

Nota. Tota hæreditas dicitur in jure as, & dividitur in 12. partes, seu uncias. Duæ unciæ dicuntur sextans, id est, sexta pars hæreditatis. Tres unciæ quadrans, id est, quarta ejus pars. Quatuor unciæ triens, seu tertia pars, quinque unciæ quincunx, sex unciæ semis, vel semissis, id est, medietas hæreditatis. Septem unciæ septunx ; octo unciæ bes, id est bis triens, seu duæ tertiæ hæreditatis, novem unciæ dodrans, decem unciæ dextans, undecim unciæ deunx, tota hæreditas as. Atque ex his patet, quid sit hæredem institui ex asse, triente, semisse &c. Hoc notato, 284. *Divisio hæreditatis in 12. partes.*

Resp. Portio legitima hæreditatis, Jure civili in testamento debita descendentibus, est 285. *Portio legitima*

 triens,

triens, seu tertia pars hæreditatis, si non plures quàm quatuor liberi seu masculi, seu fœminæ existant; si autem plures, quàm quatuor existant, est semissis, seu medietas hæreditatis; atque in hoc liberorum numero constituendus est etiam, qui hæreditati renuntiavit, non verò exhæredatus, aut professus in religione successionis incapace. Quod addo, quia si religio sit successionis capax, in eam religiosus per professionem velut mortem quandam omnia sua bona, & jura transfert. Proinde illa loco ejus succedit, salvo tamen jure aliorum hæredum. Si autem religiosus ante parentes suos moreretur, religio non succederet; tum quia viventis nulla est hæreditas; tum quia filius in religionem plus juris non transfert, quàm ipse habebat. Habuit autem tantùm jus ad hæreditatem, si parentes ante ipsum morerentur. Idem est de legitima.

Similiter legitima portio ascendentibus debita est triens, qui, ubi desunt descendentes testatoris, debetur parenti uni, vel utrique superstiti, si neuter superfit, in locum patris venit avus, & avia paterna, in locum matris, avus, & avia materna. Necesse autem est portionem legitimam relinqui titulo honorabili, seu sine onere, modo, conditione: aliàs habentur pro non adjectis. Neque habens liberos potest suæ legitimæ renuntiare. Hæc intelligenda sunt de bonis privatis, non de regnis, ducatibus, comitatibus, bonis feudalibus.

286. *Non teneantur parentes inter li-*

Atque ex his patet, non teneri parentes bona sua inter liberos æqualiter dividere, sed posse, salvâ tamen omnium legitimâ, uni ex justa causa plus dare, vel relinquere, quàm alteri,

alteri, ùt fit unus officiis suis, & operâ plus meritus esset, si magìs indigeret, si adhuc pusillus magnis sumptibus in studiis alendus esset, aut ex loci consuetudine primogeniti, vel masculi fœminis in successione præferantur. Peccarent tamen contra charitatem, si id facerent sine justa causa ex inordinato affectu: darent enim occasionem querelarum, dissensionum, &c. imò si accedente industriâ & labore se honestè alere non possent liberi portione legitimâ, plus tenerentur parentes, si id facultates ferant, relinquere; exigit enim pietas, ut parentes liberis, & hi parentibus provideant de alimentis necessariis; unde licèt possint legare aliqua piis causis, id tamen, consideratis circumstantiis, salvâ pietate in suos faciendum est, cùm & hi indigentes veniant nomine piæ causæ. Quodsi verò legitima excederet alimenta jure naturæ debita, posse patrem etiam in præjudicium legitimæ excessum impendere eleëmosynis, aliisque piis causis, docent Nav. Card. & alii apud La Croix hîc n. 812. quia jure naturæ tantùm debentur alimenta, & Jus civile disponere non potest in præjudicium causæ piæ. Sic carens liberis, & ascendentibus potest omnia bona dare pauperibus, etsi Jus civile donationem omnium bonorum reprobet, eò quòd adimat facultatem testandi.

heres sua æqualiter dividere

QUÆSTIO IX

Quos effectus in testamento habeat clausula codicillaris?

Resp. Si testamentum sit invalidum defectu solennitatis quoad hæredis institutionem, ei 287.

Habet varios.

ei tamen inserta fuerit clausula codicillaris, munita solennitate codicillo propriâ, hæc habet hos effectus:

1mò. Hæres ab intestato solvere tenetur legata.

2. Hæres ab intestato non necessarius, detractâ quartâ parte hæreditatis, seu trebellanica, tenetur reliqua tradere hæredi codicillari extraneo; quia dispositio vertitur in fidei commissoriam. Idem est, si hæres ab intestato necessarius esset, cum hoc discrimine, quòd hic possit detrahere legitimam, & trebellanicam.

3. Si testamentum sit nullum ob præteritionem, vel exhæreditationem injustam personæ ab intestato venientis, factam scienter à Testatore, legata, & fidei commissa ab hærede ab intestato præstanda sunt, & vertitur dispositio in fidei commissoriam; si autem Testator processisset ex ignorantia inculpabili hæredis necessarii, defectu voluntatis testamentum non valeret etiam quoad legata profana. Putat Molina etiam hoc casu hæredem necessarium gravari, ut detractâ legitimâ, hæreditatem restituat instituto. Porrò clausula codicillaris potest inseri testamento, vel expressè, v. g. si hæc dispositio non valeat, ut testamentum, volo, ut valeat tanquam codicillus; vel tacitè ac virtualiter, v. g. si hæc mea dispositio non valeat, ùt testamentum, volo, ut valeat modo meliori, quo potest. Hæc si non addantur, nec clausula codicillaris subintellecta præsumi possit, non valet testamentum ùt codicillus etiam; præsumitur autem subintellecta, si Testator voluit providere filio, vel personæ valde dilectæ, vel

jura-

juramento teſtamentum confirmavit, vel à ſe præſtito, vel ab hærede præſtando de ſervandis omnibus, quæ in eo continentur. Hæc omnia conſtant ex legibus citatis.

QUÆSTIO X.

Quibus caſibus legata profana in teſtamento profano invalido relicta ſubſiſtant in foro etiam externo?

Reſp. Etſi per ſe loquendo corruant, utpote innixa teſtamento invalido, ſubſiſtunt tamen 1mò, ſi appoſita fuerit clauſula codicillaris. 288. *Quinque caſibus.*

2. Si hæres ab inteſtato ipſemet audiverit voluntatem Teſtatoris, ac fateatur.

3. Si hæres ab inteſtato legatum jam ſolviſſet; quia præſumitur id feciſſe urgente conſcientiâ ob ſcientiam voluntatis defuncti.

4. Si hæredem fuiſſe præſentem defuncto ſciatur, & nolit juramentum ſibi delatum facere, quòd non ſciat de voluntate defuncti. Tunc enim ſolvere legata compellitur.

5. Legata facta in teſtamento invalido propter injuſtam præteritionem hæredis ab inteſtato ſcienter factam ex *Auth. Non licet Cod. de liberis præteritis*, ſubſiſtunt, ſi adjecta ſit clauſula codicillaris, uti jam dictum.

QUÆSTIO XI.

An, & à quo teſtamentum, & reliquæ ultimæ voluntates mutari, & revocari poſſint?

289. *A teſtatore vivente.*

Reſp. Revocari, & mutari poſſunt 1mò ab

ab ipso testatore vivente ; quia omnis voluntas ultima ex natura sua semper est revocabilis ante mortem : disponens enim non intendit se obligare firmiter , nisi dispositio morte ejus firmetur, ùt habet sensus communis omnium: quod & testatur Apost. *Hebr.* 9. Quodsi disponens jurato promiserit , quòd dispositionem suam non sit revocaturus, vel immutaturus, validè quidem revocat, vel immutat ; quia adhuc mansit dominus rerum suarum : non tamen licitè, tum quia juramento tenetur, ubi licitè servari potest ; tum quia promissio talis, etsi, ubi sine juramento est facta , sit irrita, illo tamen firmatur , seu illo accedente probabilius valida est secundùm dicta N. 154. Quodsi tamen gravis causa emergeret , v. g. graves rixæ, & inimicitiæ certò forent orituræ inter testatorem , & hæredem , promissio jurata etiam non obstaret , quominus ultima voluntas revocari posset ; quia juramentum, sicut actus , cui apponitur, involvit tacitam conditionem , nisi emergat causa rationabilis revocandi. Vide Lessium.

Quandoque à Papa.

2. Ultimas voluntates ad pias causas immutare potest Papa post mortem testatoris , si adsit justa causa ; quia est à Christo constitutus piarum causarum administrator ; ut possit disponere de iis , ùt exigit necessitas , & utilitas supernaturalis. Unde & censetur disponens de rebus suis in id consentire , modò adsit causa justa. An idem possit Episcopus controvertitur utrimque probabiliter, de quo vide La Croix L. 4. N. 841. 848. & Trid. Sess. 22. C. 6. de reformatione , ubi ait , mutationes illas non debere fieri, nisi ex justa, & necessaria causa.

3. Testa-

3. Testamenta, & legata profana supremus Princeps ob necessitatem, vel utilitatem publicam mutare potest sine tamen præjudicio tertii. Executor tamen, vel hæres ex testamento ultimas voluntates mutare non potest, si executioni dari possint. Vid. La Croix L. 3. P. 2. N. 1146.

QUÆSTIO XII.

Quæ sint obligationes, commoda, & privilegia hæredis tum ab intestato, tum per testamentum?

Resp. Hæres tam suus, in patria potestate defungentis constitutus, quàm non suus, ubi hæreditatem sibi delatam adiit, vel se illi immiscuit, quod utrique liberum est, non solùm omnia commoda, & jura defuncti in se transfert; sed etiam omnes reales ejus obligationes, & debita, ità, ut teneatur omnibus satisfacere, legata solvere, fidei commissa, totamque voluntatem defuncti implere. Interim hæc duo habet privilegia. 1mum est jus deliberandi per annum, an adire, aut repudiare velit hæreditatem, intra quem inquirere potest de viribus hæreditatis, & debitis, ne gravetur aditâ hæreditate ultra ejus vires. Secundum est jus conficiendi inventarium, quod, ubi hæreditatem ad se delatam cognoscit, incipere debet intra 30. dies, & inter alios 60. absolvere: hoc legitimè confecto non obligatur ultra vires hæreditatis etiam in foro externo; secùs, si inventarium non fecerit: quanquam hoc casu probabiliter in foro interno non teneatur; quia Jus civile probabiliter funda-

290. *Transfert in se commoda, & obligationes defuncti*

fundatur in præsumptione fraudis. Confecto inventario, seu legitimè annotatis bonis, juribus & debitis defuncti, potest solvere debita creditoribus, non attento Jure prælationis, modò bonâ fide procedat; Jus autem prælationis habens non ipsum, sed alios creditores convenire potest. Deinde potest servare sua Jura salva, quæ habuit contra defunctum, salvo tamen Jure prælationis. Deductis expensis pro funere, insinuatione testamenti, confectione inventarii, aliisque causis hæreditatis necessariis, potest sibi reservare quartam partem hæreditatis, & ne nomen hæredis inane gerat, si hæreditas sit ità gravata legatis profanis, aut fideicommissis, ut quarta pars ei non supersit, eam detrahere legatis, aliisque ultimæ voluntatis dispositionibus profanis; quod addo; quia legatis piis, & privilegiatis, seu ità relictis, ut non alienentur, sed ad successores transeant, nihil detrahitur. Hoc privilegio gaudet etiam hæres ab intestato succedens, & ità quidem, ut præter legitimam habeat quartam partem: quæ, si detrahatur legatis &c. dicitur *Falcidia* à Falcidio Tribuno, qui legem illam tulit; si detrahatur Fideicommisso, dicitur *Trebellanica* à Trebellio Consule Romano, qui legis illius est author. Consideranda autem est hæreditas, prout erat tempore mortis defuncti eam relinquentis. Si inventarium non fecerit, Falcidiam detrahere non potest. Porrò hæreditas defertur, quando aperitur testamentum, & satis constat, quis sit hæres. Hæreditas aditur, quando hæres verbis, vel factis v. g. solvendo legata &c. declarat, se admittere hæreditatem: quod si faciat, tota statim hæreditas (quæ objectivè spectata sunt bona,

& ju-

& jura defuncti ; formaliter verò est Jus succedendi incorporale & indivisibile) fit illius, non tamen mox res singulæ, ità ut ab alio detentas vindicare possit, sed per petitionem hæreditatis consequi debeat.

QUÆSTIO XIII.

Quæ observanda sint Hæredi circa solutionem Legatorum?

Resp. Sequentia. 1. Legatum purè debetur statim à morte testatoris, transmittiturque ad hæredes Legatarii, si hic moriatur, antequam hæres adeat hæreditatem ; relictum autem sub conditione, non debetur ante ejus impletionem. Si tamen conditio esset negativa, v. g. si non defecerit à Fide Catholica, statim peti posset, modò Legatarius præstet cautionem de re cum fructibus restituendâ, si conditionem non impleverit. 291. *A morte defuncti debentur statim legata absoluta.*

2. Si legata sit res determinata in individuo v. g hoc vas vini, hic ager transit in dominium Legatarii modo suprà dicto, eo ipso, quòd hæreditas adeatur ; non verò, si sit tantùm in quantitate determinata v. g. 20. modii tritici, 100. floreni : tunc enim acquiritur tantùm actio hypothecaria.

3. Si legatum pium, ad certam causam piam destinatum illi non possit impendi, expendi debet in alium pium usum priori similem, etsi testator dixisset, se nolle in alium usum expendi ; quia simpliciter voluit expendi in usum pium. Legatum autem profanum, si impleri non possit, redit ad hæreditatem.

4. Dum aliquid legatur pauperibus, intelliguntur etiam illi, qui spectato eorum statu, vere indigent. Si testator nullos expresserit, qui præferendi sint, congruum est, ut testatoris consanguinei præferantur extraneis, pauperes loci, ejus, & bonorum aliis peregrinis. Si hæreditas non sufficiat solvendis legatis piis, & profanis, Lugo de justitia d. 20. S. 5. citans Vasq. tenet, præsumendum esse, quod testator potius voluerit suæ saluti consulere, quàm aliis, qui sæpe ad fastum impendunt, aut dilapidant relicta; adeoque profanis potius quam legatis piis detrahendum esse Sanch. L. 4. mor. du. 11. censet omnibus proportionate esse detrahendum; quia par jus est omnibus.

QUÆSTIO XIV.

An, & quando valeat renuntiatio hæreditatis, vel pactum de ea in alium transferendâ?

Resp. Constabit ex sequentibus. 1mo. Si hæres necessarius juri successionis, seu hæreditati futuræ renuntiet nudè, vel toti, vel ex parte, ita ut bonorum parte v. g. dote, vel donatione propter nuptias velit esse contentus, irrita est renuntiatio per se loquendo. Ita statutum est jure civili propter bonum commune. Dixi 1mo. *Si renuntiet nudè* : nam si renuntiatio sit juramento firmata valida est ex cap. *Quamvis* de pactis in 6. quia juramentum, dum non vergit in æternæ salutis dispendium, nec redundat in alterius detrimentum injustum servandum est, sique aliis occasionaliter ex ea renuntiatione sequatur detrimentum non injustum, renuntiationi,

oni, juramento firmatæ, non obest: uti si filius cum juramento renuntiet, & alii, alioquin successuri, hæreditatem ejus non consequantur: non enim jus ad illam habent, nisi dependenter ab ejus voluntate: hinc si filius jurato renuntiet hæreditati maternæ, pater privatur eo ipso usufructu bonorum, quæ filio aliàs vi successionis obvenissent. Dixi 2do. *Per se loquendo*: nam valet renuntiatio etiam nuda, si quis in actu ipso testandi juri suæ successionis, vel post conditum testamentum, in quo præteritus est, sui præteritionem approbet, aut filius, vivente patre, acceptâ jam legitimâ, reliquæ hæreditati renuntiet. Porrò cùm renuntiatio, utpote repugnans juri communi, sit odiosa, adeóque strictæ interpretationis, eâ non obstante, potest filius, qui successioni seu ab intestato, seu ex testamento renuntiavit, à Patre institui, quia hic potest favori illi suo renuntiare, & obligationem etiam juratam remittere, etsi facta esset in favorem fratris. Item, si facta renuntiatione in favorem fratris, hic moriatur ante patrem; renuntians succedit in paterna hæreditate; quia causa renuntiationis cessat.

2do. Donatio, hypotheca, & universim omne pactum, circa hæreditatem alterius personæ certæ, adhuc viventis, sine ejus consensu factum in favorem privati, ipso facto, nisi constitutiones ordinis religiosi aliud ab ingressuro exigant, est irritum v.g. si Titius Cajo. hæreditatem, sibi à sempronio ab intestato, vel ex testamento obventuram sine consensu sempronii promittat, donet, aut alio quocumque modo obliget, pactum omni robore caret ex dispositione juris ob periculum captandæ mortis. Dixi 1mo. *Personæ certæ*: Nam, si persona non

determinetur, uti si v. g. dicatur: si quæ hæreditas mihi, dum vixero, delata fuerit, tua esto, valet renuntiatio, quia periculum captandæ mortis cessat. Dixi 2do. *Sine consensu ejus.* Si enim consentiat is; à quo exspectatur obventura, & in ea voluntate usque ad mortem perseveret, pactum morte confirmatur. Potest enim favori, principaliter pro se introducto, renuntiare; si autem consensum revocet pactum, etsi juratum corruit. Dixi 3tio. *Factum in favorem privati*: Nam si renuntiatio fiat in favorem communitatis, collegii, conventûs religiosi, subsistit, non requisito consensu ejus, à quo obveniet hæreditas; quia censetur cessare periculum captandæ mortis: *Quod enim*, ajunt jura, *collegio datur, cùm singulorum non sit, quasi nemini datur.* Et: *naturale est vitium negligi, quod communiter possidetur.*

3tio. Si novitius ordinis religiosi, excepta Societate Jesu) renuntiet, donet, vel quomodocunque obliget hæreditatem suam, vel bona etiam cum juramento, & in favorem cujuscunque causæ piæ, dispositio irrita est, nisi cum licentia Episcopi, sive ejus Vicarii intra duos menses proximos ante professionem facta sit. Imo & sic facta non sortitur effectum, nisi secuta professione. Et idem est, si parentes, vel cognati, aut curatores partem notabilem hæreditatis, aut bonorum novitii darent monasterio, in quo probatur. Ita statuit Trid. Sess. 25. Cap. 16. de Regularibus. Ratio ejus est, ne novitiis quædam imponatur profitendi necessitas, & hac occasione discedere nequeant, quod totam, vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile, si discedant recuperare possint. Hæc ratio ubi cessat, cessat quoque

dispo-

dispositionis irritatio; ubi verò reperitur dispositio nulla est, saltem facta à novitio.

Hinc 1mo: Valet donatio modica; quia non imponit necessitatem profitenti. 2. Valet renuntiatio per testamentum, donatio mortis causâ, codicillus, legatum, quia hæc ante professionem sunt revocabilia, nec jus tribuunt nisi secuta professione. 3. Valent contractus reciproci, quibus datur, & vicissim recipitur æquivalens, ut sunt contractus venditionis, locationis, permutationis, & mutui cum aliis, quam cum monasterio initus. 4. Non valet resignatio beneficii, utpote boni notabilis, nisi fiat cum consensu Episcopi intra duos menses proximos professioni, sique tum resignetur, non potest conferri alteri, nisi secuta professione resignantis. In Societate autem Jesu resignari non potest, nisi post completum biennium probationis, hoc autem completo statim resignandum est ante emissa vota religionis. 4. Nec valet renuntiatio intuitu religionis facta sub conditione, ut corruat, si professio non sequatur; quia, si renuntiata, vel donata semel à monasterio, vel consanguineis possideantur, non sine gravi molestia recuperantur. Dixi 1mo. *Si novitius*: Nam renuntiatio ante ingressum facta probabiliter decreto Tridentini non comprehenditur, uti videtur colligi ex connexione capitis 16. cum 15. Ubi Concilium constanter loquitur tantùm de novitiis. Opposita sententia, si ratio Concilii spectetur, videtur probabilior: nam alias libertati professionis non satis consuluisset, quod tamen intendit & loquitur absolutè. V. La Croix L. 3. P. 2. N. 1126. L. 4. n. 97. Dixi 2do. Exceptâ Societate Jesu: nam Concilium ejus Instituto noluit derogare. Quæ autem dispo-

sitio novitiis ejus liceat, aut incumbat, videre est apud La Croix l. cit. & apud Laym. L. 3. de justitia Tr. 5. cap. 7. à n. 9. de successione Regularium.



TRACTATUS III.

DE Injuriis, & Jure læso per Justitiam reparando, seu Restitutione.

CAPUT I.

De Injuria, & Restitutione in genere.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Injuria?

293. *Injuriæ definitio* RESp. Injuria est juris alieni violatio efficax. Dicitur 1. *Juris alieni* : puta strictè dicti, & propriè talis, ut injuria distinguatur à violatione debiti aliarum virtutum, & jurisdictionis, cujus læsio, ùt talis præcisè inobedientiam, non injuriam constituit. Dicitur 2. *Violatio juris alieni* : quia injuria non tollit jus alienum, sed tantùm vulnerat, vel lædit : si enim id tolleret, hoc ipso injuria non esset; quia rem nec in se, nec in æquivalenti relinqueret alteri obstrictam, consequenter detentio

tio illius injusta non esset : ùt, si Judex ob crimen reum exuat jure bonorum, non facit ei injuriam; sed qui inæqualitatem inducit, facitque, ut alter non habeat in bonis suis æquale juri suo. Dicitur 3. *Efficax* : quia, si voluntati lædendi non accedat actio effectivè violativa juris alieni, est quidem injustitia, non tamen injuria, nisi affectivè & minùs propriè talis, quæ secundùm dicenda obligationem restituendi non inducit. Ex quo patet, quòd omnis injuria sit injustitia, non tamen omnis actus injustitiæ sit propriè dicta injuria.

Resp. 2. Injuria dividitur in materialem, & formalem. Formalis subdividitur in directam & indirectam; gravem & levem. 294. *Divisio.*

1. Materialis est, quæ fit cum inculpabili ignorantia vel inadvertentia juris alieni : utì si quis alterius domum incenderet, omninò non advertens etiam ad periculum.

2. Formalis est, quæ fit cum advertentia juris alieni : ùt, si quis rem alienam destruat, satis advertens ad jus alienum, vel periculum id destruendi. Hinc dicitur libera alieni juris violatio formalis. Et hæc sola propriissimè injuria dicitur.

3. Injuria directa est actio, vel omissio intenta, ùt læsiva est juris alieni; indirecta verò est actio vel omissio, quæ quidem est læsiva formaliter juris alieni, sed non intenditur, ùt læsiva est, sed ex alio motivo, v. g. ob lucrum, vel ut damnificans habeat, quod lusui exponat, suis recreationibus impendat.

4. Injuria gravis est, quæ, spectatâ communi hominum complexione, de se apta est causare magnam contristationem, mutuamque dissolvere charitatem, vel, quæ ex natura rei est *Injuria gravis.*

dissolutiva amicitiæ. Levis verò est, quæ ex natura rei talis non est. Ità Esparsa, La Croix & alii. *Ratio est*; quia, cùm charitas sit princeps virtutum omnium finisque omnis præcepti, & vinculum, quo rectè se habet homo erga Deum, erga seipsum, & erga proximum, ut servetur ordo debitus in Repub. rationali, meritò dicitur injuria gravis, quæ de se ejus est dissolutiva; levis verò, quæ id non habet, sed ordinem necessarium inter membra Reip. relinquit incorruptum. Hæc regula est universalis; quia se extendit ad omnia bonorum genera, & passim homines non putant, gravem se injuriam aut intulisse, aut accepisse, nisi læsio sit talis, quæ ex se apta sit dissolvere mutuum charitatis vinculum. Est quoque regula omnium, quæ dari possit, maximè perspicua: sic enim quisque ex animi sui dispositione, si prudens est, poterit cognoscere, qualem injuriam non possit sine gravi noxa inferre alteri, si nempe recogitet, quomodo ipse perferret, si similem ab alio acciperet.

Dixi tamen: *Spectatâ communi hominum complexione*, vel: *ex natura sua*: nam si quis complexione delicatior, & bilis nimis succinctæ, vellet quamcunque injuriam levem reputare pro sufficienti causa mutuam dissolvendi benevolentiam; is ex passione potiùs, quàm ex prudenti ratione, & ob meritum actûs injuriosi agere censeretur, faceretque potiùs, quàm pateretur injuriam.



QUÆS-

QUÆSTIO II.

An ſcienti & conſentienti poſſit fieri Injuria?

Reſp. 1. Scienti & conſentienti liberè, ſpontaneè & efficaciter, valentique cedere jure ſuo, injuria fieri non poteſt. *Ratio eſt:* quia, qui ſic conſentiens cedit jure ſuo, nullum amplius jus habet, proinde nec id violari, eique injuria fieri poteſt. Antecedens conſtat; quia ſic conſentiendo abdicat jus ſuum, renuntiat legi faventi, quâ jus ejus partialiter conſtituitur, quâque deficiente, jus deſinit. 295. *Cedenti efficaciter jure ſuo non fit injuria.*

Dixi: *Conſentienti liberè, ſpontaneè & efficaciter:* nam ſi conſentiat vi, vel metu, aut neceſſitate adactus, ei adhuc fieri injuria poteſt. Sic ſi quis, metu intentatæ mortis adactus, porrigat pecuniam latroni, adhuc injuriâ afficitur: ſimiliter injuriam patitur, qui uſuras ſolvit uſurario: qui vel cogitur, & jam ſolutio non eſt ſpontanea; vel non cogitur, & jam tamen conſenſus non eſt efficax, ſed invalidus; nam eſſet conſenſus onerosus in nullo titulo fundatus, cùm mutuum non ſit vendibile, vel pretio æſtimabile ſecudùm dicta. *Nec obſtat*, quò Chriſtus Dominus ſponte ſubierit mortem, & Martyres nullatenus inviti eam toleraverint: & tamen paſſi ſint injuriam; nam licèt ità ſit, attamen non ideo renuntiârunt juri ſuo, quo etiam Martyres ſe abdicare non potuerunt, etſi complacuerint in morte pro Deo toleratâ, & per injuriam ſibi illatâ.

Reſp. 2. Scienti & conſentienti quomodocunque, quantum eſt de ſe, non valenti ta- 296. *Secùs, ſi*

jure suo nequeat cedere. men cedere juri suo, fit injuria, si contra jus ejus agatur. *Ratio est*; quia, si jure suo cedere non possit, consensus ejus nullus est; proinde jus manet, agensque contra illud facit ei injuriam. Sic injuriam facit 1. Qui pupillo, infantiæ proximo, etsi consentienti, damnum infert; quia consensus ejus jure civili nullus est. Idem dic de minore, & pupillo pubertati proximo in casibus, quibus jus positivum eorum dispositionem irritat. 2. Injuriam facit, qui occidit consentientem in suî occisionem, eamque petentem. 3. Qui percutit Clericum, etsi non invitum: quamvis enim percussio illi tunc violenta non sit, est tamen injuriosa statui Clericali, in cujus favorem prohibita est, utì habetur *Cap. 36. de Sent. Excom.* 4. Qui carnaliter peccat cum aliena uxore, consentiente marito. *Ratio est*; quia jura illa sunt inabdicabilia, jusque mariti in corpus uxoris in ordine ad generationem prolis personale est, competensque marito privativè, atque ab ipso inabdicabile, & tam secundùm se, quàm quoad usum intransferibile in alium, ùt habet communis contra Less. & Lugonem, Qui etsi concedant jus radicale, quod per contractum Matrimonii acquiritur, esse indissolubile, & inabdicabile, non tamen usum uxoris: hinc si maritus illam alteri concedat sponte, ajunt, eum non pati injuriam, & alterum peccare quidem contra castitatem, bonumque Matrimonii, & reverentiam Sacramenti, esseque adulterium, non tamen peccare contra Justitiam, cujus violationem putant non requiri ad adulterium. Verùm alii communissimè contradicunt: sicut enim pupillus nullam alteri facultatem rebus suis utendi concedere validè

dè potest sine consensu tutoris: sic maritus nullam etiam facultatem utendi uxore suâ, concedere validè potest alteri; quia jure divino & naturali cessio illa irrita est, & ex natura Matrimonii jus copulæ, & usus corporis essentialiter conjugibus adhæret. Atque hoc sensu passim intelligitur damnata propositio 50. ab Innocentio XI. quæ sic habet: *Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium.* Cæterùm maritus consentiens sponte, queri non potest de dedecore, censeturque condonare injuriæ reparationem. Ex his patet, beneficium semel concessum posse perseverare apud nolentem, si simul cedat in favorem tertii, & in bonum commune, legemque favere quandoque nolenti.

QUÆSTIO III.

Quid sit Restitutio, & quæ ejus necessitas?

Resp. 1. Restitutio, strictè accepta, est juris alieni læsi reparatio. Hæc dicitur restitutio; quia per eam pars læsa in jus suum reponitur, seu restituitur, ùt erat ante, quàm læderetur, sicque injuria à lædente quasi aboleretur, ac si non fuisset: & hinc etiam dicitur Juris alieni activi ad æqualitatem Juris passivi lædentis reductio. 297. *Definitio.*

Dixi: *Restitutio, stricte accepta:* nam vi nominis venit reductio rei in statum pristinum, sive illa per injuriam, sive alio modo fuerit ex illo emota: hìc autem accipitur pro reparatione damni injustè, & per injuriam illati. Hinc præsupponit injuriam vel formalem

lem, vel ſaltem materialem. Unde differt 1mò à conſervatione Juris alieni, cùm ſcilicet quis non lædit Jus alienum, quod fieri poteſt ex motivo Juſtitiæ, vel alio. 2. Differt à ſatisfactione latiſſimè acceptâ, quæ eſt debiti ſolutio à quacunque virtute proveniens. 3. A ſatisfactione ſtrictiùs acceptâ, quæ eſt quæcunque ſolutio ex Juſtitiâ debita: ùt eſt redditio mutui, debiti, pignoris, quæ fit ſine reparatione Juris læſi, & alio nomine dicitur redhibitio. 4. Differt à ſatisfactione ſtrictiſſimè dictâ, quæ eſt exhibitio obſequii, & ſubmiſſionis, quæ rationabiliter placat offenſum: unde perſonam offenſam præcipuè reſpicit, & exigitur etiam, cùm damnum eſt compenſatum, vel irreparabile: reſtitutio autem magìs reſpicit reſtaurationem injuriæ realis reparabilis, damnique nondum compenſati. Hæc tamen quandoque confunduntur.

298. *Reſtitutio eſt neceſſaria neceſſitate præcepti* Reſp. 2. Reſtitutio in materia gravi eſt ad ſalutem neceſſaria neceſſitate præcepti naturalis & divini, non tamen neceſſitate medii. *Ratio 1mæ partis eſt*; quia voluntaria omiſſio reſtitutionis eſt continuatio injuriæ: hæc autem lege divinâ & naturali non minùs prohibetur, quàm ejùs illatio, ùt per ſe patet; ergo reſtitutio in re gravi eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate præcepti naturalis & divini: *Non furtum facies*. Et Ratio à priori eſt; quia manet inæqualitas inter Jus activum læſi & paſſivum lædentis, uſque dum ſit facta reſtitutio, & ad æqualitatem Jura reducantur. Hinc motivum Juſtitiæ urgere pergit, v. g. ſi Petro furatus es equum, peccâſti contra Juſtitiam, inducendo inæqualitatem inter res tuas & res Petri: quod ſi jam porro equum retineres,

heres, adhuc relinquis inæqualitatem habendo plus in rebus tuis, quàm respondeat Juri tuo; Petro habente minus. Ad illam autem inæqualitatem auferendam movere pergit lex Justitiæ, ut ejus objecto formali, seu honestati speciali satisfacias. Quodsi nihil habes rei alienæ, v. g. quia rem non abstulisti, sed destruxisti, jam res tuæ illi, saltem mediatè, cœperunt esse devinctæ, ut ipsi restituas respondens Juri suo. Et hinc dicitur: *Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Estque hoc speciale Justitiæ, non verò commune cæteris virtutibus, v. g. charitati, pietati, obedientiæ &c. Nam si contra charitatem aliquem in gravi sua necessitate juvare neglexisti, peccâsti quidem, non teneris tamen restituere quidquam: vel enim cessat necessitas, & jam cessat charitas obligare; vel non cessat, & jam quidem teneris succurrere, sed non vi culpæ præteritæ; verùm ob necessitatem perseverantem, ùt explicat Lugo *de Jure* Disp. 1. num. 52.

Ratio 2dæ partis est; quia hoc solùm est necessarium necessitate medii ad salutem, quod est medium à Deo ordinatum ad causandam primam gratiam, adeoque sine quo gratia nullo modo etiam ab invincibiliter ignorante obtineri potest; tale quid autem non est restitutio; cùm solùm removeat peccatum, possitque salus sine illa obtineri, si nempe invincibiliter ignoretur, rem esse alienam, aut hoc sciens non possit restituere. *Ex dictis* *Non tamen necessitate medii.*

Colliges: Præceptum restituendi est aliquo respectu affirmativum, & aliquo negativum. Affirmativum quidem, quatenus pro fine primario habet actionem aliquam ponendam, 299. *Præceptum restitutio-*

v. g.

nis est tum negativū tum affirmativum. v. g. pro fama aliena per detractionem læsa reparanda; ad damnum, proximo illatum per rei destructionem, compensandum. Negativum verò, quatenus pro fine habet omissionem, & dicit v. g. Judicium temerarium læsivum famæ proximi non continuandum, domum injustè occupatam, pecus injustè detentum non detinendum. Alii dicunt, esse radicaliter negativum, quatenus jubet non continuare damnum, & formaliter affirmativum, quatenus jubet damna reparare. Et idem est de præcepto Justitiæ intendentis conservare jus alterius: aliquando enim præcipit: aliquando vetat actionem. Obligant autem hæc præcepta pro quantitate materiæ; ne aut injuria inferatur, aut ut illata non continuetur. Ut his præceptis satisfiat, non esse necesse operari ex motivo Justitiæ, dixi P. 1. n. 180.

QUÆSTIO IV.

Quæ sint radices, seu tituli, ex quibus oritur obligatio restituendi?

300. *Res aliena, & injusta damnificatio.* Resp. Radices obligationis restituendi ex communi TT. cum D. Thoma 2. 2. q. 62. a. 6. sunt duæ: Prima est: Res accepta, seu aliena, apud alium existens vel in se, vel in æquivalenti. Hoc ipso enim, quòd res apud alium, invito domino, existat, jam est inæqualitas; quia dominus non habet correspondens æquale juri suo; sed minùs, quàm ei debetur: unde dicitur: *Res clamat ad dominum suum.* Et: *Non debet aliquis locupletari cum alterius injuriâ, vel jacturâ.* 2da est: injusta acceptio, id est, injusta formaliter rei alienæ subductio,

ductio, vel detentio, vel damnificatio, seu destructio totalis, vel partialis, aut utilitatis impeditio, &c. His enim modis inducitur iterum inæqualitas, quam aversatur Justitia tanquam motivo suo oppositam. Ex utraque hac radice sufficit quælibet seorsim ad inducendam obligationem restitutionis; potest tamen utraque esse simul: nam si rem proximi bonâ fide possides, teneris ex titulo solo rei alienæ, ubi esse alienam comperis, restituere; si eam cum culpa destruxisti, v. g. alienam domum combussisti, teneris restituere damnum ex solo titulo injustæ damnificationis; quia iniquitas nocere debet suo authori, & non innocenti, postulatque æquitas, ut, si nihil de re supersit, rem propriam tradas damnum passo ad usum, & fructum. Si rem v. g. equum alienum furto subduxisti, eumque adhuc in se, vel æquivalenti habes, teneris ad restitutionem ex re accepta, & injusta acceptione.

Dixi: *Ex communiore TT. sunt duæ radices restitutionis:* nam quibusdam placet radix triplex; nempe: res accepta, injusta acceptio, & contractus. Ab aliis statuuntur quinque, scilicet: 1ma: Res accepta. 2. Injusta acceptio. 3. Injusta damnificatio. 4. Contractus. 5. Lex positiva: nam si explicitè, vel implicitè conventum sit, ut alterum conserves indemnem ex contractu, ad id teneris, v. g. si Titio vendidisti bonâ fide equum alienum, putans esse tuum, & dominus equi dein compareat, equumque evincat, teneris emptori ad expensas; quia implicitè te obligâsti ad præstandam securitatem, & tu alieni nihil habes præter pretium, nec culpam admisisti. Leges quoque statuunt, ut in quibusdam casibus restituas, etsi

etsi nec injustitia, nec contractus intervenerit: ùt, si animal tuum occidat animal alterius: verùm in his casibus potiùs est solutio, quàm propriè dicta restitutio, quæ injuriam vel formalem vel materialem præsupponit. Deinde quinque illæ radices commodè reduci possunt ad duas suprà assignatas: nam injusta damnificatio est quædam acceptio, & subtractio rei alienæ, & obligatio restituendi, proveniens ex contractu, & lege positivâ, imponitur ob læsionem injustam cavendam, vel præsumptam; proinde dici potest radix restitutionis res accepta, & injusta damnificatio facta, vel præsumpta seu pro præterito, seu pro futuro.

QUÆSTIO V.

Quæ sit mensura, & discrimen obligationis restituendi, ortæ ex re aliena, & injusta acceptione?

Resp. Mensura restitutionis faciendæ, ti-
301. tulo rei acceptæ, est quantitas possessionis, id est, ut tantum restituas, quantum possides ex re aliena vel in se, vel in æquivalenti, seu quantum factus es ditior. Mensura autem faciendæ restitutionis, titulo injustæ acceptionis, est quantitas damni illati: ut nempe tantum restituas, quantum alter ex tua damnificatione formaliter injustâ, læsus est, seu ut alterum serves indemnem. Unde discrimen patet inter utramque obligationem: nam, qui tenetur tantùm ex re alienâ, bonâ fide possessâ; is, si res casu, vel aliter sine culpa possessoris pereat, ità, ut nec æquivalenter existat, ultra ad nihil tene-

Quantitas rei possessæ, & quantitas damni.

tene-

tenetur, sed cessat obligatio; nec tenetur ad fructus, nisi in se, vel æquivalenter exstantes; nec ad damna, vel lucrum cessans. At verò, qui tenetur ex injusta damnificatione, tenetur non tantùm ad rem, sed etiam ad fructus omnes perceptos, & quos dominus percepturus fuisset, ad damna secuta, & lucrum cessans; nec cessat obligatio donec damnificatus sit restitutus in eum statum, in quo fuisset, si nulla ei fuisset facta injuria; nisi emergat causa excusans. Sed hæc uberiùs in seqq. declarabuntur.

CAPUT II.

De Obligatione restituendi titulo rei acceptæ, seu alienæ.

QUÆSTIO I.

Quid possidens bonâ fide rem alienam teneatur, & quid possit, domino rei comparente?

RESP. Tenetur 1mò rem existentem, nondum præscriptam, restituere in individuo, quamprimum commodè potest; quia sine læsione Justitiæ res aliena, invito domino, retineri non potest, sed in individuo domini est, nec is cogi potest, ut eam cum alia permutet. Unde, sicut non licet rem alienam auferre, & aliam ipsi, etsi æquivalentem, substituere: sic nec licet aliam pro ea restituere, nisi res esset pecunia numero tantùm diversa, aut alia res fungibilis, in qua numerica diversitas non 302. *Res in individuo restituenda est.*

censeatur inducere inæqualitatem: tum enim affectio Domini ad illam numero rem, vel pecuniam esset irrationabilis. Secùs esset, si pecunia, vel res non esset omninò similis: ùt si pro auro redderetur argentum, aut aurum physicè vilius: tunc enim Dominus posset esse rationabiliter invitus. Si tamen res in se non possit restitui sine gravi incommodo possessoris, v. gr. si fur haberetur, satisfaceret reddendo aliam æquivalentem.

303. *Si res non existat amplius in se, valor adhuc existens restituendus est.*

2. Si res non existat in se, existat tamen in æquivalenti, vel tota, vel ex parte; tenetur restituere, quantum de valore rei apud ipsum adhuc existit, seu quantùm ex ea factus est ditior: aliàs esset ditior ex alieno detrimento, quod repugnat naturali æquitati: utì, si rei alienæ venditæ adhuc habet pretium, aut si eam consumendo pepercisset suis. Dixi autem: *Quantum de valore rei adhuc existit*: nam qui v. g. utendo alienâ veste pepercit suæ meliori, qui consumendo vas vini alieni vilioris pepercit suo præstantiori, non tenetur ad totum pretium rei suæ melioris, sed tantùm ad æquivalens rei alienæ; cùm excessus rei propriæ non sit valor rei alienæ, sed propriæ. Econtra si res nec in se, nec in æquivalenti existat, ad nihil tenetur, utì si lautiùs vivendo ob possessionem ejus, illam consumpsit non parcendo suis; si res casu vel etiam ex culpa possessoris bonæ fidei periit; quia tunc nec ex re, nec ex injuria tenetur.

304. *Fructus naturales sunt omnes restituendi.*

3. Tenetur restituere fructus rei naturales necdum præscriptos, ex re perceptos; quia res fructificat suo Domino: hocque verum est, etsi apud Dominum non fructificâsset. Sunt autem fructus naturales, qui ex re sua sponte,

vel

vel sine singulari humana industria proveniunt, ùt fœtus animalium, lana ovium, fructus arborum, herbæ, & fœnum pratorum, &c.

Fructus autem mixtos restituere tenetur, secundùm quod respondent naturæ rei frugiferæ, quales sunt, ad quos natura rei, & industria humana notabiliter, aut æqualiter ferè concurrunt, ùt sunt segetes in agris, vinum ex vinea, &c. *Ratio est;* quia quatenus naturæ respondent, sunt naturales. Econtra non tenetur restituere merè industriales, nec mixtos, quatenus industriæ respondent; quia sunt partus industriæ: Proinde, ùt naturales naturam, sic industriales industriam sequi convenit. Dixi: *Fructus perceptos, nondum præscriptos:* quia si nulli sint percepti etiam ex negligentia, nulla est obligatio restituendi; cùm injuria non intervenerit, nec res existat: si autem jam sint præscripti, non ampliùs sunt alieni.

Mixti ex parte, non tamen merè industriales.

305. Porro fructibus annumerantur pretia rerum elocatarum, pensiones pecuniariæ, mercedes, salaria, &c. qui fructus civiles dicuntur, quorum aliqui naturalibus, alii mixtis, alii industrialibus accensentur, prout major, vel minor industria ad eos percipiendos impendenda est. Fructus mixti à quibusdam dicuntur naturales.

Fructus civiles qui?

306. Resp. 2. Ubi restituendi sunt fructus, vel res, potest possessor bonæ fidei deducere 1mò valorem sui laboris. 2. Expensas utiles & necessarias, quas fecit in rem, vel fructus restituendos; ità tamen, ut plus non deducatur, quàm labor & expensæ valeant; nec plus, quàm Dominus ex iis utilitatis percipiat. *Ratio est;* quia per expensas necessarias res con-

Deduci possunt expensæ necessariæ, & utiles.

servatur, ne pereat, aut deterioretur, per utiles autem fit aptior ad fructus proferendos. Proinde si Dominus velit rem sibi & fructus restitui, debet ferre expensas; aliàs sentiret commodum ex alieno sine titulo, haberetque plus rei in bonis suis, & alter minus, quàm juris: unde fructus non habent rationem fructuum, nisi deductis expensis. 3. Potest deducere melioramenta extrinseca, id est, quæ rei extrinsecè adhærent, possuntque ab ea separari commodè, salvâ ejus substantiâ; ùt sunt picturæ, quibus ornata est domus, aliaque ornamenta, quæ possessoris operâ rei accesserunt. Item fenestræ, januæ, domuncula mobilis, fundo alieno imposita. *Ratio est*: quia titulo accessionis cùm in rem non transeant, non acquiruntur rei Domino, nec huic fructificant; sed manent possessoris, qui tollere illa potest, aut si Dominus malit ea retinere, ab eo exigere totum illorum valorem.

Econtra non potest deducere in se melioramenta intrinseca, quæ quasi in rem transeunt, eamque efficiunt meliorem, ut ab ea commodè separari non possint: ùt sunt v. g. implantatæ arbores in fundo jam radicatæ, melioratio per fimum; quia transierunt in rem, & dominium Domini, proinde illi fructificant. Dixi: *In se*: nam laborem & expensas in ea domino utiles, aliunde non compensatas deducere seu petere nihil vetat. V. n. 330. Similiter deducere non potest expensas voluntarias purè, quæ & voluptuariæ dicuntur: quales sunt, quæ tantùm fiunt ob delicias, & ornamentum, ùt, quæ impenduntur statuis, picturis, fontibus artificiosis, quibus licèt res fiat pretiosior, & æstimabilior, non tamen fructuosior. Imò quandoque utilitas impeditur: unde ratio non est, cur illas expensas ferre debeat Do-

Dominus, nisi fortè in eum redundaret utilitas; cùm cogi non possit, ut emat ornatum illum. Unde possessor, si ornatus sit amovibilis, potest quidem eum tollere; secùs, non potest. Si tamen utilis esset, posset exigere aliquid pro rata utilitatis. Inter expensas non computantur casus fortuiti, nec damna per accidens causata: ùt si ob labores in agro colendo perdidisses tuos equos; quia non habent rationem sumptus.

Dixi: *Potest deducere expensas, ita tamen &c.* Nam attendi non debet augmentum valoris, quod inde res accipit, habetque nunc dum restitui debet; quia valor ille totus accrevit Domino: sed sola quantitas expensarum, quæ factæ reipsâ sunt, quæ si augmentum valoris non excedant, non tenetur Dominus ad earum compensationem, nisi in quantum pro tunc meliorata res ejus invenitur: in tantum enim solùm sunt utiles. Quòd autem tunc possessor, si expensas majores fecit, damnum patiatur, casui imputari debet: cùmque alteruter damnum pati debeat; sumptus autem possessori sint magìs voluntarii, hic potiùs, quàm Dominus ferre damnum debet. Si autem sint minores, v. g. si possessor impendit 10 tantùm imperiales, & fructus inde ideo uberiùs provenientes tunc valeant 20. poterit pro suis expensis tantùm 10. deducere: si verò tunc non nisi 5. valeant, nec nisi 5. poterit deducere. Sed neque potest quascunque expensas deducere, sed solùm collatas in rem vel fructus, quos restituit; quia ex his solis Dominus emolumentum habet: hinc nihil potest deducere de expensis pro fructibus merè industrialibus, nec pro mixtis, in quantum respondent industriæ, nec pro naturalibus bonâ fide consumptis, si nihil horum æquivalenter existat;

307. *Pro ratione tamen utilitatis tantùm.*

 quia

quia ex his nulla utilitas obveniet Domino, quæ hìc attendi debet. Vid. La Croix L. 3. p. 2. n. 229.

QUÆSTIO II.

Adquid teneatur, aut quid possit, quì bonâ fide rem furtivam possidet titulo emptionis, donationis, &c.

Resp. 1mò. Qui bonâ fide, titulo donatio-
308. nis, vel alio gratuito, possidet rem furtivam, tenetur Domino comparenti eam restituere cum fructibus, si quos fecit, conformiter dictis.

Per se loquendo est restituenda domino, non autem furi

2. Si eam habet titulo emptionis, tenetur pariter Domino, eam repetenti, ipsam reddere etiam cum jactura sui pretii, non verò potest reddere furi pro recuperando pretio; quia Dominus jus habet, ut res sua sibi, eam repetenti restituatur, ubicunque existat.

3. Si Dominus rem non repetat, sciatur tamen, cujus sit, tunc si certum sit, quòd fur eam sit redditurus, & hic infamiam pateretur, si possessor eam redderet, potest reddi furi: tunc enim Dominus non potest esse rationabiliter invitus, saltem si emptor aliter non possit recuperare pretium.

4. Si non possit pretium recipere, nisi furi permittat, ut rem iterum habeat; potest, ubi Dominus rem non repetiit, id permittere; quia innocens non tenetur rem alienam cum suo tanto damno defendere: Excipe, nisi pretium esset leve, & res magni momenti.

5. Si Dominus nec rem repetat, nec emptor possit recipere pretium, nisi rem furi reddat, à quo prævidet non reddendam, probabi-

babiliùs non potest eam furi reddere ; ità Molin. Laym. aliique multi contra Less. Lug. aliosque multos.

Ratio est 1mò. Res per emptionem extracta à fure jam acquisivit statum meliorem, qui ad rem ipsam pertinet, consequenter ad rei dominum ; ergo huic facit injuriam, qui reddendo eam furi de statu illo dejicit, & ponit in deteriori apud furem, qui prævidetur eam non redditurus ; sicut injuriam facerem, si rem alienam extraxissem ex incendio, & eam iterum injicerem, ne damnum æquale pateter mihi imminens à Titio, nisi rursus injicerem ; aut si volenti alienam domum incendere porrigerem ignem, ne meam incendat. Nec verum est, quòd fur habeat jus absolutum recipiendi rem, ut possit restituere ; nam habet tantum Jus conditionatum, & pro circumstantiis, in quibus judicatur prudenter redditurus, & Dominus aliter non esset recepturus. 2. Volenti mihi furari 100. non possum aperire cistam, ut possit furari 100. alterius, apud me existentes ; ergo à pari : est enim ex utroque casu cooperatio positiva. 3. Possessor non potest furi rem reddere, si Dominus eam repetat ; ergo nec, licèt non repetat ; quia in utroque casu est idem Jus. 4. Emptor malæ fidei non potest rem furi reddere, ùt fatentur plures Adversarii, ergo nec emptor bonæ fidei : si enim emptor malæ fidei rescindat venditionem, aut ostendat fuisse nullam, reddendo furi, plus damni non causat, quàm si redderet emptam bonâ fide. 5. Res in illo statu debetur Domino, ergo illi reddenda est.

Si dicas, qui invenit rem alienam, potest eam reponere in priorem locum, si æquale

damnum sibi imminens aliàs non posset evitare; ergo à pari. R. N. consequentiam. In priori casu non suam, sed Domini utilitatem quæsivit, in posteriori emptor quæsivit suam: unde Dominus non potest in priori casu rationabiliter esse invitus. Item in priori esset damnum ferendum in bonis adhuc possessis, in posteriori damnum jam factum est: unde est dispar ratio. Patet in exemplo: nam si domus tua jam esset incensa, & combusta, & pro ea ædificanda non posses habere pecuniam, nisi rem alienam apud te existentem manifesto exponeres periculo, & in priorem locum reponeres, ex quo non speretur ad Dominum reditura: hoc tibi non liceret; posses autem reponere, si aliàs domus tua esset comburenda.

Nec dicas iterum: Si furi eripuissem tuum librum,& ipse eriperet mihi meum,non redditurus, nisi ipsi tuum redderem, possem illi tuum reddere: nam id verum est; quia egissem utiliter rem tuam,nec posses esse invitus rationabiliter, quòd servarem meũ potiùs, quàm tuum æqualis bonitatis.

109. *Sententia opposita.* Opposita tamen sententia non est improbabilis; quia Dominus rei non videtur posse rationabiliter esse invitus, ut emptor bonæ fidei servet se potiùs indemnem, cùm non reponat rem in statum deteriorem, quàm fuit ante venditionem,& statum meliorem per ipsum acquisiverit, furique liberum sit, eam reddere, adeoque moraliter potiùs permittat relabi in statum pejorem, quàm ipse reponat; secùs, ac si rem alienam incendio ereptam rejiceret in ignem, causam necessariam combustionis.

Nec obstat exemplum pro ratione 2da, quia si aperirem cistam, alienam pecuniam cooperando extraherem de secura possessione Domini

mini: dum res est apud emptorem bonæ fidei, est extra possessionem Domini, ponitur que, dum furi redditur, in via, ut ad Dominum redeat. Quodsi res esset recepta titulo depositi, jam ex contractu esset alia obligatio.

Nec obstat ratio 3tia. Quia repetens rem suam jus habet, ne quis ei obsistat in re sua vindicanda.

Nec obstat ratio 4ta. Quia emptor malæ fidei tenetur ex culpa, & concurrit ad damnum; ergo rem apud se existentem tenetur reddere, & Dominus meritò est invitus, si reddatur furi. Sed hanc responsionem rejicit Lugo, tenetque, etiam emptorem malæ fidei posse rem furi reddere in casu præsentis controversiæ. Quidquid sit de hoc, certum est, quòd possessor rei alienæ, per se loquendo, teneatur eam restituere; ergo ei probandum est, quòd titulo pretii s[illegible]cuperandi possit eam furi reddere, nec Dominus possit esse rationabiliter invitus, quòd eo modo pretium suum recuperet. Cætera de re furtiva habentur N. 70. & 110. Cui restituendæ sunt res inventæ, dixi à N. 68.

QUÆSTIO III.

An possessor bonæ fidei fructus ex re aliena, titulo singulari, v. g. donationis, emptionis, possessâ ante litis contestationem perceptos, tantùm in æquivalenti existentes, teneatur restituere Domino comparenti?

Resp. Tenetur omnes, non præscriptos, re-

310. *Sententia affirmativa longe probabilior.* stituere: ità T. T. communissimè, pluresque Canonistæ, præsertim antiqui contra Hau. Illsung, Pichler, & alios Canonistas modernos, quorum sententia plerisque videtur probabilis: vide Dicast. D. 1. à N. 38. ubi hanc quæst. accuratè tractat. Less. L. 2. C. 14.

Probatur 1mò ratione: certum est eos fructus jure naturæ esse restituendos; nam, ùt habetur *L. Nam ad hoc ff. de conductione indebiti. Lege naturæ æquum est, neminem cum alterius damno fieri locupletiorem. Et Reg. Juris 48. in 6. locupletari non debet aliquis cum aliena jactura.* Jam verò incertum est, an lex positiva in tantùm derogârit legi naturæ, ut dominium ejusmodi fructuum in possessorem bonæ fidei transtulerit; ergo standum est jure naturæ: hoc enim à possessione per jus incertum excludi non debet, præsertim cùm leges jus naturæ restringentes sint odiosæ, adeoque strictè interpretandæ, nec jus naturæ censeatur restrictum per jus positivum, nisi id clarè probetur, quod ab Adversariis non fit.

Probatur 2dò. Ex Jure civili; nam 1mò. *L. Certum 22. C. de rei vind. habetur: certum est, malæ fidei possessorem omnes fructus solere cum ipsa re præstare, bonæ fidei verò exstantes; post litis verò contestationem universos.* Deinde *L. Bonæ fidei ff. de acquir. rerum dominio Bonæ fidei emptor non dubie percipiendo fructus etiam ex re aliena, suos interim facit non tantùm eos, qui diligentiâ & operâ ejus proveniunt, sed omnes; quia, quod ad fructus attinet, loco Domini pene est.* Ubi particula *interim* & *pene* ostendit, quod stabile eorum dominium non acquirat, quod & ex eo confirmatur, quia loquitur lex de om-

nibus fructibus, fructuum autem formaliter & in se existentium dominium stabile juxta neminem acquirit. Denique *L. Sed etsi.* §. *Consuluit. ff. de hæreditatis petitione.* hæc habentur: *Consuluit senatus bonæ fidei possessoribus, ne in totum damno afficiantur; sed in id duntaxat teneantur, in quo locupletiores facti sunt.* Vi hujus legis in judicio universali, seu quando simul plures res petuntur, ùt cùm petitur hæreditas; juxta adversarios fructus etiam tantùm in æquivalenti extantes sunt restituendi, ergo etiam percepti ex re singulari: nam §. *Etsi* 3. *Instit. de officio Judicis.* dicitur: *Si hæreditas petita sit, eadem circa fructus interveniunt, quæ diximus intervenire de singularium rerum petitione:* Nec juvat dicere, quòd fructus hæreditaris augeant ipsam, sicque sint in patrimonio hæredis; nam fructus ex re singulari provenientes augent possessa ab alio domini bona non minùs, quàm possessam ab alio hæreditatem.

Probatur 3. Leges, quas pro se citant Adversarii, non probant fructus illos esse possessoris, & legi naturali derogatum esse. Nam 1mò lex §. *Etsi hæreditas. Inst. de officio Judicis:* dicens, quòd in possessore bonæ fidei non sit habenda ratio fructuum consumptorum, & non perceptorum, intelligenda est de omninò consumptis, itàut nec æquivalenter existant: aliàs ex hæreditate percepti, & consumpti, æquivalenter tamen existentes non essent restituendi, quod nemo dicet.

2. Lex §. *Si quis a non Domino. Inst. de rerum divisione.* asserens: *naturali ratione placuit fructus, quos percepit* (bonæ fidei possessor) *ejus esse pro cultura, & cura,* intelligenda

genda est de fructibus consumptis, in quantum respondent culturæ, & curæ, veniuntque in hujus compensationem; an verò, quatenus culturam, & curam excedunt, eatenus enim non veniunt in compensationem curæ & culturæ, proin nec pro ea relinquuntur, sicut pro re non datur, quod ejus valorem superat. *Nec obstat*, quòd eadem lex dicat: *Ideo, si Dominus postea supervenerit, de fructibus consumptis agere non potest.* Nam si lex, ùt jacet, intelligenda est, nec de fructibus verè existentibus agere poterit; quia lex universim dicit, fructus perceptos illius esse: vult itaque lex, ut habeat dominium infirmum in rei fructibus, ut possit deducere expensas, & pretium sui laboris, & de iis, quæ culturæ impendit, restituendis agi non posse; & quamvis hi non sint fructus, si comparentur spectatis omnibus; quia ad fructus non pertinet, nisi quod superest deductis expensis; comparativè tamen ad rem, ex qua proveniunt, verè sunt fructus.

3. Lex *Scilicet* 4. §. 2. *ff. Finium regundorum.* dicens: *Fructus ante judicium percepti non omninò in judicium veniant: aut enim bonâ fide percepit, & lucrari eum oportet, si omnes consumpsit; aut malâ fide, & condici oportet.* Intelligenda est, quòd non debeat restituere fructus omninò consumptos, secùs ac possessor malæ fidei, quodque debeat habere correspondens suæ industriæ, & labori, id quod solùm propriè lucrum est, atque hoc æquitati naturali consonum est, id quod lex dictârat absque eo, quòd aliquid novi statueret. Non enim utitur verbo *statuimus decernimus*, sed verbo oportet; nec dicit, quòd oporteat eos lucra-

lucrari, nempè fructus; sed quòd oporteat eum lucrari, nempè bonæ fidei possessorem; dicitque, quòd fructus percepti non omninò in judicium venire debeant.

4. Lex. *Qui scit.* §. *de usuris* asserens: *Porro bonæ fidei possessor in percipiendis fructibus id juris habet, quod Dominus prædiorum.* Intelligenda est de dominio infirmo, & revocabili, & contra alium, quàm diu Dominus non comparet; quale habet, qui rem alienam suis bonâ fide miscuit: aliàs fructus formaliter exstantes essent jure firmo ipsius, quod nemo dicit: & sic intelligenda est lex. *In pecudum ff. de usuris*, in qua dicitur, quòd agni, hædi, & vituli sint statim pleno jure possessoris bonæ fidei: loquitur enim de fructibus formaliter existentibus. Intelligenda ergo est de dominio revocabili, aut est manifestè contraria legi citatæ, & juri naturali.

5. Lex 25. *de usuris*, quâ dicitur *Emptor bonæ fidei, postquam agnovit fundum esse alienum, manere adhuc possessor bonæ fidei quoad fructus percipiendos, donec fundus evictus sit*; aut intelligitur, quòd in foro externo adhuc talis habeatur; aut est iniqua, ut multis videtur. Nec mirum videri debet in *ff.* reperiri antilogias, quas frustra aliqui conantur explicare; quia hoc opus collectum est ex variis variorum Juris-consultorum responsis, qui sæpè contraria sentiebant; Collectores autem non poterant semper in tanta multitudine meminisse, quid alibi posuissent: unde leges in *ff.* sæpè à recentioribus sunt correctæ.

Dices 1. Praxis fori externi habet, ut possessor bonæ fidei non teneatur restituere fructus solùm in æquivalenti existentes; ergo illi accom- 311. *Quid in foro externo?*

accommodare nos possumus in foro interno: lex enim, justa in foro externo, justa est in foro interno. Resp. Praxis id habet de jure communi N. Ant. Covarr. Lugo, Tamb. & alii testantur contrarium. Praxis de jure municipali id habet, transf. Ant. N. conseq. De jure municipali Castellano testatur id Sanch. L. 2. in Cap. 23. N. 80. Quoad fructus mixtos, & de jure Bavarico Haun. Unde mirum non est, quòd in Bavaria vigeat sententia opposita in scholis, & tribunalibus. Nec plus infertur, quàm quòd post sententiam Judicis, dum actor non probat exstare fructus, in foro externo non teneatur possessor bonæ fidei ad restitutionem. Axiomatis illius sensus est, quòd lex in foro externo obligans, in interno obliget ad aliquid, ad quod nempè Judex absolutè intendit obligare. Cæterùm de obligatione in foro interno consulendi sunt Theologi, non Juristæ, sæpèque est obligatio in foro interno, etsi forum externum te liberum pronuntiat. Sic, si in emptione aliquem deceperis infra justum pretium, si non deceperis ultra dimidium, forum externum te non obligat, & tamen teneris in foro conscientiæ defectum supplere. Similiter si hæres ab intestato sciat legatum defuncti, & legatarius probare non possit, in foro externo non obligatur hæres; obligatur tamen in foro interno conscientiæ. Et idem est in aliis pluribus. Vid. P. 1. sub. 156. & P. 3. N. 269.

312. *Non juvat probabilitas oppositæ opinionis.* *Dices* 2. Probabile est, fructus tantùm in æquivalenti existentes non esse ex obligatione restituendos: ergo possessor bonæ fidei non tenetur eos restituere. Consequentia prob. quia, qui bonâ fide possidet in dubio, an res

ſit aliena, non tenetur reſtituere. Reſp. Inprimis non deſunt, qui negant, ſententiam illam eſſe practicè probabilem, eò quòd in materia Juſtitiæ, ubi agitur de Jure tertii, antea certo, non liceat ſequi ſententiam minùs probabilem: qualis hæc certò eſt, cùm habeat contra ſe Theologos ferè omnes, ex quibus & ſimul fuêre inſignes *Juriſtæ*, ùt Molina, Sanch. Sotus, Suar. Laym. Leſſ. &c. adeò, ut Haunold. adverſæ ſententiæ patronus dicat, ſe neminem ſcire, qui eam ùt probabiliorem defendat. Unde Neg. Conſeq. Prob. diſt. Qui bonâ fide poſſidet rem, in dubio, an ſit aliena, non tenetur eam reſtituere, manente dubio poſt ſufficientem inquiſitionem, ſi certò aliquando fuit aliena, & dubium ſit, an acquiſiverit dominium, Neg. Aſſ. Secùs, Conc.

Certum eſt, ad dominum rei illos pertinuiſſe fructus; an, ubi conſumpti ſunt, & exſtant tantùm in æquivalenti, eorum jus translatum ſit in alios, incertum eſt: id autem propter leges incertas, quas plerique explicant in alium ſenſum, aſſerere non auſim. Explicari poteſt in ſimili: ſi famulus accepiſſet à domino ſuo pecuniam mutuam pro emenda nova veſte, & dein probabiliter judicaret, ſe ſalarium juſto minus accipere, non liceret ei de mutuo retinere, quantum illi probabiliter debetur pro complendo juſto ſalario; quia domini jus ad mutuum recipiendum eſt certum, contra quod famulum non juvaret poſſeſſio, utì dicetur infra. Idem dicendum de eo, qui bonâ fide poſſidet rem alienam, & dubium eſt, an præſcripſerit; vel certò debuit, & dubitat, an ſolverit.

Inſt.

313. *Obligatio justitiæ strictâ magis, quã alterius virtutis moralis.* *Inst.* Cui probabile est, se peccatum mortale, certò commissum, esse confessum, non tenetur amplius confiteri, ergo à pari. *Resp.* Transeat Antec. de quo P. 4. Neg. Conseq. Justitia strictiùs obligat, quàm aliæ virtutes morales: Illa enim intendit medium rei, & non acquiescit, donec æqualitas reducatur. Aliæ autem virtutes morales respiciunt medium rationis, quod, quia pro diversis circumstantiis varium est, hinc probabiliter censentur satisfecisse, à quibus satisfactio verisimiliter est posita, ne homines nimiis anxietatibus exponantur, legesque fiant noxiæ. Vide Sanch. L. 2. Moral. Cap. 23.

CAPUT III.

De Obligatione restituendi titulo injustæ damnificationis.

QUÆSTIO I.

An Obligatio restituendi titulo injustæ damnificationis oriatur ex sola culpa Theologica?

314. *Statuta per leges civiles.* OCcasionem hujus quæstionis dederunt Leges Civiles, quæ statuunt 1. Ut damnum ex quasi delicto, etsi sine culpa Theologica illatum, resarciatur: ùt, si animal tuum, etsi à nullo incitatum, alteri damnum intulerit, sive immediatè per se, sive impellendo aliud corpus, statuitur, ut pro noxa illa aut tradas animal, aut damnum totum compenses. Item, si mancipium tuum, etsi sine tua culpa, cum sua

tamen,

tamen damnum intulerit, aut illud tradas damnificato, aut damnum resarcias. Si ex domo tua, vel navi aliquid fuerit effusum vel projectum, quod nocuerit transeunti, vel adstanti, statuitur, ut damni duplum præstes; nisi clamatum fuerit, ut transiens, vel adstans sibi provideret. Idem est, si ex domo tua aliquid suspensum fuerit supra viam, & alteri nocuerit, &c.

2. Statuunt, ut compensetur damnum secutum ex culpa, etsi non coram Deo, quæ juridica dicitur: cum hoc tamen discrimine, ut, si contractus cedat in utilitatem solius accipientis, qualis est commodatum; accipiens teneatur compensare damnum, secutum ex culpa juridica, etiam levissimâ. Excipitur tamen precarium, quod, cùm quovis tempore repeti possit, non oritur obligatio compensandi damnum in eo, nisi ex dolo & culpâ latâ. Si autem contractus cedat in utilitatem solius dantis, uti est depositum, volunt accipientem tantùm obligari ex culpa lata, & dolo.

Si denique contractus cedat in utilitatem utriusque contrahentis, ùt sunt contractus pignoris, locationis, conductionis realis, dotis, venditionis, societatis; statuunt, ut delinquens teneatur de damno ex culpa lata, & levi. Ratio harum legum est; quia æquum est, ut, si contractus cedat in utilitatem solius accipientis, hic exactissimam diligentiam impendat rei alienæ conservandæ: si verò cedat in utilitatem solius dantis, æquum est, ut accipiens non teneatur ad majorem diligentiam & curam, quàm homines passim adhibere solent suis ejusmodi rebus conservandis, cùm nullum inde commodum percipiat: si autem cedat in

utriusque utilitatem, æquum est, ut major diligentia adhibeatur, quàm si cederet in utilitatem solius dantis: & ideo minor sufficit, quàm si cederet in utilitatem solius accipientis: hinc non obligatur quis ex culpa levissima, sed de lata solùm, & de levi. Controvertitur, an hæ leges obligent in conscientia ante, vel post sententiam Judicis. *Pro resolutione.*

315. *Culpa juridica quotuplex?* *Nota.* Culpa alia est Theologica, alia Juridica. Culpa *Theologica* est peccatum formale, seu coram Deo; quodsi mortale sit, culpa Theologica gravis: si veniale, culpa Theologica levis dicitur. Culpa *Juridica* est omissio diligentiæ alicujus, ex qua sequitur incommodum aliquod. Omissio illa in jure, & foro externo reputatur pro culpa, sive re ipsâ peccatum coram Deo sit, sive non.

Porrò culpa Juridica est quintuplex, scilicet: Lata, latior latissima, levis, levissima. Lata est omissio diligentiæ, & circumspectionis, quam passim homines talis conditionis in ejusmodi rebus solent adhibere. Latior est dolus præsumptus, qualis est, quando ex actione, vel omissione, & circumstantiis præsumitur ex animo nocendi, facta læsio Juris. Latissima est dolus apertus, id est, læsio manifestè voluntaria. Culpa levis est omissio diligentiæ, quam ejusmodi conditionis homines diligentiores solent adhibere. Levissima denique est omissio diligentiæ, quam solent adhibere diligentissimi in ejusmodi rebus. Sic v. g. si furem adjuves in re alterius auferenda, vel furi ostendas rem tibi commodatam; culpam latissimam committis, etsi non dicas apertè, intendas tamen, ut eam furetur. Si relinquas rem in domo furis, est culpa latior, dolusque

præ-

præsumptus. Item si scienter non impedias, quò minùs fur rem apud te depositam auferat. Si relinquas rem domi quidem tuæ, attamen palam extra conclave tuum, est culpa lata. Si posueris quidem in cubiculo clauso, sed non obserato, est culpa levis: si in cubili quidem obserato, at non tentatâ januâ, an bene sit clausa, aut sera non viciata, est levissima.

Culpa latissima, latior, lata, ordinariè culpam Theologicam adjunctam habet, nisi subinde defectus inconsiderationis & inadvertentiæ excuset; non item levis, & levissima. Cæterùm quia sæpe difficile est judicare, an hîc & nunc culpa lata, an verò levis admissa sit, præsertim, cùm omissio diligentiæ, quæ respectu unius personæ est levis, respectu alterius sit gravis; quæ in una materia gravis est, in altera sit levis, pro diversitate statûs, officii, rei, & negotii: hinc non rarò opus est arbitrio viri prudentis, vel Judicis. *His notatis*

Resp. Obligatio ante sententiam Judicis restituendi, titulo injustæ damnificationis, nec oritur ex quasi delicto alieno, nec ex culpa purè juridica propria in contractu servando, vel officio commisso, sed ex sola culpa Theologica. 316. *Sine omni culpa Theologica non est obligatio restituendi ante sententiam judicis.*

Ratio universalis est; quia damnificatio, facta sine culpa Theologica, seu advertentia ad læsionem Juris alieni, non est voluntaria, adeoque nec injuriosa; cùm nemo Jus habeat exigens omissionem, vel actionem non liberam: damnificatio autem nec voluntaria, nec injuriosa non inducat obligationem ex Jure naturæ restituendi, vel reparandi damnum; cùm nullius Jus sit formaliter læsum, & obli-

gatio illa sit quædam pœna, à Jure naturæ imposita, quæ culpam supponit. Ubi autem per culpam Theologicam Jus alterius læsum est, læsio est voluntaria: adeoque Justitia, intendens æqualitatem, exigit damni compensationem.

Deinde ex nulla lege positiva ostendi potest imposita obligatio, damnum, sine culpa Theologica illatum, resarciendi ante sententiam Judicis. Nam

1. Leges noxiales, ût vocant, illam non imponunt: utì, si animal alicujus, sine culpa Theologica domini &c. intulerit damnum alteri, &c. quemadmodum communiter docent Theologi & Canonistæ: tum, quia leges imponentes damni compensationem ex quasi delicto alieno, ut homines cautos reddant, sunt suo modo pœnales, præsertim, quæ imponunt duplum damni: tum quia, licèt potuisset Legislator obligare in conscientia ante sententiam Judicis; non est tamen sufficiens fundamentum id factum asserendi, cùm absque eo satis provisum sit bono communi: ideoque nemo sit, qui damnum sine peccato alteri illatum resarciat, nisi intentetur illi actio. Ex quo patet, leges non esse in alio sensu receptas.

2. Illam non imponunt leges de contractibus, utì tenent Lugo, Haunoldus, Esparsa, Illsung, Molina, Layman, Pichler in L. 5. Tit. 36. n. 10. Et alii, contra Nav. Vasquez, Less. Engel, & alios: quorum aliqui extendunt illam obligationem etiam ad artifices, famulos, & ancillas, quibus incumbit cura rei domesticæ, hosque volunt etiam teneri de culpa levi juridica. Hoc tamen alii ejusdem etiam sententiæ patroni rectè negant; quia leges loquun-

quuntur de contractibus explicitis, & realibus, commodato, deposito, &c. non verò de contractibus implicitis in susceptione officiorum initis, nec de locatione personali.

Ratio pro utraque hac parte nostra est 1mò. Jure naturæ non est obligatio ante sententiam Judicis compensandi damna sine culpa Theologica secuta in contractibus; leges autem dubiæ sunt: erga illa obligatio non est astruenda. Nam leges restringentes Jus naturæ sunt odiosæ, & latæ interpretationis; proin Jus naturæ ex possessione non est deturbandum.

2. Licèt fortè contrahentes conformiter legibus censendi sint se obligare, quod est fundamentum adversæ partis; non constat tamen, quòd se obligent ad compensationem damni ante sententiam Judicis.

3. Dictæ leges absque illa obligatione obtinent suum finem, qui est reddere homines cautos, & accuratiores in cavendis alienis damnis; ad hoc enim excitantur, quòd sciant læsis dari actionem, & Judices obligari ad injungendam compensationem damni, quasi in pœnam omissæ diligentiæ, & cautelæ debitæ legibus. Atque ità hæ leges, respectu damnificantis, rectè censentur esse pœnales, ac proinde in conscientia immediatè non obligant.

4. Obligatio illa nimiis anxietatibus exponeret membra Reipublicæ; quia, cùm omissio diligentiæ, quæ respectu unius personæ est levis, respectu alterius sit gravis: & quæ in aliqua materia est gravis, in altera sit levis, damnaque sæpe fortuitò eveniant; nimis difficile non rarò est judicare, an, & quæ culpa juridica intervenerit: proinde obligatio illa asserenda non est sine urgente causa, præsertim,

cùm non ſit accommodata humanæ fragilitati. Nam ex una parte difficillimum eſt omnem culpam juridicam, ex ignorantia, oblivione, inadvertentia inculpabili coram Deo ſæpe provenientem, evitare; ex altera parte nimis durum eſt, pro tali culpa ſe ſpoliare bonis ſuis.

5. Si artifices, famuli, & ancillæ ante ſententiam Judicis tenerentur reſarcire damna, ex culpa juridica levi illata; ergo tenerentur, ſi omitterent diligentiam, quam diligentiores ſolent adhibere: hoc autem dicendum non eſt, cùm non teneantur, per ſe loquendo, niſi ad diligentiam talibus communem; & aliàs meritò abſterrerentur à locanda opera ſua, utpote continuo expoſiti periculo perdendi operam ſuam, mercedemque ſubtrahendam pro damnis illatis, cum culpa vix evitabili, & coram Deo nulla. *Ex dictis deduco.*

317. *Corollaria.* *Quid de patre?* 1. Pater nec tenetur compenſare damna à filio ſine patris culpa illata, nec filium pro noxa tradere; quia malitia filii parenti innocenti nocere non debet, & parens non eſt dominus corporis filii: ſed hic, cùm ſit liber, pro delictis ſuis conveniri poteſt. Leſſ. L. 2. C. 9. D. 17. n. 121.

Quid de famulantibus? 2. Si famuli, ancillæ in rebus dominorum ſuorum curandis, & cuſtodiendis, ordinariam diligentibus in ejuſmodi rebus, adhibuerint diligentiam; non tenentur in conſcientia de damnis ſecutis ex culpa juridica levi, & ſine culpa Theologica. Secùs eſt de culpa juridica lata, cui ordinariè conjuncta eſt culpa Theologica. *Ratio eſt*; quia obligant ſe ad diligentiam ordinariam & communem, non verò ad majorem, niſi de hac pactum ſpeciale inter-

tervenerit, aut, non obstante diligentiâ communi, nihilominus damnum prævideretur secuturum: tunc enim omissio diligentiæ majoris in culpam Theologicam transiret, quia prudentes, præviso periculo, majorem diligentiam adhibere solent. De damnis autem, ex casu fortuito, humana prudentia inevitabili, vel quia omninò improvisus fuit, aut provisus averti non potuit, ùt est fulmen, naufragium, incendium, furtum, rapina, secutis nemo tenetur in foro interno, nisi casus ille ex culpabili negligentia antecedente procedat.

3. Advocati, Judices, Consiliarii, Medici, Confessarii, Artifices non tenentur vi officii, vel artis de damnis in iis secutis sine lata eorum juridica, & culpa Theologica, per se loquendo; quia assumens tale officium se tantùm obligat ad exercendum munus suum diligenter; nec majorem diligentiam, quàm communiter adhiberi soleat, censetur promittere; nec majorem Resp. exigere potest; aliàs imponeret onus intolerabile, quod nullus, aut paucissimi admitterent, caderetque in detrimentum boni communis. Dixi: *Per se loquendo*: Nam si quis in suo officio, vel arte profiteatur majorem peritiam, dexteritatem, & curam, quàm cæteri soleant, atque aliquem avertat ab inquisitione peritioris, & diligentioris, tenebitur ex culpa levi, & quandoque ex levissima; quia tunc se obligat ad peritiam, & diligentiam, quam profitetur, adeoque ad communi majorem, vel etiam ad maximam: proin si eam non præstet, decipit conducentes operam, & peccati reum se constituit coram Deo. Idem est de eo, qui pinguius stipendium accipit, ut plus diligentiæ adhibeat. *Quid de Advocato, Judice, &c.*

Porrò non requiritur, ut damna provideantur in particulari, sed satìs est provideri confusè in periculo: utì si quis officium suscipiat, & exerceat, priusquam sit sufficienter instructus. Si tamen de damno nulla cogitatio incidisset, & nec in confuso quidem, esset prævisum, verisimiliter secuturum; obligatio ex culpa juridica tantùm non orietur.

Dices: Sententia Judicis est justa: ergo ante illam est jus in damnificato exigendi compensationem. R. D. consequens. Est in eo jus immediatè exigendi compensationem N. mediatè, & post sententiam Judicis C. Factum cuique suum potiùs, quàm alteri nocere debet, si adsit culpa Theologica, vel accedat sententia Judicis. Secùs non. *Nec juvat*, quòd leges illæ fundentur in aliqua æquitate: nam æquitas illa non est exigentia; aliàs esset obligatio juris naturæ, quod nemo dicit; sed est convenientia tantùm aliqua, ut per sententiam Judicis imponatur compensatio, atque ità acuatur hominum cautela.

Inst. Leges illæ sunt justæ in foro externo; ergo & obligant immediatè in interno: ergo in damnificato est jus immediatum activum. Resp. Distinguo conf. ergo obligant immediatè ad aliquid, & secundùm intentionem legislatoris C. immediatè ad pœnam, vel onus ipsum reum, N. Conf. Leges illæ immediatè in foro interno Judicem obligant, ùt, si instituatur actio, condemnet damnificantem, & hunc, ut post sententiam obediat: non verò immediatè absolutè obligant damnificatorem ad damnum resarciendum. Simile habes in lege pœnali, v. g. venationem prohibente.

Dixì

Dixi in responsione : *Non oritur obligatio ante sententiam* : An autem post sententiam Judicis sit obligatio pro foro conscientiæ, controvertitur. Rebellus, Haunold. Franciscus Schmier, Krimer apud Pichler L. 5. Tit. 36. N. 11. contendunt leges illas fundari in præsumptione culpæ Theologicæ, hâcque deficiente, non esse obligationem, nisi ratione scandali, esseque dein locum occultæ compensationi. *Ratio est ;* quia leges supponunt culpam, nulla autem propriè est culpa, nisi Theologica formalis. 318. *An post sententiam Judicis?*

Econtra communior cum Molina tenet, leges illas non fundari in præsumptione culpæ Theologicæ; sed eò tendere, ut homines reddantur cautiores, & pax conservetur in republ. atque obligare pro foro conscientiæ post sententiam Judicis: Judex enim pro bono communi præcipiens restitutionem justè præcipit, adeoque est obligatio ei obediendi. Dein si leges illæ vi suâ non obligarent stabiliter, sed liceret occulta compensatio, essent inutiles: parum enim homines excitarentur illis ad damna cavenda. Imò licentia occultæ compensationis plus causaret incommodi. *Occulta compensatio non licet*

QUÆSTIO II.

Qualis debeat esse culpa Theologica, ut ex ea sequatur obligatio restituendi titulo injustæ damnificationis?

Resp. Debet esse 1mò injuria formalis; quia licèt actio sit illicita, si tamen non sit læsio juris alieni formalis, violatio non erit voluntaria in ratione injuriæ, ad cujus omissionem alter 319. *Debet esse injuria formalis*

alter jus non habet; quia jus est potestas respiciens libertatem in alio. Sic, si dilapidares rem alienam cum peccato formali, bona fide putans, esse tuam, non tenereris ad restitutionem.

2. Externè completa per actionẽ, vel omissionẽ, alterius juri oppositam.

2. Debet injuria esse completa actione, vel omissione externa, juri alieno contraria: nam si actio, vel omissio non opponeretur juri alieno, etsi verè sit damnosa, adsitque animus nocendi alteri, probabiliùs non inducit obligationem restituendi ex delicto. Utì si prævideres fore, ut Titius faceret testamentum in favorem Caji, & ex animo nocendi Cajo, suaderes sine fraude Titio, ut testamentum non faceret, non tenereris reparare damna, Cajo ex omissione testamenti secuta. Ità Vasq. Sanch. Castrop., La Croix 148. contra alios cum Lugone D. 8. N. 74. *Ratio est:* tum quia Cajus non habet jus ad actionis tuæ illius externæ omissionem, cùm de se sit licita nec in se injuriosa, etsi damnosa: qualis etiam foret, si aliâ intentione honesta poneretur; tum quia illa obligatio non esset satìs accommodata humanæ fragilitati, nec persuasa passim hominibus, ùt, qui ex invidia, & odio faciunt multas actiones ejusmodi damnosas, nec tamen vel suspicantur se teneri ad restitutionem: ergo contra sensum communem illa obligatio non est astruenda, quando argumentis non probatur, ad quæ facilis non sit responsio, utì hìc fit.

Si dicas: Intentio facit, ut actio externa sit injuriosa, sicut intentio comedendi calida, ut habeas turpia somnia, facit, ut comestio repugnet castitati, aliàs non repugnatura; R. N. ass. Si intentio non tendat in actionem,

vel

vel omissionem externam alterius juri repugnantem, nec actionem aliàs non damnosam faciat damnosam, & alterius juri contrariam: utì fieret, si alterius librum arriperes animo non restituendi, quem tamen posses arripere animo inspiciendi sine injuria, nisi Dominus, & quidem rationabiliter invitus nollet permittere. Aliud est de aliis virtutibus moralibus. Nam hæ respiciunt medium rationis, quod desumitur simul ex fine, & circumstantiis; & hinc mirum non est, quòd his variatis varietur actus, jamque sit contra virtutem, v. g. temperantiam, qui aliàs contra eam non esset. At Justitia respicit medium rei, seu æqualitatem inter jura, activum unius, & passivum alterius. seu, ut habeas in bonis tuis æquale juri tuo; medium autem rei in omnibus circumstantiis idem est, & solo jure alterius mensurabile. Quidquid ergo non variat commensurationem cum jure alterius, non variat obligationem justitiæ, id autem sola intentio non facit. Quare si omissio actionis alterius Juri non sit debita; sive actionem ponas, sive non ponas, nec justus, nec injustus es, sicut, si summa pecuniæ alterius Juri non sit debita, nec justus es, si des, nec injustus, si non des.

Nec juvat, quòd non habeam Jus eo animo dissuadendi, v. g. testamentum; nam non habeo etiam Jus, malo animo omittendi suasionem, & tamen omittendo non pecco contra justitiam; quia intentio non facit omissionem injuriosam, & nec sic actionem. Dissuasio quidem foret causa damni; sed talis quoque esset animo honesto posita: quare intentio nocendi eam non reddit damnosam,

nec

nec oppositam justitiæ, nisi ad summum affectivè.

Nec juvat denique, si dicas : Possum licitè injuriam, ab alio mihi illatam, aperire amico solatii causâ; non tamen animo ei detrahendi : Nam quando id licitè potes facere solatii causâ, peccas quidem contra charitatem, si animo simul illum infamandi id facias : non tamen contra justitiam, nisi fortè affectivè; quia tum alter non habet Jus ad famam : sicut si licitè possis proditionem, à Titio Reip. paratam manifestare, non peccas contra justitiam probabiliùs nec affectivè; etsi animo infamandi Titium id faceres; quia manifestatio secundùm se non repugnat Juri Titii.

3. Debet esse causa per se efficax damni. 3. Debet esse causa damni efficax effectivè secuti : nam licèt actio sit alteri injuriosa, ejusque occasione damnum grave patiatur; si tamen actio in id moraliter non influat nullam parit obligationem compensandi damnum illud, etsi possit parere obligationem satisfaciendi pro alia injuria, cujus actio verè causa est. *Ratio est*; quia damnum non potest imputari, nisi suæ causæ : hinc, si des alapam Cajo, & & hîc illâ valdè commotus, in morbum incidat, ad quem curandum facere debet expensas; non tenereris ad expensas refundendas, etsi tenearis satisfacere pro injuria personali; quia alapa non est causa sufficiens, & per se generativa morbi talis, sed hic potiùs ex Caji immoderata passione oritur.

Similiter, si falsas litteras per vias spargeres, quasi sit magna annonæ caritas in Hollandia, & illas Titius inveniens, mitteret eò magnam frumenti copiam cum magno suo damno, non tenereris de damno; etsi hoc præ-

prævidens, contra charitatem graviter peccâsses: istud enim Titius deberet potiùs suæ simplicitati adscribere, quàm tuis litteris, quibus credere tam leviter non debebat. Aliud esset, si litteras ad Titium ideo dedisses: tunc enim tua fraus esset injuriosa, veraque causa damni; quia litteræ de se aptæ erant ad faciendam fidem.

4. Cognosci debet saltem confusè Jus partis efficaciter læsæ: aliàs enim læsio non erit voluntaria. Unde si damnum intuleris Cajo, ità animo comparatus, ut volueris id simpliciter inferre, quisquis tandem lædatur, teneris restituere, etsi putâris damnum te inferre Titio; quia Jus Caji confusè cognovisti: cùm volueris Jus, cujuscunque esset, efficaciter violare. Si autem, quia Cajus erat amicus, Titius autem inimicus tuus, sic animo eras comparatus, ut nolueris nocere Cajo, sed Titio, & re ipsâ nocueris Cajo; juxta Lugonem, & alios non teneris restituere, eò quòd actio tua tibi non sit voluntaria relatè ad Cajum, adeoque nec formaliter ei injuriosa; cùm procedat ex inculpabili, ùt suppono, ignorantia Juris ejus. Contrariæ sententiæ est Haunold. & alii, quia videtur Jure naturæ inducta obligatio reparandi damnum scienter illatum, cuicunque inferatur: & hoc ipso, quòd quis voluerit inferre damnum, jam cognovit se alicui de humana Republ. nocere, subitque reatum pœnæ, à Jure naturæ dictatæ, quæ est obligatio damnum reparandi, quo Respubl. læditur in membro suo. Hæc sententia videtur æquitati conformior: potiùs enim nocens, quàm innocens pati debet.

4. Jus damnificati debet saltem confusè cognosci

5. Ut

5. Oritur tantùm obligatio ad damnum præcognitum.

5. Ut oriatur obligatio damnum grave integrè resarciendi, debet damnum totum esse præcognitum, saltem confusè, in periculo. Ità Dicast. Esparsa, Haun. La Croix N. 194. & alii, contra Lugonem D. 3. N. 63. qui tenet, hoc ipso, quòd grave damnum per mortale peccatum inferatur, omnia damna inde secuta, etsi non præcognita, esse resarcienda.

Sed *ratio nostra est*; quia secundùm quod damna non sunt præcognita, secundùm id non sunt voluntaria, & consecuta ex formali injuria. Hinc destruens rem alienam, vel projiciens in mare, v. g. gemmam, quam invincibiliter sine formidine in oppositum putavit minùs valere, quàm valeat, vel ex parte putavit esse suam, tenetur tantùm restituere valorem alienum cognitum: Justitia enim non intendit ratione culpæ medium rei reparari, nisi secundùm cognitionem, & mensuram formalis injuriæ; & projiciens gemmam, voluit projicere cum damno præcognito tantùm. Sufficit tamen prævisa esse damna in periculo confusè, qualiter in dubio prævisa censentur. Sic peccans mortaliter præcognoscit pœnas æternas: quia scit se à Deo totaliter recedere, nec se posse, nisi ejus auxilio ad ipsum redire, adeoque se subire statum inimicitiæ perpetuæ. Ex his deduces

320. *Corollaria.*

1mò. Si fur de nocte egrediens è domo cum re furtiva, relinquat ostium apertum, satis prævidens, ùt facilè potest, pericula damni, ac dein ingrediantur alii, & è domo quid auferant, tenetur & de hoc damno in defectu aliorum; quia injustè exposuit dominum domûs periculo damni, & occasio ostii aperti est de se allectiva furum. Si tamen volens furari,

ac-

accendit lumen, & casu, minimè prævidens periculum, incendit domum, non tenetur de damno domûs. Quodsi & ità combureret pannum, v. g. quem furari voluit; de hoc etiam damno non teneretur, etsi pannum jam apprehendisset; quia damna illa sunt involuntaria: nec apprehensio panni est causa damni, nec gestatio candelæ proximum faciebat periculum, si debita cautela fuit adhibita. Ità Lugo Disp. 18. N. 86. La Croix N. 165. Dicast. Tamb.

2. Qui scit per experientiam, se solere causare damna in ebrietate, v. g. alios vulnerare, frangere obvia, & evertere, tenetur damna in ebrietate causata compensare; quia volendo ebrietatem, in tali subjecto communiter connexam cum damnis, censetur etiam velle injurias. Secùs, si damna nullatenus prævisa, aut post cautelam debitam, ne causentur, adhibitam inferentur; quia tunc non censentur voluntaria. Sæpè tamen est ebrietas, non excusans ab injuria formali: hinc potest damnificans à Judice condemnari ad plus restituendum vi legis Aquileæ.

3. Si occidas Titium prævidens, aut etiam intendens, ut homicidium Cajo imputetur, teneris quidem damna hæredibus Titii causata compensare, probabiliter tamen non teneris compensare causata Cajo; quia huic tua actio non erat injuriosa, & damnum ex ea per se non sequitur, sed ex hominum errore. Excipe, nisi influxisses in imputationem Cajo faciendam, v. g. si te induisses vestibus Caji, & ideo ei homicidium fuisset imputatum. Idem dicit Sanch. si posuisses cadaver occisi ante ostium Caji: nam saltem ex parte cooperareris

impu-

imputationi. Lugoni tamen videtur non esse prudens causa ideo inquirendi in Cajum. Cæterùm si Cajus debuisset damna resarcire hæredibus Titii, hæc tu deberes Cajo compensare; quia hæc ex tua actione per se sunt secuta, & Cajus loco tui restituisset. La Croix N. 1031.

4. Si Cajus volens è medio tollere suum inimicum, ponat ante illum vinum veneno infectum; Titius autem id nesciens, præripiat illud, & bibere velit; Cajus verò, ne scelus erumpat, fieri id permittat: non tenetur compensare damna ex morte Titii secuta; quia ipsi mors Titii non fuit voluntaria: non enim hanc prævidit, nec tanto periculo suo eam deinde impedire tenebatur. La Croix N. 202.

5. Si videns Titium, putansque esse Sempronium, ex odio in hunc dicas: hic homo est fur; teneris revocare: aliàs Titio damna ex infamia consecuta compensare debebis, si audientibus sit notus, & ità patiatur infamiam.

QUÆSTIO III.

Quæ culpa Theologica inducat gravem, & quæ levem obligationem restituendi titulo injustæ damnificationis?

521. *Gravis gravem levis, plene deliberata, levem inducit.* Resp. Omnis Culpa Theologica secundùm actionem, vel omissionem externam lethalis, per se effectivè formaliter læsiva juris alieni in re gravi, inducit obligationem gravem; venialis autem plenè deliberata quidem, attamen læsiva solùm Juris alieni in re levi, levem per se loquendo, restituendi obligationem inducit.

ducit. *Ratio est*; quia, sicut Justitia exigit, ut Jus alienum non lædatur; sic exigit læsum reparari, & ad æqualitatem reduci: unde sicut sub mortali vetat in re gravi, & sub veniali in re levi lædi Jus alienum: sic sub mortali præcipit reparari læsum in re gravi, sub veniali verò in re levi læsum.

Dixi 1mò. *Læsiva formaliter & effectivè.* Nam si quis intendisset quidem inferre damnum grave, præter intentionem tamen tantùm leve intulisset, non foret obligatio gravis id reparandi; quia damnum passus non careret re, quæ ipsi non posset absque mortali auferri: ergo nec caret re, quæ ipsi absque mortali non possit detineri.

Dixi 2. *Lethalis secundùm actionem, vel omissionem externam*: Nam si quis levem tantùm negligentiam admisisset in cavendo damno proxi[mi], etsi habuisset animum, damnum grave inferendi, hocque secutum esset; non tenetur sub mortali ad restitutionem, juxta Sanch. Less. Tamb. & alios, apud La Croix N. 190. *Ratio horum est*; quia actio illa externa non est de se graviter injuriosa, nec perfectè causa moralis damni; qualem supponit obligatio gravis restituendi.

Dixi 3. Per se loquendo: Nam sæpè adesse potest causa excusans à restitutione levis damni, dominus item præsumi quandoque potest remittere obligationem: ùt, dum sunt circumstantiæ, quæ reddunt restitutionem valde difficilem: dum dominus est dives, & liberalis; damnificator pauper, vel obsequia domino præstitit, &c.

Quanquam, ùt rectè monet Less. expedit, ut Confessarius ordinariè injungat, etiam

pro pœnitentia, ut restituatur res etiam levis; aut tantundem detur pauperibus; ut fures & damnificantes commodum non habeant ex sua iniquitate, & ne vel ideo furta repetant, & ad graviora veniant, sed ab iterandis injuriis deterreantur. Quodsi, dum commodè possunt, nollent restituere, absolvi non possunt, saltem ab illo peccato.

QUÆSTIO IV.

An culpa Theologica, graviter quidem læsiva Juris alieni, attamen venialis (quia procedens ex advertentia, vel deliberatione imperfecta) inducat obligationem restituendi?

322. Quatuor sunt circa hanc quæstionem Sententiæ.

Sententiæ variæ.

1ma ait, totum damnum sub mortali esse restituendum. Ità Adrian. Ang. Panormit. Covar. Vasq. Turrian. Medina, Pallav. de Just. n. 71. apud La Croix n. 185.

2da dicit, sub mortali quandoque esse restituendam partem. Ità Molina, Rebell Dicast. Bonac. &c. qui, etsi concedant, obligationem non esse damnum totum resarciendi, volunt tamen, partem majorem, vel minorem pro quantitate culpæ resarciendam esse; sique pars, culpæ respondens, sit notabilis, ajunt, esse obligationem sub mortali eam resarciendi.

3tia sententia tenet, esse obligationem sub veniali ad partem levem: vel pro arbitrio viri prudentis, consideratâ quantitate, & qualitate culpæ, vel infra quantitatem ad culpam mortalem requisitam. Ità Illsung. La Croix & alii.

4ta

4ta sententia negat, esse obligationem etiam sub levi. Ità Less. L. 2. C. 7. Num. 28, Platelius P. 3. N. 733. Esp. Q. 32. Tamb. & alii. His præmissis ad quæstionem

Resp. Culpa Theologica, etsi graviter lædens Jus alienum, levis tamen ob advertentiam, vel deliberationem imperfectam, nec totum damnum, nec gravem ejus partem compensandi obligationem inducit. Ità cum communi Lugo D. 8. n. 56. & alii. 323. *Culpa levis ex semi deliberata intentione, non obligat ad damnum grave reparandum vel totum, vel gravem ejus partem.*

Ratio est 1. Culpa venialis, tantùm semi-deliberata, non est injuria simpliciter talis; ergo nec debet inducere obligationem restituendi simpliciter talem, seu gravem. 2. Obligatio restituendi ob injustam damnificationem est quasi pœna à Jure naturæ imposita, & necessaria ad deterrendos homines ab injuriis; esset autem pœna gravis teneri restituere aliquid grave: proin esset pœna improportionata delicto. 3. Lex omnis debet esse accommodata subditis; esset autem nimis durum ex culpa semi deliberata, & ferè inevitabili, obligari ad reparandum damnum grave, vel notabilem ejus partem. 4. Natura non inducit obligationem restituendi, in quam homines, si ante omnem casum eventualem fuisset eorum consensus requisitus, non fuissent consensuri; atqui in talem obligationem non fuissent consensuri; cùm culpæ semi deliberatæ non sint facilè vitabiles, & durius sit, sic restituere, quàm damnum, quasi fortuitò illatum, tolerare.

Si dicas 1. Qui accipit rem alienam, prudenter præsumens consensum domini, si postea resciat, dominum fuisse invitum, tenetur restituere; ergo multò magis, qui cum culpa

damnum intulit. Resp. Tenetur restituere, si res adhuc, saltem in æquivalenti existat, C. Secus, Neg. vel Subd. Tenetur ex quasi contractu, Transeat: ex alio capite, Neg. Ant. & Consequentiam.

Si dicas 2. Possum in tantum consentire, ut, rem meam consumendo, pecces tantùm leviter, & tamen tenearis sub mortali restituere. Resp. Et tunc erit obligatio ex contractu; non præcisè ex culpa levi. Idem dicendum, si rem alienam domino, quoad modum solùm invito, destrueres cum intentione compensandi.

Si dicas 3. Gravis pœna potest justè respondere peccato veniali: quales sunt pœnæ purgatorii, excommunicatio minor, imò ipsa mors, ùt constat ex Scriptura. Resp. Veniali, ùt est læsio juris humani, & in foro Reip. humanæ, potest respondere pœna gravis, Neg. aliàs quis posset capite plecti ob homicidium, quod constaret factum ex semi plena deliberatione veniali. Veniali, ùt est offensa Dei, & in foro Justitiæ vindicativæ divinæ, potest respondere pœna gravis, Transeat. Dico: *Transeat*; quia, sicut veniale est in genere moris quid leve, ideoque sine mortali possum alterum in id inducere; sic pœnæ purgatorii in foro alterius vitæ censentur quid leve, etsi relatè ad mala hujus vitæ sint quid grave.

Recteque docet Castrop. debere in quocunque genere boni, vel mali creati dari quid leve; simpliciter autem esse tale, colligitur ex eo, si facilè reparari, & amoveri possit. Et hinc excommunicatio minor, à qua facilis est absolutio, est quid leve. Cæterum, quia malum morale omne pejus est omni malo physico,

co, utpote aliqua offensa Dei; hinc ad id expiandum meritò infliguntur pœnæ purgatorii. Quod aliqui ob id vel morte fiat puniti, vel aliis gravibus malis, istud simul ad instructionem, & horrorem aliorum, factum est à Deo, qui vitam nobis auferre potest, nullâ præcedente culpâ. Culpa venialis respicit quidem totum damnum, sed imperfectè voluntarium: actio inculpabiliter damnosa etiam respicit totum damnum, nec tamen obligationem inducit restituendi.

Resp. 2. Qui grave damnum intulit per 524.
culpam semi deliberatam, ideoque venialem, titulo injustæ damnificationis probabiliter ad nihil tenetur. Ità Less. cum aliis citatis.

Culpa levis semi-deliberata nullam inducit obligationem restituendi.

Ratio est 1. Quia, cùm culpæ veniales semi deliberatæ procedant ex quadam inconsideratione, inadvertentiâ, & negligentiâ vix notabili, sintque ideo hominibus vix evitabiles; damna ex iis illata censentur quasi fortuitò evenisse; ut proinde dominus, restitutionem negligi, rationabiliter invitus esse non possit: præsertim, cùm & ipse meritò à se non velit exigi compensationem damni sic illati; cùm potiùs casu fortuito, quàm ex malitia provenerit.

2. Pars, quæ restituenda sit, vix determinari poterit: quis enim dicet, quid hìc & nunc delicto tali respondeat? Nam dici non potest, obligationem esse, restituendi partem notabilem, judicio prudentis determinandam: præterquam enim, quòd oppositum constet ex dictis, quis esset ille prudens, qui culpam ità perspiciat, ut neutri parti faciat injuriam?

Nec dicas, esse obligationem restituendi, saltem partem levem, infra quantitatem ad

mortale peccatum requisitam: nam, si ità est; ergo, qui splendidum sic accendit palatium, tenebitur restituere florenum crucifero minùs, ex supposito, quòd florenus requiratur ad gravem culpam injustitiæ: &, qui damnum floreni intulit. similiter ad idem tenebitur: aut, si contendis hunc teneri ad minus, determina, ad quantum teneatur.

Ex hoc consurgit Ratio 3tia. Obligatio restituendi colligenda est ex mutuo hominum consensu, quem daturi essent pro mutua societate, & pace servanda, si ante omnem eventum interrogarentur; si autem interrogarentur, non consentirent in illam restituendi obligationem; cùm damna sic causata, sint penè fortuita, & à quolibet facilè causari possint; nimiisque homines anxietatibus exponerentur, cùm vix sciri possit, quid sit restituendum, adeoque durius sit, ità obligari, quàm damnum, ferè fortuitò illatum, sine compensatione tolerare. Itaque, sicut ex voto & contractu semi deliberato non oritur obligatio, etiam ad quid leve, sic nec hic.

Si dicas; Omnis injuria damnosa exigit proportionatam sibi compensationem.

Resp. Id verum esse de injuria plenè voluntaria, non de ferè casuali, & imperfectè voluntaria.

Si dicas iterum: Æquitas postulat, ut reus potiùs patiatur, quàm innocens. Resp. Æquitas postulat, ut, quando res penè fortuitò perit, pereat suo domino. Sicut postulat, ut, qui plenè] voluntariè damnum intulit, id compenset.

Dixi: *Probabiliter ad nihil tenetur*. Nam sententia obligans ad partem levem damni com-

compensandam quoque probabilis est; quia per injuriam inducta est inæqualitas, & actus moralis imperfectus potest esse causa obligationis ad quid leve, suntque culpæ semi-plenè solùm deliberatæ, semi-fortuitæ, & semi voluntariæ. Quòd contractus & votum semi-deliberatum ad nihil obliget, ex eo est; quia nemo censetur, suam libertatem aliquid omittendi, vel agendi alienare, nisi operetur perfectè, ùt homo. Ita La Croix.

Notat Less. Rarò contingere, ut quis cum culpa levi ex parte actûs inferat grave damnum, eò quòd, etsi in actibus internis aliquando desit advertentia ad peccatum mortale sufficiens; quia actus illi facilè & sæpe oriuntur circa objecta, naturali inclinationi arridentia; id tamen rarò evenit in actibus externis, præsertim gravioribus: hi enim, cùm rarò contingant, suâ gravitate animum fortiùs pulsant, periculum ingerunt, mentemque ad considerationem excitant: quæ si præeunte suspicione gravis periculi negligatur, culpa gravis committetur, suscipiendo actionem graviter injuriosam, præsertim, cùm ad gravem culpam sufficiat cognitio confusa periculi gravis, aut diligentiæ majoris adhibendæ. Hinc, si non constet de contrario, præsumitur culpa gravis admissa, ubi cum aliqua advertentia posita est actio, vel omissio graviter læsiva alieni juris. Sic, qui alium occidit, tenetur compensare omnia damna ex occisione secuta; quia censetur prævidisse illa in confuso, aut culpabiliter ad ea non reflexisse. Imò in dubio de culpa, levisne, an gravis fuerit, favendum potiùs innocenti, quàm reo; quia actio est certa, & ex communiter contingentibus prudens est

325. *Rarò infertur damnum grave cum levi solùm culpa.*

præsumptio. Quodsi constet, nullam culpam intervenisse, nulla quoque erit obligatio.

QUÆSTIO V.

An, qui per culpas merè veniales, plenè deliberatas, successivè grave damnum intulit, sub mortali teneatur ad reparationem, titulo injustæ damnificationis?

Quæritur, an, qui multa furta levia commisit, nunquam reflectendo, se pervenire ad materiam gravem, sed per singula peccando solùm venialiter, abstulit materiam gravem, teneatur sub mortali restituere, etsi furto ablata nec in æquivalenti amplius existant, sed omnia dilapidaverit?

Negant aliqui Recentiores cum P. Dominico Viva in damnatam 29. ab Alexandro VII. n. 15. Econtra affirmat communissima Theologorum: quorum aliqui in probationem adducunt damnatam 38. ab Inn. XI. quæ sic habet: *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna Summa totalis.* Sed hæc propositio rectè damnatur, præscindendo à præsenti controversia: tum quia universaliter asserit, non esse obligationem, cùm tamen sæpe in ejusmodi intercurrat culpa gravis ob sufficientem advertentiam ad damnum tandem grave: tum, quia potest esse obligatio gravis ob res alienas adhuc in æquivalenti apud furem existentes; tum, quia propositio videtur supponere, quòd parva furta non coalescant in unam materiam gravem,

vem. Unde hâc probatione omissâ, nihilominus cum communissima teste La Croix num. 244.

Resp. Qui per plures actûs plenè deliberatos, sed veniales omnes ob parvitatem materiæ, cum ignorantia, aut inadvertentia inculpabili ad materiam tandem gravem, grave damnum intulit; tenetur sub mortali, non vi culpæ immediatè, sed ratione damni, plenè voluntariè illati, ad hujus reparationem, postquam advertit, hoc ità à se illatum esse, sive jam damnificatus sit unus, sive plures, aut communitas aliqua: idque, licèt ablata nec in æquivalenti existant. *Ratio est*; quia, licèt culpæ veniales formaliter non constituant mortalem, nec plures obligationes leves unam gravem; ubi tamen plures materiæ leves coalescunt in unam gravem, resultat obligatio gravis damnum grave, plenè voluntariè successivè illatum, reparandi. Hujus autem ratio à priori est; quia hoc ipso, quòd alteri sua auferas, jam tua illi, saltem mediatè, sunt devincta: proinde si plenè voluntariè illi auferas successivè quantitatem gravem, jam tua sunt illi quoad quantitatem gravem obligata, habetque jus activum exigens ex tuis quantitatem gravem, & tu passivum, seu obligationem illam extradendi; id si non facias, peccas mortaliter, injustè detinendo rem gravem alteri debitam; quam hic, si aliâ viâ non valeat sui damni obtinere compensationem, clam subducere posset.

326. *Sententia affirmativa probabilior.*

Confirmatur, & declaratur data ratio. Nam 1. Qui eidem personæ multis promissionibus se ex Justitia obligavit ad plures ejusdem rationis materias leves, ex quibus simul sumptis

consurgit gravis; obligatur sub mortali promissa implere; quia materia gravis est alteri debita; & idem est de promissione facta Deo. 2. Qui singulis anni diebus credito accipit panem unius cruciferi, vel singulis hebdomadis mutuò, accipit unum solidum, in fine tenetur sub mortali solvere; quia debita est materia gravis. Ex quibus patet, quòd causa immediata obligationis gravis non tam sint culpæ leves, quàm damnum grave plenè voluntariè illatum, adeoque, quod sic damnificans æquè teneatur vi materiæ, etsi non æquè vi demeriti; ac grave damnum inferens per mortale peccatum. Et idem videtur aliquibus dicendum de eo, qui diviti auferens v.g. duos ducatos, invincibiliter putavit, damnum respectu ipsius esse leve, adeoque peccavit formali peccato tantùm levi. Quanquam in hoc aliquod sit discrimen; eò quòd bonum commune exigat, ut per furta minuta inferens damnum grave teneatur sub mortali compensare ut homines deterreantur à furtis frequentandis, quò non satis valeret obligatio levis: at in altero casu non est periculum tantum; cùm non tam facilè alliciantur homines ad ejusmodi furta.

327. *Cur singulis ex communitate auferre, quid leve possit esse mortale?* Dixi in responsione: *Sive damnificatus sit unus, sive plures, aut communitas.* Nam sicut juxta omnes, qui simul à pluribus aufert plures materias leves, quæ simul sumptæ sunt quid grave, peccat mortaliter, teneturque ad restitutionem sub mortali: sic qui à pluribus successivè aufert materias leves, quæ collectivè sumptæ faciunt unam gravem, etsi fortè non peccet graviter, tenetur sub mortali restituere; cùm materiæ illæ, etiam pluribus sublatæ, coalescant in effectu, seu damno gravi, respe-

ctu Reip. humanæ, vel communitatis, etsi, ut damnum censeatur grave, tunc plus requiratur. *Ratio hujus est*; quia bona fortunæ ordinantur ad bonum commune, ità, ut debeat unus alium illis sublevare, ferendo onera. Hinc si spolietur unus, alli magìs gravantur, debetque Respublica quod uni aufertur, reputare quodammodo, & aliis auferri, ne homines alliciantur ad furta frequentanda cum gravi Reip. detrimento. Secùs omnia habent in læsione famæ, vel corporis in singulis levi, nisi tamen singulorum infamia redundaret in alios. Vide dicta de Peccatis, & Voto. La Croix L. 3. P. 1. N. 449. & hic N. 244. Item Viva in damnatam 38. ab Inn. XI. ubi dantur regulæ, ex quibus cognoscitur, quando plures materiæ leves in unam gravem coalescant.

328. *An sit sub mortali obligatio, totum grave damnum reparandi?*

An autem sit obligatio gravis totum damnum grave compensandi, vel materiam gravem restituendi, vel sufficiat ad vitandum mortale restituere tantum, ut reliquum non sit materia gravis? dubium est. Esse obligationem gravem restituendi totum, affirmat Esparsa, Medina, & quidam alii; Negat communior cum Sanch. La Croix N. 249. *Ratio est* 1. Quia auferre tantùm materiam levem non est mortale; ergo nec retinere. V g. furatus materiam levem non tenetur sub mortali restituere; ergo nec, si de sublata materia tantùm retineat partem levem. 2. Qui graviter læsit alterius famam, & eam eousque reparat, ut non maneat læsa graviter, non tenetur sub mortali ad majorem reparationem, ùt fatetur Esparsa; ergo à pari. Nec sequitur, esse obligationem gravem materiæ levis restituendæ, v. g. unius de 30. albis, secundùm se, sed ùt est

con-

constitutiva cum aliis retentis materiæ gravis, & hujus sublativa, si restituatur. Nec obligatio gravis sic respicit materiam gravem, ut tota debeat restitui sub mortali.

QUÆSTIO VI.

Ad quam restitutionem teneatur malæ fidei possessor, & damnificator formaliter injustus?

329. *Tenetur ad rem, damnum emergens, lucrum cessans.* Resp. Tenetur 1mò rem in natura, & in individuo, si adhuc existat, restituere conformiter dictis, si autem non existat amplius aut non possit eam in natura restituere, tenetur ad ejus æstimationem, & valorem.

2. Tenetur compensare omne damnum, emergens domino ex carentia rei suæ, per culpam injusti possessoris, aut damnificatoris, quodsi nullum emerserit ex hujus culpa, eo titulo non tenebitur. Unde si res perierit casu fortuito, minimeque injurioso, quo similiter apud dominum eodem tempore fuisset peritura, non tenetur ad æquivalens; quia res, certò mox apud dominum v. g. communi incendio peritura, nullius est pretii, sed moraliter reputatur pro non ampliùs habita, etsi in foro externo cogeretur restituere. Quodsi dubium esset, an apud dominum fuisset similiter peritura, tenebitur ad æquivalens; quia possessio est pro rei existentia, & jure domini. Similiter tenetur, si res per alterius injuriam fuisset apud dominum peritura, v. g. quia furto fuisset subducenda: nam, alium præveniendo injuriâ, obligationem subiit. Quod & tenet Lugo, Molina & alii probabiliùs, si ejus culpâ

culpâ periit, v. g. si donavit, consumpsit, etsi apud dominum casu fuisset peritura; quia existens apud iniquum possessorem res erat in meliori statu, qui proinde ad dominum pertinebat, ex quo eam dejiciens, domino injuriam fecit damnosam. Oppositum tenent Less. Vasq. &c. quia dominus non minus habet in rebus suis per consumptionem, quàm per casum fortuitum habuisset, resque mox peritura nullius censetur pretii: præsertim, si publicè constitisset, esse v. g. per direptionem hostium perituram. At si apud iniquum possessorem non fuisset similiter peritura, domino est facta injuria per consumptionem &c.

3. Tenetur compensare lucrum cessans. Tale autem non est, quod dominus absolutè potuisset percipere; sed quod percepturus fuisset: hoc enim tantùm decedit domino per injuriam alterius. Unde, qui pecuniam furto sublatam exposuit censui, vel negotiationi, non tenetur restituere lucrum, sed pecuniam tantùm, si dominus, ea relicta otiosa, non fuisset negotiaturus &c. quia pecunia domino non fructificat, nisi ipse illam negotiationi, ùt fit in contractu societatis, vel censui exponat. Sic nec tenetur iniquus possessor compensare lucrum, quod dominus illicitè per rem suam fuisset acquisiturus v. g. pecuniam dando ad usuras; quia dominus ad tale lucrum jus nullum habebat, in quo jam à tali possessore læditur. Si tamen iniquus possessor lucrum ex re aliena faceret, quod habeat se per modum fructûs rei, utì est locagium pro domo, hoc teneretur restituere. *Ratio* horum omnium est; quia dominus à tali læsus est non tantùm in re, sed etiam in toto lucro, quod justè

aliàs percepiſſet, & in damno emergente, habetque jam minus in rebus ſuis per injuriam alterius damnoſam. Unde exigit Juſtitia, ut hoc damnum totum compenſet, cùm nec bona fides, nec ignorantia eum excuſet. Neque enim neceſſe eſt eum omne in particulari damnum prævidiſſe, ſed ſatis eſt, cognoviſſe confusè, utì procul dubio cognovit, dominum ex rei ſuæ carentia fortè paſſurum damna, quæ ipſe proinde compenſanda omnia in ſe etiam nolens ſuſcepit.

Nec refert, quòd fortè ditior non ſit factus: hoc enim non domino, ſed ſibi imputare debet, cùm diteſcere inde potuiſſet; aut ſi non potuit, ipſe propriam ſuam potiùs, quàm dominus alienam culpam luat.

4. Tenetur reſtituere fructus rei omnes tum naturales, tum mixtos, quà naturales, tum civiles, qui naturalibus accenſentur, idque, ſive inde factus ſit ditior, ſive non. *Ratio eſt*; quia res fructificat ſuo domino. Proinde, ſi fructus conſumpſit, etſi factus non ſit ditior, injuriam damnoſam fecit domino. Quod & verum eſt, etſi dominus eos non fuiſſet percepturus, aut ſint ab iniquo poſſeſſore inhoneſtè percepti, modò ſint fructus rei. Quod ſi nullos perceperit, & dominus probabiliter tantùm fuiſſet percepturus, tenetur pro ratione dubii; quia, etſi fructus non ſint in poſſeſſione, in hac tamen eſt ſpes: quæ, proinde, conſiderato ſimul periculo, nullos percipiendi, compenſanda eſt. Si iniquus poſſeſſor bonâ fide putâſſet, quòd fructus, ſuâ concurrente induſtriâ, faciat ſuos, tenetur nihilominus eos reſtituere; ſi factus inde ſit ditior, vel dominus eos fuiſſet percepturus; ſi verò nec domi-

nus

nus fuisset eos percepturus, nec alter factus fit ditior, eos bonâ fide consumendo, sic consumptos restituere non tenetur.

Dixi: *Tum civiles, qui naturalibus accensentur.* Ejusmodi est lucrum ex domo elocata, quæ usu deterioratur, & quasi fructificat. Idem dic de lucro acquisito per elocationem alienæ servæ, vel animalis, non verò de lucro ex aliena pecunia, negotiationi, vel censui exposita, acquisito: hoc enim lucrum, cùm pecunia de se non sit frugifera, fructus est merè industrialis, qui manet ponenti industriam. La Croix L. 3. p. 2. n. 212. Hinc si fur equum alienum vendidisset, speciali suâ industriâ, summo pretio, & eum recipere non posset, ut domino restitueretur, tenetur tantùm ad pretium ordinarium, nisi tamen dominus aliunde damnum pateretur, ut jam dicetur. 5. Quando valor sivè in- sive extrinsecus rei, vel fructus fuit varius intra tempus, quo malæ fidei possessor eam primo eripuit domino, detinuit, vel consumpsit, aut vendidit, ut satisfiat Justitiæ, non solùm debet attendi ad tempus, quo dominus eam fuisset consumpturus, venditurus, destructurus, si ablata non fuisset; sed etiam ad tempus, quo iniquus possessor eam eripuit, aut consumpsit, vel distraxit. Ità Lugo, & alii communiùs. *Ratio est*; quia, ut satisfiat Justitiæ, debet inprimis tantum reddi, ut redeat æqualitas, habeatque dominus rei tantum in bonis suis, ac si res erepta non fuisset; deinde debet reddi, & compensari totum, ad quod jus domini se extendebat tempore consumptionis, vel alienationis: hoc autem fit, si attendatur valor utriusque dicti temporis, non verò, si attendatur tantùm valor, quem res habuit tempore, quo

quo eam Dominus erat alienaturus, aut consumpturus. Quod ostendo in exemplo: nam pono, quòd Titius in autumno superiore Cajo furatus sit pullum equinum, quem Cajus venditurus tunc erat 10. Imp. retinuit autem eum Titius annis 4. & deinde vendidit 40. Imp.; in hoc casu, si attendi tantùm deberet tempus, quo Dominus erat rem alienaturus, ùt vult Bon. satisfaceret Titius numerando Imp. 10. quod falsum est; quia pullus crescens crescebat Cajo, ejusque manebat, etiam dum valebat 40. ergo valor hic illi, detractis detrahendis, solvendus est.

E idem cum communi contra Lessium, Laym. Dicast. dicendum est, si valor extrinsecus, seu pretium vulgare, re apud furem existente, creverit, hicque tunc rem consumpserit, vel alienaverit, etsi tunc Dominus non fuisset rem consumpturus: ùt, si v. g. quis furatus est frumentum mense Februario, quo modius valebat medio Imperiali, & vendidit in Augusto, quo valebat Imperiali; tenetur pendere Domino pro modio Imperialem, etsi Dominus frumentum fuisset venditurus in Februario. *Ratio est*; quia etiam valor rei extrinsecus ad rem pertinet, estque ei moraliter intrinsecus; ergo fur vendens frumentum, domino injuriam fecit, secundùm eum valorem, damnosam: nec æquum est, ut quis ex re aliena, & suâ iniquitate lucrum habeat. *Confirmatur.* Si occidas equum alienum, teneris ad valorem pro tempore, quo occidisti, etsi Dominus nec eo usus, nec id pretium fuisset postea accepturus. Aliud foret, si frumentum periisset casu fortuito: nam tunc sine culpa furis periisset: unde satisfaceret restituendo pre-

pretium, quo dominus id fuisset venditurus, vel simile triticum, *Ex his resolves*

1. Si res aliena apud iniquum possessorem evasit melior, v. g. si equus, vel bos crevit, ager melioratus est, in fundo alieno plantatæ sunt arbores, res restituenda est cum omni illo incremento intrinseco, detractis tamen expensis necessariis, etiam à domino aliàs faciendis, nisi hæ per usum, vel lucrum ex re v. g. equo elocato sint compensatæ. 330. *Corollaria.*

2. Si dominus erat, v. g. triticum venditurus, vel in pauperes erogaturus, quando valebat modius Imperiali, & fur consumpsit, dum valet medio, tenetur restituere in singulos modios Imperialem, nisi tamen fur pretium reddidisset tam maturè, ut dominus potuisset eodem pretio simile emere, & hoc sine suo incommodo in tempus valoris summi reservare: tunc enim, si dominus non emat, sibi imputare debet.

3. Si fur consumpsit triticum, quando modius valebat medio Imperiali, crevit autem pretium, & dein iterum decrevit ad medium Imperialem, tunc, si dominus id erat servaturus in hoc ultimum tempus, fur satisfacit solvendo medium Imp. in singulos modios; quia dominus plus damni non est passus, nec injuriam damnosam aliam.

4. Si modius tritici hoc mense valeat medio imperiali, altero Imperiali, tertio iterum medio, dominus autem erat distracturus illud primo mense, fur autem servet illud ad tertium mensem, tuncque vendat, vel consumat; juxta Spor. & alios satisfacit solvendo medium Imp. Verùm attendendum, an, si secundo mense fuisset restitutum; uti debebat, dominus fuisset

id ſervaturus in tertium menſem, an verò diſtracturus, vel conſumpturus in ſecundo. Si primum, ſatisfacit ſolvendo medium Imperialem; ſecùs, ſi ſecundum.

5. Furatus pullum equinum valentem 10. qui creſcens valebat 40. ſervatus autem in ſenium valet tantùm 10. tenetur primò ſolvere decem, & dein omne lucrum ceſſans, & damnum emergens domino per expenſas in agros colendos, vel novum equum emendum &c. Si tamen dominus erat eum ſervaturus in idem quoque tempus, non tenetur ſolvere 40. quia, licèt perierit valor intermedii temporis, periit tamen ſine culpa damnoſa furis, ſimiliter periturus, ſi domino non fuiſſet ſubductus; ergo dominus non eſt paſſus hoc damnum ex culpa furis. Contradicunt tamen aliqui, eò quòd rem alienam detinere, dum pluris valet, ſit idem ac furari. Quodſi equus moreretur, ſimiliter moriturus apud dominum, ſatisfaceret compenſando omne damnum emergens, & lucrum ceſſans.

6. In dubio, an Dominus rem ſuam minore, vel majore pretio diſtracturus fuiſſet, reſtitutio facienda eſt pro ratione dubii arbitrio prudentis; quia debitum dubium non tanti valet, quanti certum, & in dubio poſſeſſionis non magìs favendum innocenti, quàm reo. Neque Domino dicenti, ſe rem fuiſſe vendit urum tempore ſummi pretii, neceſſariò credendum eſt, niſi accedant alia indicia, Laym. Lug &c.

7. Qui frumentum alienum furatus, transvexit in alium locum, & majori pretio vendidit, quàm Dominus id erat venditurus, non

tene-

tenetur augmentum pretii præstare Domino ; quia est fructus industriæ.

8. Qui frumentum alienum seminavit in agro suo, tenetur tantùm ad simile frumentum, vel pretium, ità tamen ; ùt Dominus servetur indemnis; quia frumentum in se quasi mortuum non fructificat, nisi ex virtute agri excitatum. Idem est, si quis aliena ova supponat gallinæ suæ excludenda. Tenetur enim ad ova tantùm.

9. Possessor etiam malæ fidei potest deducere tum laborem suum necessarium, & utilem, tum expensas necessarias independentes ab injuria; quia nemo debet ex alieno ditescere.

Probabiliter potest etiam aliquid deducere de merè voluntariis, quas fecit ad rei melioramenta, modò hæc, si Domino relinquat in hujus cedant utilitatem: Nam si sint melioramenta extrinseca, quæ facilè separari possunt, non transierunt in dominium Domini : hinc, si ea hic sibi velit retinere, æquum est, ut solvat pro iis pretium. Si sint extrinseca non facilè separabilia, iterum æquum est, ut expensas pro iis factas refundat, ne velit ditescere ex alieno; cùm non censeantur factæ gratis. Negatur quidem actio in foro externo repetendi expensas utiles, & voluntarias : sed lex illa pœnalis est, non obligans ante sententiam Judicis ; & re ipsâ rigor illius legis mitigatus est per *L.* 38. *ff. de hæred. poss.* Quodsi res ad Dominum redierit, putat Lugo, eum tutò posse expensas utiles non solvere ; quia, quando lex justè negat actionem in foro externo ad aliquid petendum, & debitori, si fortè solverit, concedit actionem ad repetendum, debitor potest in foro conscientiæ id retinere ; quia, quando lex

permittit, repeti solutum, tacitè permittit retineri, ùt probat Sanch. de Matrimonio L. 6. D. 38. N. 35. Negat tamen id Navarrus; quia possessor potest Jure naturæ repetere; lex autem concedens potestatem non solvendi, est pœnalis, quæ non obligat ante sententiam Judicis, nec potest privatâ authoritate executioni dari, cùm executio sit actus judicii.

Ex dictis patet, quid restituere teneatur, qui rem alienam successivè jam bonâ, jam malâ fide consumpsit: pro tempore enim bonæ fidei loquendum, sicut de possessore bonæ fidei; pro tempore autem malæ fidei pariter loquendum, sicut de possessore malæ fidei dixi.

QUÆSTIO VII.

An, & quando teneatur titulo injustæ damnificationis ad restitutionem, qui alium impedivit à consecutione alicujus boni.

331. *Impeditio à bono, ex justitia debito, est obnoxia restitutioni.* Resp. Imò. Qui alium impedivit solâ etiam suasione, vel precibus à consecutione boni, ipsi ex justitia debiti, sive habuerit Jus ad rem, sive in re; tenetur compensare damnum juxta mensuram Juris læsi, & certitudinem, vel probabilitatem majorem, vel minorem boni consequendi. *Ratio est*; quia fuit causa efficax injusta, ut alius non habeat, quod suum erat, aut ei debebatur; proin, si habebat Jus in re, impediens tenetur ad valorem illius rei: si verò solùm habuit Jus ad rem, v. g. quia res ei promissa est, quia electus, vel præsentatus fuit ad beneficium; tenetur restituere,

tuere, quanti Jus illud prudentum Judicio æstimabitur.

Hinc 1mò. Si pecuniam tibi traditam, ut
10. pauperibus distribuas secundùm eorum merita, secùs, ac tibi commissum fuit, distribuisti, teneris læsis restituere; quia Jus habebant ad partem meritis suis proportionatam, à qua eos impedivisti; donator enim dederat pauperibus, & tu pro iis acceptâsti.

2. Si injustè revelâsti alterius crimen occultum, etsi verum, sicque eum impedivisti à consecutione boni debiti, teneris compensare damna famæ, & alia.

3. Item si impedias injustè Titium, ne utatur jure suo, v. g. exercendi suam artem, operam locandi, petendi aliquid, &c. quilibet enim habet Jus utendi Jure suo, quod Jus tunc violatur.

4. Si Procuratorem Titii, vel Tabellarium literas deferentem ad Cajum, detineas prætextu recreationis, vel potationis, sciens hanc detentionem nocituram Titio, teneris compensare damnum secutum; quia Titius Jus habebat ad diligentem curam procuratoris sui, quod violâsti. La Croix N. 69.

Resp. 2. Qui vi, fraude, vel dolo, aut mi- 332.
nis, detractione, calumniâ, mendacio, vel *Et à non*
alio modo injusto alium idoneum impedivit à *debito*,
consecutione boni, v. g. beneficii, vel officii, *facta*
doni, legati non debiti ex justitia, tenetur re- *per*
stituere, quanti judicio prudenti ea spes ipsi *fraudē*,
valebat. Si verò impedivit sine dolo, fraude, *vim &c.*
&c. ad nullam compensationem tenetur, etsi ex odio id fecisset. Est communis. *Ratio 1mæ partis est*; quia licèt impeditus non habeat Jus strictum ad tale bonum, Jus tamen

 habet,

habet, ne ab ejus consecutione per vim, fraudem, mendacium, &c. impediatur, idque sive vis, vel fraus exerceatur circa eum, qui impeditur; ùt si quis eum vi detineat, deterreat, ne petat, aut decipiat: sive circa collatorem, v.g. minando, ne conferat, vel falsò persuadendo, alterum esse indignum.

Ratio 2dæ partis est; quia, si absque fraude, vi, &c. impedivit à bono, non debito ex justitia, non fecit injuriam impedito, cùm Jus ad bonum non habeat, & impediens liberum cuique relinquat, gratificari ei, si velit, nullamque viam injustam adhibeat.

Nec obstat, quòd alter fortè statuerit donare; quia sicut hic potest sine injuria mutare voluntatem, sic potest, propositis à me motivis, sine fraude, dolo, mendacio, &c. inflecti ad illam mutandam: odium autem seu animus nocendi per medium non injustum, & in iis, in quibus potest quis alioquin nocere absque injuria, charitati, non verò justitiæ opponitur.

333. *Sensus principii: Qui per fraudẽ, &c.* *Notandum* tamen principium illud, quod is, qui per fraudem, vel mendacium impedivit alium à consecutione boni, licitè obtinibilis, non intelligi uniformiter ab omnibus: nam aliqui id intelligunt universim; Sanch. verò Lugo, Less. & alii apud La Croix hìc N. 82. contendunt verum tantùm esse; quando bonum alterius impeditur per actiones per se, & proximè conjunctas cum damno, non verò si impediatur per actiones remotè tantùm, & per accidens cum eo conjunctas: Non enim has, sed primas Justitia videtur prohibere, utpote tantùm efficaciter, & per se influentes in damnum.

Hinc

Hinc 1mò. Si etiam justè interrogatus à Judice, fraude, vel mendacio declines mulctam tibi vel alteri imponendam ob delictum, probabiliter non teneris ad restitutionem, non tantùm; quia Fiscus ante sententiam non habet Jus ad illam mulctam; sed etiam quia fraus, vel mendacium videtur tantùm remotè, & per accidens conjungi cum illo damno ærarii Principis, cùm directè tendat ad damnum à se, vel altero avertendum. Idem dicunt de eo, qui per fraudem impedivit, ne quis accusetur, & cogatur pendere mulctam. Ex eodem fundamento docent Beja P. 1. Cas. 58. & Lugo testes, advocatos, aliosque similes, qui falsò defendunt reum, ne mulctetur, non teneri Fisco refundere hanc mulctam; imo nec procuratorem fiscalem teneri restituere, si causa sit, cur Fiscus non accipiat mulctam, tenent Less. Vasq. Tannerus, Diana, Sotus, Lugo, Illsung Tr. 1. D. 2. N. 77. Idem dicunt de Judice, qui reo mulctam non imposuit, vel sine causa relaxavit, aut imminuit; tum quia eorum officia primariò ordinata sunt, ut delicta delata non fiant, secundariò autem ad emolumentum Fisci; tum quia mulcta est tantùm debita ex justitia vindicativa, quæ non inducit obligationem restituendi. Ex quo sequitur, quòd custodes vinearum, sylvarum, piscinarum, gabellarum, urbium, &c. etsi teneantur compensare damna ex eorum negligentia secuta directè, probabiliter tamen non teneantur compensare mulctam, quam dare debuissent, qui damna intulerunt. Sporer de restit. in communi Cap. 3. Sect. 1. N. 38. in quibus tamen contradicunt alii, præsertim di-

334. *Corollaria.*

ctis de Judice, Fiscali Procuratore, Advocato, & ubi fraus intervenit.

2. Qui effringit litteras alienas, aut detinet, dum tenebatur ex officio tradere equidem tenetur de damno secuto. Si autem litteras alterius, quærentis v. g. beneficium vacans, per artificium legit, vel apertas iterum clausit, & debito tempore tradidit, & ipse præveniens beneficium obtinuit, non teneri restituere damnum, docent Less. L. 2. C. 12. N. 131. Castrop. de Benef. D. 2. Pu. 11. P. 5. N. 7. eò quòd damnum indirectè, & per accidens sequatur ex notitia injustè acquisita, directè autem, & per se ex Jure, quod habebat ad petendum illud beneficium post acceptam notitiam. Sed contradicunt alii, eò quòd damnum videatur proximè secutum ex injusta litterarum lectione. Idem dicunt de eo, qui litteras alienas minutim laceratas, fragmentis collectis, & in ordinem redactis, legisset, & notitia inde hausta alium impedivisset à bono sperato: quia lacerans litteras satìs ostendit, se invitum esse, ut litteræ ab alio legantur. Sed negat Castrop. Cajet. Lugo, injustam esse illam lectionem.

3. Si Ludimagister, vel Præceptor sine vi, fraude, mendacio alliciat ad se discipulos, non tenetur damnum, si quod alii patiantur compensare; quia cuilibet licet bono suo consulere: putat tamen Sanch. peccaturum graviter contra charitatem, si jam discipuli essent sub aliis, & hi grave damnum paterentur; sed à mortali excusat Lugo; tum quia non agit contra justitiam; alii enim non habent Jus strictum ad illos discipulos; sed sicut hi suâ sponte ad alium poterant recedere, sic sine fraude, mendacio id cum justa

justa causa licet suadere; tum quia charitas non exigit, ut commodum meum in favorem alterius negligam, & sic excusantur Advocati, Medici, Mercatores, aliique similes, qui sine vi, fraude, mendacio ad se attrahunt homines, qui alios adibant.

4. Si carens conditione substantiali ad dandum suffragium, dares tamen Cajo, & ità impedires Titium aliàs consecuturum v. g. præbendam, tenereris compensare damnum; quia per fraudem injustè impedivisses. Secùs, si caruisses tantùm conditione accidentali, v. g. inscriptione in matriculam Philosophorum.

5. Tenetur compensare damnum, qui per fraudem, mendacium impedivit pauperem eleëmosynâ dignum ab ejus consecutione. Item qui sic impedivit, ne testamentum in alicujus favorem conderetur.

6. Si Religiosus sine vi, fraude, & mendacio suadeat testatori, ut potiùs suo monasterio legata relinquat, quàm matrici Ecclesiæ; peccat quidem graviter contra obedientiam, ùt constat ex *Clement. I. de privilegiis*, non tenetur tamen ad restitutionem; quia Ecclesiæ matrici nullum est Jus acquisitum per illud præceptum. Imò putat Sanch. non peccaturum, si faceret bono zelo, nec peteret sibi vel amicis suis relinqui. Ità ferè La Croix L. 3. P. 2. N. 74. 335.

Non tamen, si à consecutione illicita vi, vel fraude impeditio fiat.

Resp. 3. Qui alium impedivit ab illicita alicujus boni consecutione, non tenetur ad restitutionem, etsi id fraude, dolo, vel mendacio fecerit; quia licèt per mendacium &c. peccârit, non fecit tamen injuriam alteri, in quantum eum impedivit à boni consecutione illicita; ad hanc enim is Jus non habet, nec exigit

exigit Justitia, ut non impediatur fraude. Sic non tenetur 1mò, qui furem per vim, mendacium, &c. impedivit, quò minùs furaretur: Nec 2. Qui impedivit donationem, vel contractum alium illicitum; quia jure impeditur proximi peccatum. Nec 3. Qui à consecutione beneficii impedivit indignum, aut minùs dignum, dum huic licitè conferri non poterat. Si tamen calumnia vel detractione impedivisset, teneretur ad restitutionem famæ. Quid dicendum de defraudantibus vectigalia, gabellas, &c. dixi P. 1. N. 228.

QUÆSTIO VIII.

An, & quando obligatio restituendi titulo injustæ acceptionis oriatur ex acceptione turpis lucri?

Turpe lucrum. Turpe lucrum dicitur, quod quis accipit pro actione; vel omissione illicita, vel in se bona quidem, sed debita: unde quæritur 1mò. An teneatur restituere, qui accepit aliquid pro actione, vel omissione debita ex justitia. 2. An teneatur, si actio fuit debita ex alia virtute, v. g. ex charitate; religione, &c. 3. An retinere quis possit, quod accepit ob commissam jam turpitudinem, vi contractûs antecedenter initi, ad quæ

336. *Pro debito ex justitia nequit aliquid admitti.* Resp. 1. Qui accepit aliquid ab aliquo in compensationem, vel pretium pro actione, vel omissione, ad quam jam ante obligabatur ex justitia ipsi danti, vel tertio, tenetur ex injusta acceptione ad restitutionem; quia vendidit alteri, quod jam antè erat ipsi, vel alteri stricto jure debitum: proinde erga pretium illi nihil

nihil præstat, quod ipsius non fuerit, saltem exigitivè ex justitia. Quodsi fuisset liberalis donatio, retineri quidem posset, spectato jure naturæ: sed id communiter præsumi non potest; quia non solent homines pro actionibus, sibi ex justitia debitis, esse liberales, sed potiùs dant ad redimendam vexam injustam.

Hinc ad restitutionem tenetur 1mò Judex, qui pro sententia justa pretium accepit.

2. Qui pretium à te accepit, ut tua tibi non furaretur, ut depositum, commodatum reddéret, ut tibi, vel alteri debitum solveret. Si tamen quis daret aliquid præcisè, ut averteret alium ab offensa Dei, vel ab interitu suo: vel si aliquid ei daret, ut omitteret, v. g. latrocinia, censeretur merè liberalis donatio, & retineri posset. 337. *Corollaria.*

3. Tenetur testis, pretium accipiens pro vero testimonio, ad quod ex justitia tenetur. Secùs, si accepisset aliquid pro labore itineris, sumptibus, damno, periculo, quod prudenter inde metuit.

4. Qui accepit aliquid, ut rem inventam restituat, tanquam debitum ex justitia, nisi sumptus in gratiam domini facere debuerit, aut aliquid inventori promissum, aut decretum sit.

5. Minister publicus, qui muneribus adducitur, ut præstet, quod ex justitia præstare debet, qui, nisi dentur munera, negligens est, qui priùs juvat eos, qui munera offerunt, & ità illa impetrat.

Resp. 2. Qui accipit aliquid propter actionem, vel omissionem, ad quam jam antè tenebatur tantùm ex virtute à justitia distincta, v. g. ex charitate, vel religione, non tenetur quidem 338. *An pro debito ex alia virtute?*

quidem jure naturæ ad restitutionem præcisè; quia accepit ob actionem illam: aliunde tamen peccare, & obligari potest ad restitutionem. Ità Lugo, Haun. & alii contra alios.

Ratio 1mæ partis est; quia, quando actio, vel omissio non est debita ex justitia, potest esse pretio æstimabilis; ergo, quòd aliquid accipiatur pro ea, ex eo præcisè non fit injuria. Sic 1mò non tenetur ad restitutionem, qui accepit aliquid ut in Paschate communicet, ut non peccet contra religionem, ut alteri non neget officium charitatis &c. 2. Custos sylvæ accipiens aliquid, ut alterum permittat ligna cædere; quia illa permissio, seu commoditas est cædenti pretio æstimabilis, consequenter pecuniæ acceptio non repugnat justitiæ, quanquam tenetur custos Domino sylvæ damna compensare, si quæ illata sunt. 3. Qui ex charitate tenetur v. g. incendium extinguere, & pretium accipit, ut extinguat, & quanquam datio procedat ex metu; hic tamen non tollit voluntarium sufficiens, nec vexa repugnat Justitiæ. La Croix n. 295.

Ratio 2dæ partis est; quia contingere potest; ut actio non sit pretio æstimabilis: ùt, si dives ex misericordia obligatus ad dandum hìc & nunc egenti mutuum, nollet, nisi pretio motus à tertio. Fieri quoque potest, ut, pretio accepto, opus virtutis debitum quoad substantiam integrè non ponatur: ùt, si quis vovisset Ecclesiæ dare calicem 50. aureorum, & dein voti pœnitens nollet dare, nisi ab Ecclesia, vel alio tertio acciperet 20. in compensationem: hoc enim casu non daret de suo, ùt vovit, 50. Idem est, si beneficiatus aliquid acciperet ab alio, ut proventus superfluos

ßuos merè beneficiales eroget in usus pios: his enim casibus est obligatio restituendi, & universim, quoties pretii, vel compensationis acceptatio facit, quominùs opus debitum quoad substantiam vel necessariam qualitatem ponatur, cùm tamen virtus illa, ex qua debebatur, id integrè poni pergit urgere. Videri potest Lugo D. 18. N. 70.

Dixi: *Non tenetur jure naturæ:* nam aliud in quibusdam jure positivo statutum est, utì in materia Simoniæ Juris Ecclesiastici, in quo accipiens pretium redditur inhabilis ad acquirendum dominium.

Nec dicas, quòd ex virtute debetur, gratis præstandum est: nam etsi id verum sit de debito justitiæ, non tamen de debito alterius virtutis: sic Medicus in urbe unicus tenetur quidem ex charitate curare infirmum divitem, non tenetur tamen curare gratis; infirmum autem extremè egentem tenetur gratis curare. Si tamen pro hoc pecuniam ab alio admittat, non tenetur ad restitutionem; dans enim pecuniam, vel curationem proximi sibi utilem reputat, vel gratis dat.

Resp. 3. Qui pretium accepit pro actione mala facienda, vel debitâ omittenda, ante actionem, vel omissionem tenetur id restituere; quia contractus est irritus, utpote obligans ad malum: ergo vi ejus acceptum retineri non potest. Secùs esset, si esset datum aliquid tibi ex sola spe alliciendi, etsi animo non faciendi acceptâsses; quia donatio foret liberalis. Econtra acceptum, pro actione jam posita condignum, potest retineri, saltem spectato jure naturæ, ùt habet ferè communis cum S. Th. quia ubi actio alteri utilis, vel delecta-

339. *Ad quid teneatur, qui pro actione mala accepit pretium?*

lectabilis est posita, acceptio pretii nec est necessariò turpis, nec injusta, sed potiùs debetur pretium ex justitia vi contractus conditionati comitantis, qui positâ conditione transit in absolutum.

Dixi: *Spectato jure naturæ*: Nam quidam apud Less. C. 14. N. 60. putant acceptum pro patrato crimine, punibili in foro externo, restituendum esse, eò quòd leges contractum irritent, quod negat communior, tenens leges tantùm non assistere in foro externo. Utraque sententia teste Lessio probabilis est, quam utramque spectans Confessarius poterit injungere pœnitenti, ut, qui pecuniam accepit pro opere turpi, eroget pauperibus, uti &, si necdum numerata est, is, qui addixit eam: neuter enim dignus est, ut retineat. Vide dicta sub N. 109.

CAPUT IV.

De obligatione restitutionis titulo injustæ cooperationis ad damnum alienum.

QUÆSTIO I.

Quibus modis quis cooperari possit ad alterius damnum?

340. *Novem modis.* Resp. Variis, quos Theologi cum S. Th. 2.2. q. 62. a. 7. ad novem reducunt, his versibus comprehensos.

Jussio,

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus, Participans, mutus, non obstans, non manifestans

Unde causæ cooperantes novem sunt: nempe mandans, consulens, consentiens, Palpo, seu adulator, receptator, participans, mutus, non obstans, non manifestans, quarum sex priores sunt causæ positivæ, utpote activè influentes: tres verò posteriores negativæ; quia omittentes solùm actionem, quam ex justitia ponere deberent. Explico singulas

1mò. *Mandans* dicitur, qui ut damnum inferatur, jubet, vel expressè, v. g. fac hoc: vel tacitè; utì si Dominus famulo, Pater filio, vel alteri, qui ejus imperio moveatur, dicat: vindictam ex tali opto: vellem, ut tali inferretur tale damnum: foret mihi gratum, si quis isti tale malum inferret.

2. *Consulens* dicitur is, qui consilio, vel precibus, promissis, suggestione motivi, vel ostensione viæ, aut modi nocendi alium induoit ad damnum inferendum.

3. *Consentiens* dicitur is, qui suâ approbatione, favore, suffragio promovet, ut damnum inferatur.

4. *Palpo* dicitur, qui laudando, adulando, vituperando, exprobrando ignaviam, movet alium ad damnificandum.

5. *Receptans* dicitur, qui præstat patrocinium, assecurationem, occultationem, fiduciam, unde alius fiat audacior ad damna inferenda, vel non compensanda &c.

6. *Participans* dicitur, qui est particeps seu socius actionis damnosæ adjuvando, explorando, vigilando, ut socios moneat, comitando, ut defendat, claves, aliave instrumenta

tra-

tradendo, applicando, aut tenendo v.g. ſcalas, res furto ſublatas vendendo, aliove modo ſuam operam conferendo, & hinc dicitur injuſtæ acceptionis partem capere.

7. *Mutus* dicitur, qui ante damnum illatum non loquitur, non monet, non clamat, dum tenetur ad id ex officio vel contractu.

8. *Non obſtans* dicitur, qui, dum damnum infertur, non impedit, rem non cuſtodit, perſonam non defendit, obligatus ad id ex juſtitia.

9. *Non manifeſtans* dicitur, qui poſt damnum illatum Domino non manifeſtat damnificatorem, ubi id neceſſe eſt ad damnum recuperandum, vel eum antè non manifeſtat, ubi aliter damnum averti non poteſt, cum tamen ex juſtitia ad id teneatur.

QUÆSTIO II.

Quid requiratur, ut quis, uno ex prædictis modis cooperando ad injuſtam damnificationem, teneatur reſtituere?

341. *Requiritur influxus in damnum.* Reſp. Requiritur, & ſufficit, quòd verè & efficaciter uno ex prædictis modo liberè influxerit, Domino rationabiliter invito. *Ratio eſt*; quia, ſi non influxerit, non eſt cauſa damni, per conſequens injuriam non fecit, adeoque nec ad reſtitutionem tenetur, ſi autem verè, efficaciter, & liberè influxerit, jam damnum illi, ut cauſæ, ſeu phyſicæ, ſeu morali imputatur, & ſicut ſuâ cooperatione inæqualitatem induxit, juſtitiæ oppoſitam, ſic etiam tollere tenebitur.

Dixi *Domino rationabiliter invito*: quia con-

contingere potest, ut dominus non possit esse rationabiliter invitus: ùt si quis metu gravi, & cadente in virum constantem, adigeretur ad cooperandum per actiones indifferentes juris alieni non læsivas, nisi ex intentione furis, illis ad malum abutentis, aut ex gravi metu cogeretur juvare in avehenda, vel asportanda re aliena vel abigendo pecore per furtum subducto: tunc enim cooperans non peccat, nec domino injuriam facit, cùm dominus non possit esse rationabiliter invitus. Sic nec esse potest, si fur ipse, ex metu justo gravis mali, rem non statim restituat, sed deferat eam de loco in locum, ne incurrat v. g. periculum imminens mortis. At quando dominus est rationabiliter invitus, actioque intrinsecè mala, eam non licet metu gravis mali ponere, v. g. non licet alienas ædes perfringere, pecora ex stabulo exigere, in bello injusto tormenta explodere in hostes. *Ex his deduco sequentia.*

1. Si mandans revocet efficaciter mandatum suum ante executionem ejus, & revocationem suam mandatario seriò intimaverit, non tenetur ad restitutionem; quia per revocationem tollitur tota efficacia mandati. Si tamen mandatarius, revocationis mandati immemor, aut existimans, revocationem domino non fuisse seriam, damnum intulisset, teneretur mandans compensare damnum. Idem dic, si mandans, injuriam sibi factam exaggerans, animum mandatarii in alium exasperâsset, & mandatarius ex ea commotione damnum inferret: tunc enim hoc sequeretur ex suggestione motivi. 342. *Corollaria.*

2. Non tenetur consulens, qui ante execu-

tionem revocat consilium suum, ità, ut omnem vim ejus motivam elidat: v. g. si ostendat, rationem esse falsam, quâ unicè alter aliàs ab ipso motus fuisset: si ostendat, contractum esse illicitum, quem dixerat licitum, & suaserat. Secùs si eam non elidat: v. g. quia ratio utilis, aut delectabilis suggesta, aut modus exequendi, aliàs ignotus, movere pergit; quia tunc consulens verè adhuc est causa damni: sicut si ignem injeceris alienæ domui, quæ conflagret, es causa damni, quantumcunque postea conatus fueris ignem extinguere. Contra verò, si quis precibus, blanditiis, vel promissis alium ad nocendum induxerit, & ante executionem ostendat, sibi displicere, propositum se mutâsse, & promissa revocare, non est causa damni postea illati, nec tenetur restituere; quia tollit omnem rationem agendi à se propositam, motionemque à se impressam. Si tamen consilio suo concurrat ad damnum, tenetur ad restitutionem, etsi sine consilio fuisset ponendum; quia verè existit causa damni: sicut, si occidat, certò ab alio occidendum, homicida est, & tenetur hæredibus compensare damna. Hinc Consiliarii omnes Regum & Principum tenentur ad damna, ex injusto bello secuta, si ab illorum consensu bellum pendebat, etsi sine unius consensu nihilominus decretum fuisset. Similiter teneris, si Cajo determinato ad furandum plus Petro, vel Paulo minus, determines eum, ut Paulo minus furetur; quia Paulus jus habet, ne lædatur etiam in suo minore, estque rationabiliter invitus, nisi damnum Pauli esset tam leve, ut ex charitate teneretur id pati ad impediendum damnum majus Petri pauperis. Econtra, si Cajus fuisset de-

termi-

terminatus ad auferendum multum Petro, & persuaderes, ut tantùm parum ei furaretur, non teneris; quia non tam damnum, quàm imminutionem ejus suaderes, & utiliter ageres rem Petri.

3. Qui consentit in sententiam, legem injustam, vel electionem indigni ad beneficium, vel officium, tenetur de damno, etsi electio sine ejus suffragio fuisset ponenda. Si tamen jam ante ejus suffragium res fuisset definita per suffragia antecedentia, nec à sequentibus penderet amplius, & roboraretur, peccaret quidem consentiendo, non teneretur tamen de damno; quia non esset causá damni efficax. Ità communis. Contradicunt tamen aliqui, eò quòd, etiam intuitu ejus suffragii, detur damnum executioni. Quodsi potuisset impedire electionem injustam, & emansisset, teneretur de damnis; quia elector tenetur ex officio impedire electionem injustam, per consequens tenebitur saltem tanquam mutus, vel non obstans, compensare damna.

4. Qui induxit alium ad damnum inferendum, proponendo laudem, vel ignominiæ vitationem, ex facinore secuturam, tenetur de damnis; non tamen, qui facinus jam factum approbavit, vel ratum habuit, nisi causa sit, cur non fiat restitutio, aut nova damna inferantur; qui damni jam illati causa non est. *Nec obstat regula Juris* 10. *in* 6. dicens: Ratihabitionem retrotrahi, & mandato comparari: nam intelligi debet præsertim de contractibus, qui alterius nescientis nomine celebrati, & à consensu ejus pendentes, subsequente ratihabitione confirmantur. Comparatur quoque ratihabitio mandato quoad cul-

pam, & pœnas, effectusque aliquos in foro externo à jure expressos. Sic *Can. Cùm quis de Sent. Excom. in 6.* excommunicatur is, qui violentam injectionem manuum in Clericum, suo nomine factam, ratam habet. Sed hæc ad restitutionem, aliosque effectus in jure non expressos extendi non debent.

5. Etsi ad restitutionem teneatur, qui alteri securitatem, ac fiduciam præstat, ad damnum vel inferendum, vel non resarciendum, rem furtivam custodit, ut furi servet, furem, vel ejus instrumenta occultat, ut ità foveatur ejus furandi intentio: uti &, qui recipit filium, dilapidantem bona patris; non tamen, qui, delicto jam commisso, furem, dum à lictoribus quæritur, occultat solùm, vel juvat ad fugam, ne capiatur; quia non est causa damni, nec censetur ei cooperari, etsi fortè ex periculo elapsus, damna aliis adhuc sit illaturus; quia damna ex occultatione non per se, sed per accidens sequuntur, cùm ea tantùm ordinetur ad furem periculo eripiendum. Reliqua constant ex dictis.

QUÆSTIO III.

Quantum singuli, cooperatores ad damnum, teneantur restituere titulo injustæ cooperationis?

343. *Pendet ex influxu.* Resp. Id pensandum est ex influxu in damnum præstito: in tantum enim quisque tenetur, in quantum causa fuit damni. Unde

1. Si plures mutuo consilio, nutu, auxilio animati, ad grave damnum concurrerunt, tametsi singuli immediatè physicè per se ipsos exi-

exiguum damnum intulerint; omnes tamen & singuli mortaliter peccârunt, tenenturque singuli in aliorum defectu ad totius damni compensationem; quia singuli fuerunt causa totius damni totalitate effectûs, etsi non totalitate causæ. Si verò seorsim, & absque mutua societate damnum intulerint, tenetur quisque solùm ad suæ partis restitutionem; quia tunc alter alteri non cooperatur formaliter, sed purè materialiter, & per accidens; perinde ac si uno, botrum ex vinea auferente, alter auferat mergitem ex agro, tertius nummum ex arca. Sic enim non sunt causa singuli damni totius, sed quisque suæ tantùm partis: nemo autem tenetur compensare damnum, cujus causa non fuit. Et idem probabiliùs dicendum cum Molina, Layman, Oviedo, si quis suo tantùm exemplo præbuit alteri occasionem nocendi proximo; quia sola occasio non est causa damni per se proxima. V. 442. si dicas 2.

2. Si totus exercitus, cum hoste congrediens, gravia damna causet parti innocenti, vel tota legio ruat in prædam injustam, de rigore quidem in defectu causæ principalis v. g. mandantis, tenentur singuli milites in solidum; quia damna causantur à singulis, ùt conjunctis in unum corpus: ex præsumpta tamen dominorum voluntate, inquit Molina, satisfaciunt plerumque, reparando partem damni à se illatam.

3. Si plures concurrant ad spoliandum viatorem, ad expilandam villam, singuli tenentur in defectu aliorum ad totum damnum resarciendum. Navar. tamen, Sylvest. Adrianus, Lugo D. 19. N. 82. probabiliter sic distinguunt: Qui sic cooperantur ad damnum alterius, ut,

positâ suâ cooperatione, sequatur totum damnum, & eâ sublatâ, non sequatur, tenentur singuli ad totum damnum in defectu aliorum; uti, si quis furi murum ascendenti succollet, vel scalam teneat, vel subministret, sine quo ascendere, & furari non potuisset. Si verò, seclusâ alicujus operatione, totum damnum nihilominùs fuisset secutum, tenent hunc non teneri, nisi secundùm influxum suum partialem; eò quòd is tantùm fuerit causa partialis damni. Secùs, si damnum aliàs non fuisset secutum; quia tunc simul constituit unam causam adæquatam totius damni. Vide Less.

4. Qui cooperatus est, non ad damni substantiam, sed ad solas circumstantias v. g. loci, modi, temporis, non tenetur ad restitutionem, nisi secundùm æstimationem illius circumstantiæ, ad quam est cooperatus, sive quanti intererat domini, non fieri damnum cum illa circumstantia. *Ratio est*; quia, sicut circumstantiæ differunt à substantia damni, ità æquum est, ut diversum quoque restituendi onus illi respondeat: proinde non debet obligari ad substantiam, qui solùm nocuit in circumstantia. *Nec refert*, quòd circumstantiæ non possint poni separatim à substantia; quia non ideo necesse est, eas poni per eandem causam moralem; sed principalis, jam ad damni substantiam determinata, præsupponi potest, quæ dein à superveniente v. g. suasione determinetur ad damnificandum in eâdem substantiâ alio modo solùm.

5. Si dubium sit, an ex tuo mandato, consilio, consensu damnum sit secutum, & re diligenter examinatâ, dubium maneat, teneris ad restitutionem, saltem pro ratione dubii; quia

quia actio tua est in possessione potiùs, quàm immunitas; cùm enim actionem injustam posueris, & effectus re ipsâ sit secutus, censenda est actio tua influxisse, donec probetur oppositum, cùm ordinariè influat, & alius sine tua v. g. suasione, aut mandato, non præsumatur fuisse peccaturus.

Oppositum tenet Lessius, Dicast. nisi moraliter certus sis, de influxu actionis tuæ; quia immunitas videtur esse in possessione, & reus in pari causa secundùm leges est absolvendus. Favet his S. Th. hîc Q. 62. A. 7.

QUÆSTIO IV.

Quo ordine ad restitutionem teneantur cooperatores ad damnum alterius?

Resp. 1*mo loco* tenetur detentor rei alienæ, apud quem adhuc in se, vel in æquivalenti existit, quia is non tantùm tenetur ratione injustæ acceptionis, sed etiam ratione rei acceptæ, qui titulus major est: cùm jus domini constanter rei adhæreat, ratione cujus clamat ad dominum. Detentori æquiparatur, qui rem malâ fide, sciens, aut saltem dubitans esse alienam, consumpsit; quia consumendo injuriam fecit, & commodum, vel delectationem percepit: injuria autem non debet eum liberare ab onere primo loco restituendi; &, qui commodum sensit, & sentire debet & onus. 344. *1mo detentor, dein causa principalis.*

2*do loco* tenetur mandans, si nempe actio fuit purè damnificativa, neque res apud alium existit, etiam in æquivalenti, nec malâ fide consumpta est. *Ratio est*; quia mandans est causa principalis; executor autem ejus velut instru-

instrumentum: nam damnum non solùm mandantis motione, sed ejus etiam nomine, & authoritate, executori quandam moralem necessitatem imprimente, causatur. Mandanti æquiparatur, qui fraude induxit, vel vi, aut metu gravi compulit ad damnum inferendum, & cui alter non est ausus contradicere. Item, qui rogavit, vel suasit, ut alter suo nomine tantùm damnum inferret. Tum enim est causa principalis movens instar finis & causæ moralis efficientis cæteras, censeturque onus restituendi in se suscipere, seque habet instar mandantis: ergo ante alios tenetur. Ità Less. Si hi deficiant, vel non possint, vel nolint restituere tenetur.

3tio loco executor eorum: quia est causa principalis post mandantem; alii verò sunt causæ secundariæ: magìs enim influit, quàm alii, cùm non tantùm sit cooperans, sed physicè operans, & damnum inferens, aliique ei quodammodo deserviant; nisi tamen, inito priùs consilio, omnium nomine damnum inferat, v. g. domum incendat: tunc enim omnes pro rata tenerentur æquè primò. Idem est de consulente, & executore, si consilium cedat in utriusque utilitatem. Item, si consulens donis, vel precibus induxit ad executionem: tunc enim est causa æquè principalis, adeoque æquè primò pro rata tenetur. Si autem Consilium cedat in unius tantùm utilitatem, hic solus tenetur ad totum, alter in hujus defectu.

4to loco in priorum defectu cæteræ causæ positivæ, nempe consulens, consentiens, laudans, receptans, adjuvans, tenentur singuli ad suam partem secundùm proportionem suæ cooperationis sine ordine inter se; quia una non est cooperata ad damnum mediante alte-

râ, nec ùt instrumentum alterius ; vel alterius nomine: unde una non est causa principalis respectu alterius ; ergo si mandans, vel executor non restituat , causæ secundariæ tenentur pro rata restituere secundùm influxum majorem, & minorem ; ità tamen, ut, si aliæ non restituant, quælibet teneatur ad totum , cum jure tamen recipiendi ab aliis , quod pro iis restituere debuit. Quod jus habent etiam alii, qui pro causa principali solvere debuerunt ; ità quidem , ut, si aliâ viâ recipere non possint , liceat iis uti occultâ compensatione.

5to & ultimo loco , si suæ obligationi desint causæ positivæ, tenentur cooperantes negativè seu non impedientes damnum contra obligationem suam ex Justitia ; quia hi minùs concurrunt ad damnum, cùm non positivè, sed solùm negativè in id influant ; nisi fortè notâ suâ negligentiâ movissent alios ad damnificandum.

6. Si plures æquè principaliter concurrant ad damnum , singuli tenentur æquè primò pro rata : ità tamen, ut, si unus non possit , aut nolit restituere , teneatur alius , imò singuli in solidum in defectu aliorum , cum jure tamen repetendi, quod pro aliis restitutum est.

Ut hæc in praxi faciliùs resolvantur, considerandum est 1. An res apud aliquem existat in æquivalenti saltem. 2. An una causa fuerit alteri subordinata , principalis una , altera secundaria. 3. Cujus nomine executio sit facta. 4. In cujus utilitatem. 5. An fuerit quis causa totius damni, *Regula pro praxi.*




QUÆSTIO V.

An, & quando unus cooperans restituit, ab obligatione liberentur alii?

345. Resp. 1. Si, qui fuit causa principalis, totum restituit, reliqui liberantur ab onere restitutionis; quia is tenetur ad totum damnum compensandum, & reliqui nonnisi in ejus defectu.

Si causans principalis restituit, liberi sunt alii, secùs non.

2. Si una minùs principalis restituit, tenetur ei rependere causa principalis; quia minùs principalis acquisivit jus creditoris, nec debet hujus conditio fieri deterior, eò quòd pro alio solverit, nec hic habere commodum ex sua iniquitate.

3. Si creditor remittat obligationem causæ principali, v. g. mandanti, executori; aliæ sunt liberæ, quia causæ secundariæ tantùm tenebantur in defectu principalis obligatæ, cujus obligatio cùm sublata est, non tenentur amplius causæ secundariæ, aliàs creditor imponeret iis onus, quod non habebant. Econtra si creditor remittat obligationem causæ secundariæ, non liberatur causa principalis; quia creditor vult esse liberalis erga causam secundariam, ut non teneatur in defectu principalis, cujus obligatio est independens ab obligatione causæ secundariæ; imò nec, si uni ex secundariis remittat, ideo liberæ sunt aliæ secundariæ ab obligatione, exceptâ tamen parte æqualiter obligato remissa.

4. Si una ex causis æqualiter obligatis totum restituerit, aliæ in defectu priore loco obligatæ, tenentur singulæ cum proportione ei repen-

rependere ; quia quisque luere debet pro sua culpa : quod verum est , quamvis unus alios induxerit sine fraude, vi, & dolo ; quia volentes , & scientes consenserunt ob causam , vel propriam cujusque utilitatem , uti suppono. Hinc inducens non censetur totum onus in se suscepisse. Quodsi unus non posset , aut nollet suam partem restituere , cæteri tenerentur eam inter se dividere : si tamen ab eo non possent recipere , qui solvere posset , licitè uterentur occultâ compensatione, ubi adsunt conditiones ad eam requisitæ.

CAPUT V.

De Circumstantiis Restitutionis in genere, & Causis ab ea excusantibus, vel perpetuo, vel ad tempus.

QUÆSTIO I.

Cui, quando, ubi, cujus sumptibus, & periculo sit facienda restitutio?

RESP. 1. Restitutio, per se loquendo, facienda est domino, vel cui de jure debetur, aut si non possit huic, secundùm ejus voluntatem est res expendenda ; sic enim exigit Justitia. 346. *Restitutio per se facienda est domino.*

Hinc 1. Qui res exiguas , etsi à diversis dominis per furta parva, dolosas stateras , ulnas , mensuras subduxit, tenetur, si possit , restituere ipsis ; si his , quia defunctis , non possit , tenetur restituere hæredibus ; si nec his , tene-

tenetur dare pauperibus. *Ratio 1ma partis est*; quia reducenda est æqualitas juxta rationabilem voluntatem Domini, quæ est, ut sibi fiat restitutio, quemadmodum quisque in se experitur, si re suâ sit privatus: unde errant qui putant satisfieri, si detur pauperibus, peccantque Confessarii, qui ad hoc imperandum, vel suadendum prompti sunt: Domini enim meritò dicunt: se daturos eleëmosynas, ubi voluerint, seque ad hoc non egere iniquorum operâ. *Ratio 2da partis est*; quia hæredes succedunt in omnia jura defuncti; qui, si de suis non disposuerit, neque hæredem ab intestato usque ad 10mum gradum habuit, bona & jura illius sunt quidem jure naturæ nullius, fiuntque primo occupantis; jure tamen civili cedunt Fisco sæculari, si defunctus sæcularis; Ecclesiastico, si fuit Ecclesiasticus, saltem post sententiam Judicis, quod requirit; Amicus de Just. D. 16. N. 6. eò quòd leges dicant, posse præscribi contra Fiscum. *Ratio 3tia partis est*; quia, quando res non potest restitui, Domino, voluntas ejus est, ut detur pauperibus, ne fures ex delicto commodum ferant, sicque ad frequentanda furta alliciantur. Quodsi dicto modo damnum grave consurgat ex parvis à diversis ablatis v. g. per mercatorem, si emptores defraudatos noverit, aut soleant iidem ad ipsum redire, vendat dein minori pretio, præsertim egentibus, aut tenuis fortunæ.

2. Qui subduxit rem apud alium depositam, vel illi elocatam, vel commodatam, non Domino, sed depositario &c. tenetur restituere; quia sine injuria non possunt privari jure custodiæ, usûs, vel possessionis, nisi consen-

tiant;

tiant, aut credantur, quod tamen non temerè præsumendum, re malè usuri.

3. Res incertæ ex delicto, si Dominus inveniri non possit, eroganda sunt in pauperes, vel pias causas alias.

Dixi in Responsione: *Per se loquendo*: Nam, si Dominus esset re suâ, vel pecuniâ abusurus ad peccatum, esset obligatio ex charitate, si sine gravi incommodo fieri posset, differendi restitutionem. Imò si esset abusurus ad alterius injuriam damnosam v. g. gladio ad se, vel alium occidendum, obligaret Justitia ad non reddendum; quia in iis circumstantiis censeretur reddens cooperari positivè ad occisionem; nisi tamen non reddenti gravissimum malum immineret. Cæterùm non sine rationabili fundamento ejusmodi timeri debent, cùm delicta non sint præsumenda. De inventis dixi N. 67.

Resp. 2. Restitutio facienda est, quamprimum moraliter fieri potest sine gravi incommodo, quod quis pateretur in re sua ultra debitum; quia jus alterius exigit non retineri rem alienam, invito rationabiliter Domino: est autem meritò Dominus rationabiliter invitus, si diu differatur sine justa causa; quia potest intervenire casus interitûs, impotentia restituendi, immutatio voluntatis, damnum, vel lucrum cessans, aliudve periculum rem suam non recipiendi. Hinc, qui culpabiliter differt restitutionem, manet in peccato continuo, & absolvi non potest, sique ex dilatione Domino rei oriantur damna, tenetur ea compensare, utpote injusta illorum causa. La Croix N. 252. Si tamen quis habens propositum restituendi non longo tempore differat

347. *Quamprimum potest.*

citra

citra grave incommodum Domini, non facilè damnandus est peccati mortalis; imò nec venialis, si adsit justa causa differendi, v. g. quia exspectat commodiorem occasionem id faciendi. Quodsi vellet restituere per partes, cùm possit totum restituere, absolvendus non esset; quia Dominus est rationabiliter invitus. Idem dic de eo, qui in periculo mortis constitutus, potestque sine gravi incommodo restituere, & vult obligationem restituendi rejicere in hæredes; quia exponuntur creditores periculo proximo injusti damni: nam hæredes sæpe sunt negligentes in restitutione facienda, vel indaganda obligatione ejus. Si tamen esset periculum scandali, infamiæ, aut alia gravis causa, posset restitutio differri post mortem facienda: sed tunc cautela adhibenda est, ut amoveatur à Domino periculum damni; uti fiet, si coram hæredibus, vel testibus tradat Confessario schedam, vel edicat, se velle talem summam tradi Confessario, ejus arbitrio expendendam, vel Codicillum adjiciat testamento, quo id declaret &c.

348. *Quo loco, cujus expensis sit facienda?*

Resp. 3. Quo loco, cujus expensis, & periculo, an creditoris, vel debitoris facienda sit restitutio, pendet ferè ex radice, seu titulo, ex quo obligatio restituendi orta est: Nam

1. Si orta est ex delicto, restitutio facienda est in loco, in quo Dominus rem esset possessurus, si non fuisset ablata, idque sumptibus debitoris; quia creditor debet servari indemnis, & non sentire damnum ex iniquitate debitoris, sed restitui in statum pristinum, sive jam sit ex delicto debitor ratione furti, rapinæ, usuræ, sive ob moram culpabilem. *Nec juvat*, quòd debitor sic ad plus obligetur, quàm sit dam-

damnum illatum : id enim sibi imputare debet. Quod & verum est, etsi creditor jam aliò migrâsset, quanquam tunc potest debitor sumptus subtrahere, quos creditor ipse pro re transferenda facere debuisset. Quodsi debitor possit minori sumptu rem transferre, quàm facturus fuisset creditor, an possit illum excessum debitor subtrahere, controvertitur. Negat Rebellus, eò quòd non debeat ex delicto suo lucrum reportare; affirmat Bonac. & alii, eò quòd lucrum id non proveniat immediatè ex delicto, sed ex circumstantia loci. Lugo rectè sic distinguit: Si illa diminutio veniat ex industria debitoris, potest: secùs, si proveniat ex eo, quòd pretium translationis decreverit; quia decrevit Domino, sicut crescit valor rei detentæ eidem Domino. Quodsi sumptus pro translatione rei faciendi duplo, vel triplo majores essent, quàm res tota valeat, posset restitutio differri in aliud tempus; vel etiam, si spes non esset minore sumptu aliquando transferendi rem, vel ejus pretium, erogari pauperibus; quia Dominus tunc non potest esse rationabiliter invitus.

2. Si obligatio restituendi sit ex re accepta, quam hactenus possedit debitor bonâ fide, restitutio non est necessariò facienda in alio loco, quàm in quo nunc existit: neque enim alium in locum, ubi jam Dominus fortè degit, sumptibus suis transmittere tenetur; quia non tenetur Dominum jam in statum pristinum restituere, ac si res apud eum fuisset; cùm per formalem injuriam illum ex eo non dejecerit, sed rem tanquam suam bonâ fide possederit: unde satisfacit monendo Dominum, ut rem suam sibi curet afferri, in quo si moram fecerit,

cerit, & debeat rei possessor illius conservandæ causâ sumptus facere, potest eos repetere à Domino rei, utì & illos, quos fecit pro Domino monendo; quem si non monuisset tempestivè, & ideo jam Dominus cum majori sumptu deberet rem transferendam curare, detentor inciperet esse debitor ex delicto, jamque deberet ferre sumptus, qui facti non fuissent à Domino, si Dominus fuisset debito tempore monitus.

3. Restitutio ex delicto facienda fit periculo debitoris, si is aliquem designârit, qui rem referat: unde si hic non restituat, vel casu interim res pereat, adhuc tenetur debitor; quia Dominus efficaciter servandus est indemnis, damnumque aliàs adhuc pateretur ex injuria. Si autem creditor monitus designârit aliquem, cui tradas rem transferendam, periculum ferre debet creditor, sique res pereat, ipsi perit, quia tunc censetur eam acceptâsse per designatum.

4. Si restitutio facienda sit ex titulo solius rei alienæ, fit quoque periculo Domini, si hic aliquem designârit, per quem rem recipiat. Si autem debitor aliquem miserit, qui referat, & res non referatur, tum si res Domini in individuo existens sit remissa, perit non debitori, sed Domino, quia ejus erat: si autem non sit remissa eadem in individuo, sed alia similis valoris, perit remittenti; quia adhuc erat ejus Dominus.

5. Si quis ex contractu, vel quasi contractu oneroso teneatur restituere quid, vel solvere, fieri id regulariter debet, ubi res accepta fuit, utì, si quis pecuniam accepit mutuam hìc, debet & hìc restituere. Dixi *regulariter*; quia,

quia, si aliter conventum sit, standum est conventione. Ex dictis

Colliges. Si Confessarius absque præmissa sufficienti diligentia de inveniendo rei domino, inique detentori rei alienæ suasit, aut etiam præcepit, ut daret pauperibus, manet adhuc illi obligatio restituendi, saltem in defectu Confessarii; quia præceptum, & suasio fuit imprudens, & procedens ex injuria præterita; non censetur autem dominus consentire, nisi res sit prudenter assignata pauperibus. Confessarius tamen, si per errorem graviter culpabilem id fecit, tenetur primo loco. Similiter, si detentor iniquus Confessario rem commisit restituendam, & hic eam sibi retineat, vel etiam sine culpa perdat, juxta communem & probabiliorem manet iniquus possessor obligatus, saltem in defectu Confessarii rem retinentis; quia debitor ex delicto tenetur dominum efficaciter reddere indemnem. 349. Corollaria.

Oppositum quidem tenent aliqui, quorum sententiam quidam vocant probabilem, eò quod fecerit, quod potuit, sicque videatur dominus non posse esse rationabiliter invitus. Verùm, etsi fecerit, quod potuit, sicque satisfecerit ad non continuandum peccatum; non tamen satisfecit ad extinguendum debitum, &, licèt præsumatur, quòd dominus consenserit, ut ità fieret; non tamen resignavit juri suo, si modus ille non succederet. Sic dominus consentit, ut committas fideli tuo famulo rem restituendam; tamen, si restitutio actu non fiat, adhuc exigit restitutionem.

* * * *
* * *
* *
*

QUÆSTIO II.

Quo ordine ſit reſtitutio facienda, quando debitor non eſt par ſolvendis debitis omnibus?

350.

1mò facienda ei, cujus res exiſtit. Reſp. Facienda eſt hoc ordine 1mò. Quando res aliena exiſtit in individuo, domino eſt reſtituenda : ut ſi debitor habeat rem tuam apud ſe depoſitam, commodatam, vel ſibi loca tam, à ſe inventam, furto ſublatam, &c. tibi & non aliis quomodocunque privilegiatis reſtituere debet; quia res manſit tua, nec creditores jus habent, ut ſibi ſolvantur debita ex bonis alienis, ſed ſolùm ut ſolvantur ex bonis debitoris. Idem dicendum de re vendita, quando dominium necdum eſt translatum, de quo dixi N. 224. Quodſi rei certè alienæ inveniri non poſſit dominus, applicanda eſt cauſis piis : verùm cùm opus pium ſit juvare debitorem ſolvendo imparem, retinere pro alimentis neceſſariis hic eam, aut per eam certis creditoribus ſatisfacere poteſt.

2. Solvenda funeralia. 2. Ex bonis debitoris ante quæcunque debita ſolvi debent, quæ debentur pro funeralibus, medicamentis, alimentis familiæ, pro inventario, confectione teſtamenti, mercede operariorum, & famulorum, ad neceſſarios uſus conductorum. *Ratio eſt*; quia hæc debita contrahuntur neceſſariò, & potiùs in utilitatem, quàm detrimentum creditorum. Fieret etiam debitor minùs potens ad ſolvendum, ſi à nullo auxilium haberet.

3tia. Sequuntur credito- 3. Poſt hæc ſolvendum eſt creditoribus habentibus Hypothecam, & inter hos, ſi omnibus

nibus non possit satisfieri, præferendi sunt, qui habent hypothecam antiquiorem juxta *Regulam Juris* 54. *in* 6. *qui prior est tempore, potior est jure*, ita ut tacita Hypotheca prior, præferri debeat posteriori expressæ, prior generalis posteriori speciali. *Ratio est*; quia per primam Hypothecam res creditori est obligata realiter, sique alteri tradatur, transit ad ipsum cum obligatione. Excipe Hypothecas privilegiatas, quæ non privilegiatis etiam antiquioribus ex speciali juris dispositione præferuntur. De quibus si casus occurrat, consulendi sunt Jurisperiti, & leges municipales, locoque propriæ: non desunt enim qui Hypothecas expressas, & particulares posteriores tacitis, & universalibus in quibusdam casibus præferendas esse contendunt. Vide La Croix N. 388. *res habentes hypothecam.*

Notandum tamen, quòd uxor, & liberi, mortuo patre debitis gravato, possint occultare, & sibi reservare ad alimenta necessaria, quibus honestè & parcè secundùm statum suum vivant; quia alimentatio est privilegiata ante omnes creditores, & liberis debetur jure naturæ. Unde interrogati à Judice, possunt negare se quid occultâsse, subintelligendo, quòd non sit sibi debitum jure naturæ; & sicut talis necessitas debitorem, sic hæredes excusat. La Croix N. 432.

4. Post Hypothecarios solvendum est illis, qui licèt Hypothecam non habeant, specialiter tamen sunt privilegiati personaliter: qualis est sponsa de futuro quoad bona sponsi, quandò dotem ei tradidit, & matrimonium non sequitur. Item qui pecuniam suam deposuit apud numularium, & pensionem non percipit; Chirographarii habentes instrumentum publicum, qui præcedunt alios habentes tantum instrumentum priva- *4. Specialiter privilegiati.*

tum, & nec hi plus, quàm jus personale habent.

§. *Aliis secundùm proportionem juris sui.* 5. Inter reliquos creditores merè personales debita, sive ex contractu oneroso, sive ex delicto omnibus solvenda sunt secundùm communiorem pro proportione juris, quod habent: utì si debeas uni 100. & alteri 50. & non possis solvere, nisi dimidium, primo 50. alteri 25. solvendi erunt. Quia juris ex contractu æquè ac ex delicto æqualitatem, quoad fieri potest, æqualiter intendit justitia commutativa, & quamvis creditor ex delicto sit magis invitus, quoad damnum tamen reale, quòd solùm in restitutione hic attenditur, sunt æquales. Dixi: *Ex Contractu oneroso*: Nam debita ex contractu gratuito postponenda sunt; quia in hoc subintelligitur hæc conditio: si decenter, & absque præjudicio tertii, & statûs mei fieri poterit. Atque hæc servanda sunt etiam in foro conscientiæ; quia leges illæ latæ sunt ex æquitate justitiæ, & nullâ præsumptione nituntur. Quod peccet contra justitiam, qui donando, vel vendendo se magis impotentem facit ad solvenda debita. dixi sub N. 252. videri etiam potest La Croix N. 381.

Quid, si unus præveniat? 6. Si inter creditores personales, inter quos non est jus prælationis, unus in, vel extra judicium, petendo solutionem præveniat alium, huic potest, & probabiliter debet ei solvi totum debitum, si habeat debitum antiquius. Ità S. Th. Opusc. 83. C. 8. Suar. & alii apud Lug. N. 146. tum quia juxta regulam Juris à Bonifacio Papa VIII. generaliter traditam, qui prior est tempore, potior est jure; per quam corrigitur Jus civile, si alicubi est contrarium: tum quia prioritas temporis non tantum habenti Jus in re,

sed

ſed etiam habenti Jus ad rem, ſeu perſonale, dat prælationem : hoc ipſo enim quod obliges te Titio, v. g. ex mutuo, implicitè te obligas ad non ponenda impedimenta ſolutioni illi præſtandæ; ergo teneris te non obligare aliis, niſi ſalvo jure prioris, alioquin illum exponis periculo damni, hocque verum eſt non tantùm, ſi pluribus te obligâſti ad eandem rem, v. g. pluribus promiſiſti matrimonium, pluribus eandem rem vendidiſti, oppignorâſti; ſed etiam ſi te obligâſti ad aliquid indeterminatè, v. g. ſi obligâſti te ad laborandum pluribus uno die indeterminatè hujus ſeptimanæ, & non potes, niſi uno die laborare, debes laborare pro primo; ſi duobus vendidiſti unum ex tuis equis indeterminatè, & omnes moriantur præter unum, hunc debes tradere primo.

Hoc ipſum probabiliter docent Laym. N. 7. Illſung, Sporer, & alii, fieri poſſe, ſi unus ex creditoribus æqualibus merè perſonalibus alios præveniendo petat ſolutionem, etſi tempore eſſet poſterior, contendentes, quod prioritas temporis in credendo non det jus prælationis niſi in debitis realibus, & jura favent vigilantibus præ negligentibus. Negant tamen hoc probabiliùs alii apud La Croix N. 404. Si nullus eſſet in petendo prior, non poſſet debitor unum præferre aliis, monere tamen inter æquales poſſet v. g. amicum, ut prius petat præſertim, ſi ſit pauper. Imò juxta S. Thomam Opuſc. 73. c. 18. & alios apud Lug. de Juſt. d. 20. S. 7. §. 3. pauper ſimpliciter præferri poteſt aliis titulo paupertatis, ubi debita ſunt ejuſdem rationis, eò quòd pauper carendo ſolutione gravius damnum patiatur. Verùm hæc ratio, niſi tales ſint circumſtantiæ, & tam gravis neceſſitas pauperis, ut dives non poſſit eſ-

se rationabiliter invitus, non videtur sufficiens: Unde communis cum Lugone L. c. negat, pauperi, titulo præcisè paupertatis posse competere prælationem; quia dives æque, ac pauper jus habet ad proportionatam solutionem debiti, & ablati restitutionem, alioquin, si pauper abstulisset diviti, non teneretur ad restitutionem, si res esset levis respectu divitis, & gravis respectu pauperis, & hic rem non haberet in æquivalenti, quia hic grave, ille leve damnum haberet. La Croix 406.

Cæterùm si debitor, vel hæres ejus, turbans ordinem inter creditores solvat uni, eo neglecto, qui Jus prælationis habet, huic tenetur de damno, si quod inde patitur, & potest hic à posteriore repetere compensationem damni, vel quod ei solutum erat ex *L. 22. §. 4. Cod. de Jure deliberandi.* Si autem res nulli fuit obligata, & nullus Jus prælationis habuit, uni tamen non petenti debitum solvit totum, potest creditor retinere; quia acquisivit rei solutæ dominium, & respectu injuriæ permissivè se habuit, modo bonâ fide processerit, quod addo; quia malâ fide procedendo cooperatus esset injuriæ. Lugo N. 113. Denique si res tui debitoris apud te existat, non potes ex ea totum tuum debitum subducere, vel rem retinere excludendo alios; quia, cùm rem nomine tui debitoris possideas, non favet tibi possessio, nec adest titulus præferentiæ. Ità Lugo N. 127. & alii; nisi res esset apud te velut pignus tui debiti: cujus instar putat Sporer, Tamb. & alii rem apud te esse, adeoque te posse retinere, donec debitum solvatur. La Croix N. 375.

QUÆS-

QUÆSTIO III

Quæ causæ excusent à restitutione, cognitâ jam ejus obligatione.

Resp. Excusant vel ad tempus, vel in perpetuum causæ omnes illæ, quæ sufficiunt, ut creditor, vel dominus non possit esse rationabiliter invitus, quòd restitutio tota, vel ex parte non fiat, aut differatur, quamdiù causa illa subsistit. *Ratio est*; quia, cùm justitia non obliget, nisi secundùm rectam rationem, rei alienæ detentio, omissioque restitutionis, & solutionis non est injusta, nisi repugnet rationabili creditoris, vel domini voluntati. Unde, etsi invitus esset, si tamen esset invitus irrationabiliter, non esset obligatio restituendi, quamdiu justa causa manet. Causæ autem vel ex parte, vel ex toto, ad tempus, vel in perpetuum excusantes recensentur 14. quarum aliquæ perpetuò, aliæ ad tempus, aliæ ex toto, aliæ ex parte excusant, suntque hæ: 1. impotentia. 2. Remissio à creditore facta. 3. Cessio fori, seu bonorum abdicatio coram Judice. 4. Damnum ipsi creditori, aut alicui tertio verisimiliter ex restitutione eventurum. 5. Solutio facta creditoris creditori. 6. Interitus rei in individuo. 7. Compensatio. 8. Jus, vel authoritas Judicis. 9. Donatio facta creditori. 10. Compositio cum Papa. 11. Ingressus in religionem. 12. Incertitudo debiti. 13. Transactio. 14. Præscriptio. De tribus postremis constat ex dictis, reliquas ordine explico. 351.

Omnis, quæ facit, ut creditor non possit esse invitus rationabiliter.

QUÆSTIO IV.

Quæ, & quando excuset impotentia?

352. *Excusat impotentia etiam moralis.* Resp. Excusat impotentia tum physica, tum moralis, quamdiu durant. *Ratio est*; quia impotentia physica est, cùm quis per vires naturæ non potest restituere. Moralis verò, cùm quis absolutè quidem potest restituere, est tamen tanta difficultas, ut creditor rationabiliter non possit esse invitus.

Moralis impotentia est 1. Quando adest extrema necessitas debitoris, vel parentum ejus, aut proximè conjunctorum, qui unam moraliter personam cum eo constituunt; quia talis necessitas omnia facit communia.

2. Necessitas gravis verè talis debitoris, vel proximi, ut est præsens periculum morbi gravis, nuditatis, captivitatis; quia tunc dominus non potest esse rationabiliter invitus restitutionem tantisper differri, quod plures dicunt, etsi debitum esset ex delicto. Excipe, nisi creditor esset in pari, aut ferè pari necessitate. Tunc enim esset rationabiliter invitus, saltem si debitum esset ex delicto, vel res adhuc esset sub dominio creditoris, v. g. quia deposita, commodata est. Imò si debitor per luxum, vel prodigalitatem causam dedisset gravissimæ necessitatis, neque spes foret, per modicam dilationem, vel successivam solutionem creditori tali satisfactum iri absque tanto debitoris damno, juxta communem esset obligatio statim restituendi; & extra hunc etiam casum, si impedimentum, vel gravis necessitas futura esset perpetua, debitor ex delicto teneretur quàm parcissimè vivere, ut saltem per vices restituat partem debiti;

biti ; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media. Unde peccaret, qui respueret donationes quibus admissis posset satisfacere.

Talis est 3. Quando debitori magnum periculum animi, & liberis, vel uxori ejus impendet, v. g. ne, si restituas, præ nimia fragilitate sequatur desperatio, ne filiæ se prostituant, filiæ fiant fures, lattrones, &c. quia salvâ charitate tunc creditor non potest esse invitus, restitutionem differri ; & tenetur debitor potiùs animæ suæ, & suorum consulere, quàm bono temporali creditoris.

Talis est 4. Quando restitutio fieri non potest sine gravi damno in bonis altioris ordinis, v. g. si non posset debitor restituere pecuniam ablatam sine periculo vitæ, & notabili damno in fama : si tamen fieri posset per tertium sine tali damno, statim facienda esset.

Talis est 5. quando grave damnum aliàs à debitore in bonis fortunæ propriis, justè possessis, est subeundum : hoc enim periculo durante creditor non posset esse invitus, ad tempus differri restitutionem ; modò ipse non patiatur ex dilatione ferè æquale damnum : damnum enim debitoris debet esse notabiliter majus. Lucrum tamen cessans non excusat à restitutione statim facienda.

Talis est 6. si debitor non possit restituere, nisi cum eversione suî statûs justè acquisiti : ùt si vir nobilis ideo deberet carere omni famulitio, aut redigi ad statum plebejum, labore manuum vivere, &c. vel civis honestus vivere mendicato, non tenetur statim totum reddere ; tenetur tamen etiam cum aliqua statûs sui diminutione, salvâ ejus substantiâ, curare, ut per partes successivè restituat v. g. parcius vivendo, dimittendo famulos,

mulos, non necessarios, diligentius laborando, negotiando, &c. pro fert ejus conditio, ut tandem totum restituat. Dixi: *Justè acquisiti*: nam si ex injustè acquisitis constaret status ille, teneretur statim restituere: non enim amitteret statum suum, sed alienum, & ad suum rediret. V. N. 440.

QUÆSTIO V.

Quæ condonatio, vel remissio debiti excuset à restitutione?

353. *Planè libera, & legitima.* Resp. Excusat remissio vel condonatio debiti à creditore liberè, spontaneè, & legitimè facta: quia, sicut quis potest sua liberaliter donare, sic & debita remittere.

Dixi tamen 1mò. *Liberè, & spontaneè facta*: nam vi, metu, fraude extorta non liberat ab onere restituendi. Hinc in conscientia tuti non sunt morosi illi debitores, qui asperitate, minis, &c. solvendi difficultate, eò adigunt creditores suos, ut ex desperatione accipiendi totam summam, dicant, se parte contentos fore; vel cum creditoribus tergiversatione suâ adactis transigunt de parte solvenda, ut reliquum condonent.

Dixi 2. *Legitimè facta*: nempè ità, ut & in condonante sit potestas remittendi, & in alio capacitas acceptandi condonationem, quæ in quibusdam non est. Sic Episcopi, aliique visitantes Ecclesias sibi subditas, si tempore visitationis aliquid præter victum accipiant, tenentur intra mensem restituere, non obstante quâcunque donatione. Cap. *Exigit. De censibus in 6.* Similiter tenentur restituere Judices delegati, si quid accipiant à partibus præter paucula esculenta, & poculenta

ulenta ex mera liberalitate oblata, aut paucis diebus consumptibilia, & præter moderatas expensas, cùm iter faciendum est; vel si accipiant expensas à partibus notabiliter pauperibus. *Can. Statutum de rescriptis in 6.* Denique Canonici, si præsentias, aut distributiones accipiant pro horis, quibus Choro non interfuerunt, tenentur restituere, non obstante condonatione Collegarum, seu sociorum Chori. *Trid. Sess. 24. C. 12. de Reform.*

Cæterùm ut condonatio liberet, sufficit rationabiliter præsumpta: hinc qui rem detinet, prudenter credens, dominum non esse invitum, non peccat; & comperto, quòd dominus fuerit invitus, probabiliter non tenetur restituere, nisi quod in se, vel in æquivalente superest. Ità La Croix N. 462. contra Lug. qui tenet totum esse compensandum ex tacito contractu. Si dubitetur, an Dominus esset remissurus, petenda est remissio; quia Dominus est in possessione.

QUÆSTIO VI.

Quâ ratione excuset cessio fori?

Resp. Excusat in tantùm fori, seu bonorum coram Judice sincera cessio, ut debitor citra delictum retinere possit necessaria suæ, & suorum sustentationi honestæ, attamen parcæ, convenienter ad statum, ex *Cap. 4. & 6. de cessione bonorum, & §. ultimo Inst. de actionibus.* Si tamen ad meliorem fortunam, ad quod conari tenetur sedulò, redeat, obligatur in conscientia satisfacere creditoribus, ùt habet probabilior cum Mol. Less. Castrop. Lug. Illsung Tr. 4. D. 3. N. 266. contra aliquos; idque licèt Judex illi cessioni

354. *Debitor non ex delicto retinere potest sustentationi parca necessaria.*

sioni addiderit solennitatem ignominiosam: hæc enim additur in pœnam præsumpti criminis, ut homines deterreantur à debitis contrahendis, suâ substantiâ majoribus. *Ratio est ;* qui privilegium fundatur in impotentia, quâ cessante cessat. Non tenetur tamen postea ad plus, quàm commodè possit, hoc est, congruâ sustentatione retentâ. Habet & hoc privilegium, ut, ubi bonis coram Judice cessit, ultra inquietari non possit à creditoribus, donec ad meliorem fortunam rediret.

Excipe tamen, nisi aliquis sua bona decoxerit luxu, commessationibus, &c. huic enim non relinquuntur, nisi vestes viles, & ordinariè ab ipso gestari solitæ, uti ostendit Lug. N.37. contra Less. non verò alimentatio, nisi consuetudo & humanitas Judicis aliud ferat. Quodsi talis, ad asylum se recipiens, componeret cum creditoribus, non ideo rediens ad meliorem fortunam, tutus in conscientia foret; quia compositio esset coacta, & orta ex injuria: secùs, si quis sine culpa opibus exciderit. Vide La Croix N.436. Hic tamen ut gaudeat privilegio, debent debita ejus esse ex contractibus, non ex delicto, ùt communiùs docent D.D. quia de solis illis loquuntur leges; debet quoque sincerè omnibus suis bonis cedere: quia, licèt jure naturæ possit occultare necessaria sibi, & suis ad modicam, seu tenuem sustentationem; id tamen si faciat, non gaudet privilegio, cessioni bonorum à jure concesso. Proinde talis, ad meliorem fortunam rediens, non poterit salvâ conscientiâ tantùm retinere de post acquisitis, quàm aliàs potuisset; quia leges, concedentes privilegium, omnia volunt sincerè extradi: aliàs faverent iniquitati præter retenta concedendo sustentationem congruam.

QUÆS-

QUÆSTIO VII.

Quale damnum excuſet à reſtitutione?

Reſp. Grave malum non ſolùm debitori ſecundùm dicta N. 352. ſed etiam creditori, vel ſoli, vel alteri ex reſtitutione probabiliter ſecuturum, excuſat ad tempus à reſtitutione; quia tunc creditor non poteſt eſſe rationabiliter invitus. Si autem alterius, vel debitoris damno æquale immineret creditori, ſolutio facienda eſſet, per ſe loquendo; quia creditor eſſet rationabiliter invitus. Porro quando hìc & nunc is ſit, aut non ſit rationabiliter invitus circa omiſſionem, vel dilationem reſtitutionis ob damnum impendens, colligendum eſt communi hominum ſenſu, perpendendo tum, quid quiſque ſibi fieri vellet; tum quid homines prudentes, ſpectato communitatis humanæ bono, circa hos caſus, antequam evenirent, ſtatuiſſent. Pro definienda autem magnitudine damni tam debitoris, quàm creditoris, debent damna inter ſe comparari non abſolutè, ſed relate ad ſubjecta: fieri enim poteſt, ut damnum 100. ſit reſpectu debitoris pauperis longè majus, quàm damnum 1000. aureorum reſpectu creditoris divitis, & vice versâ, eò quòd unum jactura 100. conjiciat in miſeriorem ſtatum, quàm alium jactura 1000. Atque hoc præ oculis etiam in dictis habendum. 355. *Damnũ gravius*



QUÆS-

QUÆSTIO VIII.

Quandonam ſolutio, creditoris creditori facta, excuſet à ſolutione?

356. *Quando adeſt rationabilis cauſa.* Reſp. Excuſat probabiliter ex rationabili cauſa, quando debita ſunt ejuſdem rationis; utî ſi debeam 100. Cajo, & hic totidem debeat fratri meo, hic autem à Cajo difficulter ſit obtenturus debiti ſolutionem; numerando fratri meo 100. extinguo meum debitum ſaltem pro foro conſcientiæ, quia dum 100. numero fratri meo, Jus ejus, quod habebat à Cajo exigendi 100. emo, & in me transfero. Atque ità, cùm Jus illud nunc meum æquivaleat juri Caji, utor cum ipſo compenſatione.

Dixi tamen: *Quando debita ſunt ejuſdem rationis:* nam ſi ſint diverſæ rationis, poſſet creditor meus eſſe rationabiliter invitus; uti &, ſi nulla ceſſet ratio potiùs ejus creditori ſolvendi, aut ſi non eſſet Cajus ſolvendo omnibus, & creditor Caji alius gauderet jure prælationis. Liberor quoque onere, ſolvendo creditori mei creditoris, ſi ille, cui ſolvo, licitè poſſit uti occultâ compenſatione in bonis mei creditoris. Vide La Croix N. 453.

QUÆSTIO IX.

Quando excuſet interitus rei?

357. *Inculpabilis.* Reſp. Excuſat interitus rei, in ſpecie, ſeu in individuo debitæ, modò tamen nec delictum, nec mora culpabilis debitoris intervenerit, nec pactum de præſtando caſu fortuito;

quia

quia res perit Domino suo, si sine culpa &c. alterius pereat, secùs si res non fuit debita in individuo.

QUÆSTIO X.

Quando excuset compensatio?

Resp. Excusat, quando debita rerum ejusdem rationis sunt æqualia: tunc enim regulariter extinguitur obligatio in utroque foro per compensationem; v. g. si debeas Cajo 100. ex venditione, & ille tibi 100. ex mutuo, extinguitur obligatio, si pecuniam tuam retineas, & illi relinquas suam: tunc enim uterque debet acceptare remissionem debiti pro solutione. Secùs est, si res debitæ sint diversæ rationis, v. g. frumentum, & equus; grex ovium, & pecunia; quia invitus cogi non potest, ad rem cum alia diversæ rationis permutandam, nisi in casu, quo debitum tibi obtinere omninò non posses. 358. *Si debita sint æqualia, & ejusdem rationis.*

Dixi: *Regulariter:* nam in jure aliqua excipiuntur, ùt debita titulo depositi, commodati, debita ex furto, & juxta La Croix N. 455. debita Regi, & Reip. titulo pensionis in publicam utilitatem.

QUÆSTIO XI.

Quando excuset sententia Judicis?

Resp. Excusat 1mò, si Judex in pœnam delicti ex præsumptione vera imponat mulctam Cajo, tibi solvendam: tunc enim poteris non solvere tantundem Cajo, quantum aliunde illi debes. 359. *Sententia etiã objective justa.*

2.Si

2. Si Cajus per ſententiam Judicis cogatur reſarcire tibi damnum, ſine culpa Theologica illatum, juxta communiorem potes acceptare, & retinere; quia authoritate publicâ dominium transfertur.

3. Si Cajus ſecundùm allegata, & probata juſtè, ſed re ipsâ injuſtè ſit beneficio, vel officio privatus, & tu id bonâ fide acceperis, non teneris id dimittere, vel quid reſtituere, ſi poſtea ſcias, injuſtè privatum eſſe. Leſſ. Dicaſt. La Croix N. 451. Contradicit Lugo Diſp. 38. N. 191. tenens proviſo quidem conferri juriſdictionem, exigente ſic bono communi; non autem titulum, adeoque eſſe Parochum, v. g. tantùm apparentem.

4. Si minor acceperit pecuniam mutuam, quam totam in luxum, & laſciviam impenderit, nihil tenetur reſtituere ſecundùm dicta N. 152.

5. Si tibi bonâ fide litiganti res aliena eſt adjudicata, hocque poſtea reſcias; juxta plures Canoniſtas non teneris reſtituere, ſi ſententia jam abſolutè tranſiit in rem judicatam. Ità Pichler L. 2. T. 27. citans plures. Sed probabilius eſt oppoſitum; quia ſententia falſitate nitens non transfert dominium. Vide N. 505. & 506.

QUÆSTIO XII.

360. *Spectanda intentio donantis.*

An donatio facta creditori liberet ab obligatione reſtituendi?

Reſp. Donatio facta à debitore creditori, liberat ab obligatione reſtituendi, quando immemor ſui debiti tantum donat creditori, quan-

quantum ei debet, sic animo saltem habitualiter constitutus, ut priùs velit obligationi suæ satisfacere, quàm liberaliter donare; secùs non liberat. *Ratio est*; quia si adsit illa habitualis voluntas, prævalet intentioni liberaliter donandi: si verò non adsit, donatio censebitur liberalis. Nec sufficit, quòd, si memor fuisset debiti, non fuisset liberaliter donaturus: nam conditionalis voluntas de futuro non attenditur, nec operatur in pactis. Sic, licèt sponsus non fuisset contracturus matrimonium, si scivisset, sponsam, quam putavit esse divitem, pauperem esse; non ideo matrimonium est invalidum. Quæ autem fuerit donantis voluntas, colligendum est ex circumstantiis, considerata causâ non tradendi quidpiam ùt debito respondens.

Si dicas: Censetur debitor voluisse extinguere graviorem obligationem; sicut, qui ex justitia tenetur dicere horas Canonicas, si oret ex devotione, censetur satisfecisse. R. Non est paritas: quia obligatio solvendi debitum dependet ex hominis voluntate propria; ideoque debitor potest facere, ut, præstitâ gratis materiâ debitâ, perseveret obligatio. At obligatio dicendi horas non est immediatè ex voluntate subditi, sed ex præcepto Ecclesiæ; nec est in voluntate hominis: ut, materiâ ejus positâ, maneat præcepti obligatio. Hinc juxta communem satisfit præcepto, si ponatur opus præceptum, sine animo satisfaciendi: non satisfit autem justitiæ, si quis scienter det liberaliter, quantum ex justitia debet. Si tamen quis tantùm traderet animo simulato exteriùs dandi gratis; intenderet au-

tem satisfacere suæ obligationi, reipsâ extingueret debitum. Vide La Croix N. 452.

QUÆSTIO XIII.

In quibus excuset compositio cum Papa?

361. *In debitis incertis, vel ex lege Ecclesiastica.* Resp. Excusat in quibusdam: nempe in debitis incertis, vel ex Lege Ecclesiastica, puta, distributionibus, & reditibus Ecclesiasticis à Canonico non præsente, vel non residente perceptis, excusat compositio cum Papa; id est, remissio facta à Papa, quoad partem majorem, ut minor ad usum pium impendatur. Hanc autem remissionem posse Papam facere, habet communis cum Mol. Less. Lug. quæ tamen in his partibus in usu non est.

QUÆSTIO XIV.

An excuset ingressus in Religionem?

362. *Si non sit solvendo, nec sit spes, fore intra tempus multorũ annorũ.* Resp. Ingressus in Religionem aliquando excusat ab obligatione restituendi, vel solvendi debita, aliquando non excusat. Nam, si sit solvendo, tenetur solvere, priusquam Religionem ingrediatur, aut saltem disponere, ut debito tempore solvantur, peccaturus aliàs contra Justitiam. Si autem non sit solvendo, nec sit spes probabiliter solvendi, si in sæculo maneat; potest, spectato jure naturæ, ingredi Religionem, & Professio illius erit valida; quia, licèt persona debitoris sit obligata creditoribus, non est tamen illis debita: ergo

Pro-

Professio, quâ Religioni se tradit, subsistit, nisi aliunde quid obstet. Professio autem mancipii, & Professio conjugis, sine consensu domini alterius conjugis est invalida; quia esset traditio personæ alteri debitæ. Unde hi, non verò creditor possunt esse rationabiliter inviti. Hæc admittuntur communiter.

Sed controvertitur, an debitor possit Religionem, ingredi, quando non est solvendo; est tamen spes valde probabilis solvendi, si in sæculo maneat? Affirmat S. Th. 2. 2dæ. q. 189. a. 6. ad 3. & alii; quia persona debitoris non est debita, sed bona: nec potest creditor velle rationabiliter, ut cum tanto suo detrimento spirituali in sæculo maneat. Negant Mol. Castrop & alii; quia debitori non est Religio necessaria ad salutem, nec ideo creditores tenentur cedere jure suo, & obligatio Justitiæ prævalet consilio.

Nav. Less. Sanch. Lug. Haun. meliùs sic distinguunt: Si brevi tempore, v. g. paucis annis manens in sæculo, consuetis laboribus, & industriâ probabiliter possit debita solvere, saltem magnâ ex parte, tenetur differre ingressum, ut ea solvat; quia aliàs creditores sunt rationabiliter inviti; sicque iis inferret injuriam. Si autem spes non esset solvendi, nisi longo tempore, & insuetis laboribus, potest licitè ingredi Religionem, bona sua creditoribus relinquens; quia debitor hoc casu pateretur damnum in bonis spiritualibus longè graviùs, quàm sit incommodum creditorum. Unde hi non sunt rationabiliter inviti: sicut non possunt esse rationabiliter inviti, quòd debitor non dimittat statum suum justè acquisitum, ut debita extinguat: quòd non absti-

 neat

neat à Matrimonio, in quo impar erit debitis solvendis; quia hæc censentur moraliter impossibilia, & nimis onerosa; magìs autem onerosum est obligari ad abstinendum à Religione, tam utili ad perfectionem, & salutem animæ. Ità cum citatis La Croix n. 441.

Existimo, si casus contingeret, ex una parte expendendum esse, an debitum sit magnum; an exiguum; an spes magna, vel exigua; intra breve, vel longum tempus; & ex altera parte, an damnum spirituale sit valde grave ob periculum committendi peccata ob futura admissioni, amittendi occasionem admissionis, & ex his determinandum, an creditores possint, aut non possint esse rationabiliter inviti. Nam si debitum, & spes solvendi notabiliter superent damnum spirituale, tenebitur juri creditorum satisfacere. Si debita sint incerta, quæ causis piis applicari possint, poterit sibi tanquam pauperi applicare: si sint gratuita, censetur non se obligâsse, nisi sub hac conditione: Nisi Deus vocaverit me ad statum Religiosum, priusquam possim solvere. Sicut in contractu Sponsalium includitur hæc: Nisi transiero ad statum Religiosum. Si tamen aliquid promiserit, quod in Religione præstare potest, ad id tenetur.

Unde Religiosus debitor tenetur ad opera statui, & conditioni præsenti convenientia, quibus lucrari possit, & solvere; quia Religio non liberat ab onere solvendi; nisi quatenus hoc illam impedit. Non tenetur tamen ad extraordinaria, & indecentia statui, etsi Prælatus ad ea licentiam daret; imò nec ad ordinaria, si Prælatus ad ea licentiam neget, quam sine injuria negare potest; quia hic nihil debet

bet creditoribus, habetque jus fortius gubernandi suum Religiosum subditum. Videtur tamen Prælatus teneri dare illam licentiam ex charitate, si nihil inconveniens obstet. Si autem Religiosus aliqua bona dedisset Monasterio, aut per legatum, donationem, hæreditatem, doctionem, laborem &c. aliqua acquireret, teneretur ex iis solvere; quia, quæ obveniunt Monasterio, mediâ personâ Religiosi, obveniunt cum onere, quod habuissent annexum, si mansissent in dispositione Religiosi. Ex bonis tamen Monasterii solvere non tenetur Prælatus, nisi debitorem malâ fide suscepisset, sciens, eum intra breve tempus in sæculo potuisse satisfacere.

Quæ dixi de debitore reali, valent etiam de debito, seu obsequio personali, incompossibili cum statu Religioso. Unde, si quis se addixerit Magistro, v. g. Chirurgo ad tres annos, & priùs Religionem ingrediatur, non tenetur ad lucrum cessans, vel damnum emergens ex suo abitu; sed tantùm ad id, quod respondet expensis, & instructioni illius anni, deducto labore in utilitatem domini impenso. Excipe, nisi damna creâsset citiùs abeundo, quando de jure tenebatur differre abitum. Lugo num. 85.

Dictis *non obstat* 1. Quòd obligatio solvendi debita sit juris naturæ: nam non est absoluti juris, sed conditionati: si nempe solutio præstari possit sine damno boni notabiliter majoris. *Diluuntur adversa.*

Nec 2. Quod non liceat se addicere servitio pauperum in hospitali, si per hoc impediatur à solvendis debitis: nam illa utilitas per laborem pro solvendis debitis, & alia fa-

 cilè

cilè compensari potest; non ità utilitas Religionis.

Nec 3. Quòd filio non liceat inire Religionem, si ejus opera sit necessaria alendis parentibus: nam obligatio pietatis, utpote fundata in naturali origine, est arctior, quàm obligatio Justitiæ. Hinc obligatio alendi parentes excusat à solvendis ex Justitia debitis.

Nec 4. Quòd deflorator virginis sub spe Matrimonii, non possit ingredi Religionem; quia deflorator immediatè obligavit suam personam, ità, ut ipsa debeatur, & renuntiavit libertati ineundi Religionem. Si aliquis, accipiens mutuò pecunias, promisisset non ingredi Religionem, nisi priùs restituerit, teneretur stare promissis.

Nec 5. Quòd non liceat aliena surripere ad promovendum suum bonum spirituale: nam non restituere non est idem, ac surripere, quando adest justa causa non restituendi: tunc enim non censetur surreptio moraliter continuari. *Ratio disparitatis est*; tum quia surripiens influit positivè; non restituens negativè tantum, quod minus est; tum, quia præceptum non furandi est negativum, quod pro semper & magìs obligat: præceptum autem restituendi est affirmativum, minusque, & non pro semper obligans; tum, quia difficilius est restituere, & suis se spoliare, quàm non subducere aliena. Hinc dominus in uno magìs, in altero minus est rationabiliter invitus. Sic non licet furari ad alendos parentes pauperes; licèt tamen non restituere, si factâ restitutione ali non possent. Idem est in gravi necessitate propria. La Croix Num. 435.

Quæ hactenus dicta sunt de licentia ingredi-
endi

endi Religionem, tenent spectato jure naturali: nam Sixtus V. Papa anno 1587. motu proprio sub gravibus pœnis in recipientes latis prohibuit, ne admittantur, qui ingenti ære alieno gravati sunt supra vires facultatum suarum, illosque fecit inhabiles ad Professionem. Clemens tamen VIII. relictâ prohibitione & pœnis, 1602. inhabilitatem illam sustulit. In Decreto tamen Sixti non comprehenduntur Moniales, uti Sixtus ipse declaravit: nec illi, qui æs alienum solvere possunt: nec parva debita habentes; nec, qui sine sua culpa debita contraxerunt. Unde, si quis horum ingredi Religionem velit, expendendum, quid eis jure naturæ liceat.

QUÆSTIO XV.

An mors, vel capitale supplicium debitoris extinguat obligationem restituendi?

Resp. Non extinguit; sed obligatio transit ad hæredes. aut, si nullus esse hæres velit, bona defuncti manent obligata creditoribus, qui morte debitoris non amittunt jus suum. 363. *Per se loquendo non extinguit.*

Nec obstat, quòd fur morte plectatur; quia Respublica, puniendo delictum, non derogat juri creditorum, aut eorum, quibus furatus est. Et quidem, si res furto sublatæ adhuc in se, vel æquivalenti existant, sine dubio restitutio facienda est. Si non existant res, ob quas ablatas fur punitur, censentur acquiescere, & condonare damnificati: docentque multi, non esse obligationem, nisi exigatur compensatio; nisi tamen damnum esset valde grave, aut damnum

 passus

passus valde egeret, aut ob defectum ætatis, aliamve causam debitum exigere non posset, vel damnum remittere.

Similiter obligatio non extinguitur morte creditoris: sed omnia jura ejus transeunt ad hæredes; qui si desint, nec jura defuncti sibi Fiscus applicet, impendenda sunt causis piis ex præsumpta voluntate defuncti; qui si, antequam expenderentur, resurgeret, ei solvendum esset; quia jus suum retinuit: idque verum est, etsi per ultimam voluntatem alicui reliquisset sua; quia relinquit sub conditione: Si moriar, maneamque mortuus. Maritus ex mortuis resurgens esset liber ab uxore; quia non contraxit, nisi ad dies vitæ, teste Apost. 1. ad Cor. 7. Idem est de Religioso professo.

QUÆSTIO XVI.

An causa, excusans à dilatione Restitutionis, excuset à compensatione damni, quod Dominus, vel Creditor ex dilatione patitur?

364. *Si debita sint ex delicto, non excusat.* Resp. Si debita sint ex delicto, non excusat; sed tenetur debitor compensare lucrum cessans, & damnum ex dilatione emergens; etsi dilatio fieret ex inculpabili inadvertentia. Ità Mol. Less. L. 2. C 16. N. 32. Lug. Disp. 21. N. 17. & D. 18. N. 40. aliique apud La Croix N. 252. *Ratio est*; quia horum causa est præcedens injuria, sine qua illa non evenissent; & debitor ex delicto tenetur creditorem restituere in eum statum, in quo fuisset, si injuria non fuisset illata: alioquin injuria non tollitur tota.

Pu-

Putat quidem Burghaber Centur. 1. Cas. 10. cum Nav. non teneri ; eò quòd damnum sequatur ex dilatione justa, & inculpabili : causa autem justa radicitùs purget moram ; admittit tamen teneri , si conjecisset se in necessitatem sciens & volens, ex qua solvere modò non posset. At , licèt damna non sequantur immediatè ex injuria , sequuntur tamen mediatè , & velut primâ radice. Et quamvis justa causa differendi purget moram à peccato , non tamen ab obligatione : sicut , si incendisses Titii domum , & pœnitens facti conareris omni modo extinguere , licèt cessaret tuum peccatum , tamen tenereris de toto damno. Ità hic. Et damna censentur confusè sub communi ratione damnorum prævisa. Unde potiùs reus, quàm innocens damnum pati debet. Hoc admitti rectè potest , quod notat La Croix ex Illsung : nempe non teneri , si fieret dilatio ob talem necessitatem , in qua licuisset Domino rem illam auferre ; quia tunc damna non imputarentur delicto , sed necessitati ; quæ sicut excusat à furto acceptionem , sic nunc excusat retentionem.

Si autem debita sint ex contractu gratuito , & non ex delicto , non tenetur titulo injuriæ compensare lucrum cessans , vel damnum emergens ex dilatione ob justam causam , & inculpabilem facta , cùm injusta causa non sit illorum : justa autem causa foret extrema , vel gravis necessitas præsens , vel oritura ex restitutione , &c. 365. *Si sint ex contractu, dubium est.*

An autem non teneatur vi onerosi contractûs , dubium est. Negat cum communi , & teste La Croix, verâ sententiâ , Lugo Disp. 18. N. 35. Si dilatio fiat ex inculpabili oblivione,

 aut

aut ignorantiâ damni omninò non prævisi: nisi adfuisset pactum expressum de damnis resarciendis, etiam in mora inculpabili. Si verò dilatio cognosceretur futura damnosa Domino, & voluntariè fieret, rectè docet Lugo ibid. N. 37. & alii, esse obligationem, foreque debitorem in mala fide, si animum compensandi non haberet. *Ratio est*; quia creditor non tenetur ex charitate consentire in dilationem, nisi quatenus opus est ad avertendum actuale damnum, vel gravem necessitatem proximi; sed ad hoc opus non est, ut gratìs, & sine onere resarciendi damnum, consentiat in dilationem in debitoris gratiam. Sicut, quando proximus est solvendo, vel alibi habet, non teneor in necessitate ipsi mea suppeditare sine onere restituendi, ùt habet communissima cum Lug. D. 16. N 170. Ità nec, pro avertendo damno, vel necessitate gravi, teneor carere mihi ex Justitia per contractum onerosum debitis sine compensatione damni.

Certè non videtur æquum, ut debitoris conditio in pari casu melior sit, quàm creditoris, possidentis jus exigendi solutionem secundùm contractum, & debitor se servet indemnem cum damno creditoris. Unde creditor non tenetur sic consentire in talem dilationem, saltem nisi adsit extrema, vel saltem gravis necessitas debitoris; quamvis non possit esse rationabiliter invitus, quòd debitor differat solutionem, & utatur pecuniâ, creditori v. g. ex mutuo debitâ. Sicut, si ad salvandam vitam tuam indigeres equo Titii, licèt non posset is esse rationabiliter invitus, quoad usum equi; justè tamen exigeret compensationem damni inde secuti, si esses solvendo, ùt

nemo negabit. Aliud foret, si res esset debita ex liberali promissione; quia promittens pro tali casu non censetur se obligare.

In hac controversia expendendæ sunt circumstantiæ, quantitas, & qualitas damni, tam ex parte debitoris, quàm creditoris, & causa differendi solutionem, ut rectè dignoscatur, an creditor possit esse rationabiliter invitus sine compensatione damni. Dicast. vocat sententiam negantem, etsi debita sint ex delicto, probabilissimam, si causa differendi sit gravis necessitas, vel periculum spirituale; eò quòd causa justa purget moram. V. Lug. D. 18. Num. 43.

CAPUT VI.

De Injuriis in bonis internis animi & corporis, per occisionem, mutilationem, & vulnerationem, ortâque inde obligatione restituendi.

BOna interna animi alia sunt supernaturalia, ùt gratiæ, & virtutes per se infusæ; alia naturalia, ùt ingenium, scientiæ, artes, usus rationis, memoria. Bona corporis verò in ejus integritate, sanitate, conjunctione cum anima consistunt, violarique possunt per occisionem, mutilationem, percussionem, stuprum, adulterium, &c.



QUÆS-

QUÆSTIO I.

An, & quando lædens proximum in bonis tum naturalibus, tum supernaturalibus animi peccet contra Justitiam, & teneatur ad Restitutionem?

366. *Peccat contra justitiam, teneturq; restituere, si per vim, vel fraudem nocuit.*

RESP. Qui per vim, fraudem mendacium aut metum injustùm nocet proximo in bonis animi, seu naturalibus, seu supernaturalibus, ut, si philtro, aut veneno delirum facit: si fraude impedit à consecutione scientiæ, vel artis, vel boni alicujus spiritualis: si vi, metu, fraude inducat in peccatum; peccat contra Justitiam, teneturque ad integram damni reparationem, id est, tenetur vim, metum, fraudem, si adhuc duret, tollere, bonumque animi ablatum, vel impeditum reponere, si possit, vel per se, vel per alium, & damna fortunæ inde secuta resarcire. *Ratio est*; quia secundùm dicta homo non minùs habet jus strictum, ut in bonis iis invitus non lædatur, aut per fraudem, vim, aut metum ab iis justè & licitè consequendis,non impediatur, quàm in bonis fortunæ. Dixi 1. *Si per vim, &c.* Nam, qui sine vi, fraude &c. tantùm per consilium in iis nocuit, non tenetur ad restitutionem ex Justitia; nisi fortè induxerit ad peccatum contra Justitiam, aùt in aliquo læserit, in quo læsus jure suo cedere non potest; utì est v. g. perpetua memoriæ, aut rationis privatio; quia volenti voluntate cessivâ juris, efficaciter non fit injuria. Quanquam posset esse obligatio removendi malum illud ex charitate. Dixi 2. *Tenetur reponere bonum animi, si possit*; quia si omni

omni conatu adhibito, remotáque vi, fraude & metu resarciri nequeat; non tenetur id compensare pecuniâ, vel aliâ re corporali, ùt infra dicetur, quia bona animi excedunt omnem æstimationem rerum corporalium. *Hinc deduces.*

367. *Corollaria.*

Si induxit in errorem practicum.

1. Qui dolo induxit alium in errorem, præsertim practicum, ex quo damnum grave illi oriri possit, sive sit in materia artis honestæ, sive in materia morum; tenetur ex Justitia damna, inde secuta, resarcire, & errorem patefacere ad damna plura præcavenda. Idem est de errore speculativo circa præcipuos articulos Fidei, vel principia universalia, unde multæ conclusiones, adeoque scientia aliqua magna ex parte dependet. Cæterùm error circa aliquod aliud objectum speculativum inductus dolo, passim non est graviter nocivus.

2. Qui ex officio tenetur docere veritatem, & nihilominus vera falsis, improbabilia probabilibus sine convenienti cura permiscet, injuriam facit, teneturque errorem tollere.

Si in peccatum grave.

3. Quî vi, mendacio fraude, metu injusto induxit aliquem in peccatum lethale, tenetur sub mortali ex Justitia non tantùm removere peccati causas, seu vim, metum, vel fraudem; sed etiam, si inductus non curet resipiscere, illum instruere, suggerere media opportuna, utì, si alteri persuaserit, pollutionem non esse peccatum, fornicationem non esse mortalem. Si autem sine dolo, mendacio, &c, induxerit, tenetur tantùm ex charitate.

Si impedivit ab ingressu in Religionem.

4. Qui vi, fraude, vel metu injusto impedivit aliquem ab ingressu Religionis, aut jam ingressum abstraxit, tenetur tum impedito, vel abstracto, tum ordini resarcire omne damnum

num emergens, & lucrum cessans. Non tenetur tamen loco impediti, vel abstracti ingredi ipse Religionem; quia damna ordini secuta non sunt tanta, ut per rem tam gravem, qualis est Professio religiosa, compensari debeant. Quodsi impeditus mutârit mentem, & sublatâ fraude &c. in ea mente perseveret, non videtur, per se loquendo, teneri eum inducere ad ineundam Religionem; quia non expedit Ordini, invitos allici, & induci: sunt enim passim magìs oneri, quàm auxilio. Quodsi tamen dolus, vel fraus perseveraret, ex qua mentem mutâsset, teneretur ejus author illam tollere: quia à magno bono eum impediret. Unde & parentes peccant graviter, nisi causa gravissima subsit, qui metu reverentiali liberos impediunt à Religione, utpote statu securissimo, & bono maximo. Qui sine fraude abstrahit Professum, ex eo præcisè non peccat contra Justitiam, utì nec Professus; quia Monasterium in eum tantùm habet jus jurisdictionis, & alia damna facilè per alium compensantur.

QUÆSTIO II.

An, & quis sine injuria, & licitè possit occidere, mutilare, aut verberare nocentes?

Constant ex dictis sub n. 28. Sequentia: 1. Non licet ulli se directè occidere: quid liceat indirectè, dixi ibid. 2. Homo tenetur adhibere media ordinaria pro vita conservanda, non tamen, per se loquendo, extraordinaria. 3. Nec Respublica habet Dominium in vitam, vel

vel membra privati. 4. Judex, scientiâ privatâ sciens, accusatum, & reum probatum, esse innocentem, non potest condemnare ad mortem. 5. Non licet directè occidere innocentem: indirectè, seu permittere ejus mortem, ex justa actione secuturam, quandoque licet. Quæstiones quædam restant resolvendæ, ut obligatio restituendi ex occisione, vel mutilatione orta cognoscatur. His præmissis ad quæstionem

Resp. Per se loquendo, potest solus Princeps, Magistratus, vel Respublica, aut alter hujus Præses in punitionem delicti, quando hoc talem pœnam meretur, & id bonum commune exigit. *Ratio est;* quia non licet occidere etiam nocentes, nisi authoritate à Deo concessâ propter bonum commune: proinde id ad eum solum pertinet, cujus est procurare bonum commune; hoc autem pertinet ad Principem, vel Magistratum, dicente Apost. ad Rom. 13. *Si malum feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Minister enim Dei est vindex in iram ei, qui malè agit.* Quare delicta punire actus est Justitiæ vindicativæ, quæ, exigente sic bono communi, in Principe, vel Magistratu residens tendit non tam in correctionem peccantis, quàm in æqualitatem pœnæ cum delicto, & in bonum publicum, ad deterrendos nempe alios ab ejusmodi delictis: & hinc punitio locum habet, etsi reus se emendaverit, nec credatur unquam amplius peccaturus. Quia verò non convenit, praxisque non habet, ut Princeps per se pœnam exequatur; hinc constituti sunt ministri, quibus executio demandatur.

368. *Per se non licet authoritate privatâ.*

Nec obstat, quòd cuilibet Sæculari Laico, nisi

nisi quid speciale obstet, liceat occidere in territorio sui Principis bannitum, seu, ùt Jus Canonicum vocat, diffidatum, id est, publicum Reipublicæ hostem, qui nec capi, nec accusari potest, & per sententiam publicam mortis proscriptus est: nam tunc quivis est constitutus Minister Justitiæ in ejusmodi intra territorium proscribentis, non extra; quia proscriptus tum non subest proscribentis potestati. Quanquam multi putant, semper adesse tacitum consensum alterius Principis, in cujus existit territorio. Dixi: *Nisi quid speciale obstet*: nam non tantùm Clericis, in sacris constitutis graviter prohibetur. *Cap. Sententiam*, ne in causas sanguinis se immisceant; sed etiam pietas exigit, ne filius parentem bannitum occidat. Idem dicit Laym. de patre respectu filii, de uxore respectu mariti. Excipe tamen, nisi bonum commune aliud exigeret; ùt, si bannitus aliter ab incommodis patriæ averti non posset; quia bonum patriæ, quæ est communis omnium mater, prævalet privato.

369. *Corollaria.* *Ex his resolves* 1. Non licet marito uxorem, vel filiam, in adulterio deprehensam, occidere; quia, licèt leges civiles, indulgentes justo dolori, in foro externo actum talem non puniant, nec incurratur excommunicatio; meritò tamen à Jure Canonico prohibetur, repugnatque juri naturali: nam, quando reus capi potest, audiri, & condemnari, servandus est ordo juris, nisi sit periculum in mora, aut aliæ adsint circumstantiæ, actum honestantes. Dein repugnat charitati, extra gravissimam necessitatem occidere aliquem existente in mortali, non concesso tempore redeundi ad gratiam.

2. Licito-

2. Lictores, & satellites, jussi comprehendere malefactorem, non possunt licitè eum occidere, etsi se conetur eorum manibus eripere, nisi concurrant hæc: 1. Nisi habeant speciale mandatum de eo capiendo à Magistratu. 2. Nisi capiendus se armatâ manu opponat, crimenque sit atrox, & capitale; isque de eo sit sufficienter diffamatus. 3. Si alio modo capi non possit, & timeantur graviora mala, si evadat. Horum unum si desit, peccant occidendo. La Croix L. 3. P. 1. N. 797.

3. Non licet verberare aliquem, potestati suæ non subjectum, nisi accedat consensus, saltem tacitus, habentis potestatem v. g. patris in filium, domini in servum; quia verberatio est quædam punitio: hæc autem præsupponit potestatem saltem gubernativam. Excipe, nisi id necesse esset ad avertendam actualem injuriam &c.

QUÆSTIO III.

An licitum sit aliquando injustum actualem aggressorem mutilare, occidere, in vitæ suæ, pudicitiæ, bonorum fortunæ, & famæ, & honoris defensionem?

Pro resolutione præsentis quæstionis Anno 1748. 20. Septembris inter Theses de Jure Naturæ pro inauguratione Doctor in utroque Jure, proposita sunt sequentes:

1ma. *Imminentem injuriam corporalem quovis modo amoliri permittit Jus naturæ.*

2. *Hinc ad avertenda sola verbera, etiam non lethalia, extrema defensionis media rectè arripiuntur, ubi leviora non sufficere deprehenduntur.*

An autem in sensu universali, quem simpliciter prolatæ Theses faciunt, sint conformes Juri naturæ; facilè quisque deprehendet, si maturè expendat consectanea. 1. Nam si quovis modo licet amoliri injuriam corporalem imminentem &c. Ergo, si alicui levis injuria corporalis immineat ab alio, poterit hunc, si alio modo non possit eam amoliri, licitè vulnerare graviter, imò & occidere. 2. Si plebejo ab alio paris conditionis immineant verbera, nec possit ea avertere, nisi defensione occisivâ, licitè poterit eum interficere. 3. Si filio innocenti à parente irato immineat gravis percussio, quam aliter declinare non possit, licitè poterit illi fuste brachium diffringere; imò, si hoc non sufficere deprehendatur, eum occidere. Quæ & similia ex Thesibus consectanea, quàm absurda, & Juri naturæ difformia sint; quis non videt? an hoc non sit animosæ, præsertim nobili juventuti ad vulnerationes, mutilationes, & homicidia viam aperire, prudentibus relinquo judicandum. Pro vera quæstionis resolutione

370. *Propositiones damnatæ.* *Nota.* Damnatæ sunt ab Inn. XI. hæ propositiones: 1ma ordine 30. *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre; si aliter hæc ignominia vitari nequit. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat.* Hæc propositio falsa est 1mò: quia talis licentia in maximam Reip. esset perniciem: homines

mines enim ex sinistro affectu odii, invidiæ, vel præoccupatione judicii facilè sibi persuaderent, ab hoc, vel illo sibi imminere proximum infamiæ periculum, sicque cædibus omnia permiscerentur. Unde licet aliquando evidens esset, gravem tibi imminere infamiam ab alio, evidensque esset, non posse eam aliâ viâ declinari, quàm occisione aggressoris; rectus tamen ordo in Rep. rationali postularet, ut nunquam liceret defensio illa occisiva; quia homines fingerent sibi facilè evidentiam. Bonum autem publicum debet prævalere privato; adeoque potiùs ab uno toleranda illa dehonoratio, quàm permittenda illa defensio. 2. Quia talis defensio non est ordinariè medium avertendi calumniam; sed sæpè famæ magìs obest: nam traheris ad judicium, probare non poteris, & condemnaberis ut homicida &c. 3. Potest fama illa aliâ viâ recuperari, & viri cordati potiùs calumniatorem vilipendunt, quàm eum, qui calumniam patitur: imò si hic se moderatè gerat, maximè eum commendant; cùm condonatio injuriæ sit actus præstantissimus fortitudinis; occisio verò innocentem non probat.

2da Propositio ordine 32. inter damnatas est hæc: *Non solùm licitum est defendere defensione occisivâ, quæ actu possidemus, sed etiam, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Hæc quoque propositio falsa est: quia sic quoque Resp. humana plurimis involvetur perturbationibus, & cædibus; nec certi sumus, nos obtenturos, quæ speramus, adeoque damnum incertum est, ob quod proximo inferre mortem, rectæ rationi repugnat.

3tia ordine 31. est hæc : *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei.* Hæc quoque falsa est, & rectæ rationi repugnans : quis enim dicat, posse profundi vitam proximi ob leve malum, quale est amissio unius aurei, qui & recuperari ordinariè facilè potest. Viva dat hanc regulam ut ob damnum temporale possit injustus invasor licitè occidi, debet esse evidens, quod damnum grave inferatur, nec possit aliâ viâ impediri.

Præterea damnata est ab Alex. VII. hæc ordine 18. *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, à quo iniqua certò imminet sententia; si aliâ viâ non possit innocens damnum evitare.* Et hæc falsa est ; quia & licentia illa innumeris cædibus viam panderet : litigantes enim sibi facilè persuaderent, se iniquè condemnandos, nec aliter se posse sententiam iniquam impedire. Unde rectus in Republ. ordo id exigit universim prohiberi : sicut exigit prohiberi fornicationem, etiam pro casu, quo debita prolis educatio non esset defutura ; quia homines facilè sibi persuaderent, bonæ educationi satis prospectum iri ; sicque luxuries grassaretur cum summa Reip. confusione. Et hinc Deus non dedit homini administrationem seminis, nisi in legitimo matrimonio. His notatis.

371. *Iniquus vitæ aggressor.* Resp. 1. Licet, per se loquendo, cuivis privato contra quemvis injustum actualem aggressorem vitæ, defensione etiam occisivâ, cum moderamine tamen inculpatæ tutelæ, se se defendere. Est communis 1. Quia Exod. 22.

v. 3.

v. 3. dicitur non esse mortis reus, qui furem nocturnum occidit; quia fur is præsumitur venisse non tantùm animo furandi, sed etiam occidendi; ùt exponit S. Aug. 2. In Jure *Can. Cap. Si verò. de sententia excomm.* & *Cap. 18. de homicidio* dicitur: *Vim vi repellere omnes leges, & jura permittunt. Nihil siquidem tam naturale, quàm se ab injuriis defendere.* 3. Homo jus habet conservandi vitam suam injustè oppugnatam, illamque præferendi vitæ injusti aggressoris, si hic se ex mera malitia in hoc periculum conjicit: ergo potest licitè illam defendere per media ad id necessaria Itaque quando vulneratio, mutilatio, aut occisio ad id est necessaria, ea licet. Quia tamen homo ad media extraordinaria non tenetur; occisio verò est medium difficile, & extraordinarium; hinc ordinariè ad illam non tenetur. Si tamen non esset in statu gratiæ, aut de eo meritò dubitaret; stultè faceret, se exponendo periculo corporis, & animæ.

Dixi 1. *Per se loquendo*: nam si aggressor esset persona Reip. necessaria, vel valdè utilis, ùt Princeps, Dux exercitûs; ordo charitatis posset exigere, ut bonum commune præferret privato: nisi tamen anima oppugnati periclitaretur.

Dixi 2. *Contra injustum actualem aggressorem*: Nam imò ante aggressionem, vel post eam jam cessantem, occidere non licet; quia non adest vis repellenda, nec locus est defensionis, ubi non est aggressio. Hinc non licet occidere, aut repercutere eum, qui percussit, & jam desistit, nisi percuteres ad injuriam futuram avertendam, quam audacior

factus esset illaturus, sicque fraterna esset correctio. 2. Necillum, qui jam fugit, aut ob vulnus acceptum non potest ampliùs nocere. 3. Qui scit, se quæri, ut occidatur, non potest prævenire occidendo; quia vis nondum infertur: si tamen alter jam proximè se pararet ad occidendum, vel insidiis te cingeret; posses prævenire, quia foret actualis aggressio. Unde non teneris exspectare 1mum ictum. Multi quidem apud Card. in 30. ab Inn. IX. damnatam dicunt, licere cessantem repercutere percussorem, aut insequi ad percutiendum fugientem, quantum necesse est, ad tuendum honorem: sed sententia illa, etsi speculativè à P. La Croix L. 3. P. 1. N. 804. putetur probabilis, cùm possit fieri ex intentione tantùm defendendi honorem, aliàs magìs lædendum; in praxi tamen vix abierit spiritus vindictæ.

Dixi 3. *Cum moderamine inculpatæ tutelæ*: hoc est, ut nihil fiat, nisi quod necessarium est ad vitam servandam, vel injuriam avertendam; alioquin non erit defensio, sed injusta vindicta. Hinc si aliter possit mors vitari, v. g. injustum invasorem armis spoliando, debilitando, vulnerando; non licet occidere; quia ejus occisio non est necessaria ad vitam servandam; sicque exceditur moderamen inculpatæ tutelæ.

Dixi 4. *Licet se defendere*: Neque enim licet ex odio vel spiritu vindictæ; & probabiliter nec, directè intendendo mortem in se, occidere; sed sola vitæ propriæ conservatio per justam defensionem intendenda est; quia, ut ait S. Th. 2. 2. q. 64. a. 7. non est licitum, quòd privatâ authoritate homo intendat occidere

dere hominem, ut se ipsum defendat : hoc enim ad sui defensionem necessarium non est ; sed satis est, quòd intendat conservationem vitæ suæ per gravem vulnerationem, quâ alter fiat impotens ad nocendum, quamque & ideo licet intendere; etsi mors per accidens sequatur. Habens tamen publicam authoritatem, mortem potest intendere, referendo hoc ad publicum bonum; ùt miles pugnando contra hostem, minister Judicis, pugnans contra latrones. Ità S. Th. suprà. Less. L. 2. C 9. N. 53. ait, posse intendi mortem in gravi vulneratione veluti causa ; non tamen mortem in se : & sic intelligit S. Thomam.

Si dicas : Salus animæ proximi præferenda est vitæ nostræ corporali. R. Id verum est, quando is est in necessitate, & ope nostrâ ad salutem indiget : at invasor non est in necessitate, sed malitia, seque cessando facilè potest liberare à periculo. Si tamen quis esset moraliter certus de statu gratiæ ; heroicum exerceret actum charitatis, si pro salvanda anima proximi permitteret se potiùs occidi, quàm ipsum occideret in statu mortalis peccati existentem. *Ex his resolves* 372. *Corollaria.*

1mò. Non tenetur vir honoratus fugere iniquum aggressorem, si per hoc gravem ignominiam incurrat ; quia ad tale incommodum avertendum jus habet resistendi stando. Quodsi invasor fuste intentaret ignominiosam percussionem, quæ sine gravi nota declinari non posset, licet ei opponere gladium ; sique aggressor pariter gladium opponeret, posset invasus defensione occisivâ vim arcere, si aliter nequeat ; quia sic non tantùm honor, sed etiam vita iniquè impetitur. Clerici tamen

men & Religiosi ordinariè tenentur fugere saltem ex charitate ; quia ordinariè illis fuga non est indecora : si tamen gravem notam quis incurreret fugiendo, fugere non teneretur. Idem est de Laico homine vili. Qui causam graviter injustam aggressori dedit, v. g. ignominiosè lacessendo, tenetur probabiliter etiam ex justitia fugere, etsi gravem ignominiam subire deberet; quia ratione injuriæ tenetur damnum avertere ab invasore.

2. Innocens, capiendus à satellitibus ignorantibus ejus innocentiam, ùt communiter ignorant, non potest se defendere defensione occisivâ ; quia non sunt aggressores formaliter injusti; bonum autem publicum exigit, ut non lædantur ministri justitiæ, bonâ fide officium suum exsequentes. Secùs foret, si constaret, illos innocentiæ esse conscios.

3. Qui occidit, vulneravit, vel mutilavit, iniquum aggressorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, non tenetur compensare damna secuta ; quia injuriam non intulit. Secùs, si excesserit graviter moderamen necessarium.

573. *Aggressor pudicitiæ.* Resp. 2. Licet virgini, si aliter se defendere non possit, iniquum aggressorem pudicitiæ occidere. Ità teste Less. communis. *Ratio est* ; quia non tantùm est maximum periculum consensûs in delectationem, adeoque peccati mortalis, & depravationis ; sed pudicitia etiam & integritas corporis maximi momenti bonum est, semelque amissum irreparabile, quo homo nunquam per illicitam actionem spoliatur sine dedecore. Unde ait S. Aug. Lib. 1. de lib. arbit. cap. 5. *Multò immanius est, aliquam violenter stuprum pati, quàm*

quàm eum, à quo vis infertur, interimi. Servandum tamen & hic est moderamen inculpatæ tutelæ; & de hoc intelligitur S. Aug. quando videtur favere sententiæ oppositæ quorundam. Porro certum est, quòd teneatur mulier invasori pudicitiæ resistere non tantùm interiùs per displicentiam, sed etiam exteriùs totis viribus, etiam clamoribus implorando auxilium, si aliter se tueri non possit: non resistendo enim, sed quietè permittendo, id omne ponit, quod ad cooperationem in actum turpem requiritur. Hinc Deut. 22. quæ vim patiens non clamavit, jubetur lapidibus obrui. Quodsi puella ab aliquo vi tactum, vel osculum furtivum passa sit, potest fugienti alapam infligere, non in vindictam, sed in sui defensionem pro futuro: si enim dissimulet, credet is, id ei placere, & facile repetet. Talem alapam dicit Tamb. esse actum fraternæ correctionis.

374. *Invasor temporalium bonorum.* Resp. 3. Licet pro avertendo in bonis temporalibus, actu suis, damno valde gravis momenti, si aliter recuperari, vel conservari non possint, contra actualem invasorem se defendere defensione occisivâ. Ità Nav. Caj. Bann. S. Anton. Vasq. Mol. Valent. Laym. Lug. Mastrius Bosco, Herinx, Sporer. & alii apud La Croix L. 3. P. 1. N. 808. Prob. 1. quia temporalia sunt necessaria ad vitam conservandam secundùm statum proprium; & charitas non exigit subire valde gravem illorum jacturam pro vita proximi, nisi in extrema, vel valdè gravi necessitate: invasor autem non est in necessitate; sed in malitia, à qua potest, & debet desistere: quodsi non faciat, sibi imputet, si vita lædatur. 2. Id exigit communis securitas,

ritas, & Reip. bonum: huic enim non esset satis prospectum de libertate à furibus, & prædonibus; si non liceret aliquando sua tueri defensione occisivâ - fierent enim nimis audaces. 3. Jure naturæ vim vi repellere licet; idque leges juris positivi utriusque permittunt: nimis autem dura esset obligatio non occidendi furem gravis admodum rei temporalis: quando id unicum est medium rem suam servandi. Ob has rationes multi idem permittunt Clericis, & Religiosis; quia & his jus est in sua, illis non minùs necessaria, quàm sua sunt Laicis; neque jure positivo eis prohibetur, quod jure naturæ aliis licet. Confirmatur: Jure divino, & gentium licet bello defensivo sua tueri, & invasores occidere; imò & bello offensivo agere ad sua sibi vindicanda, & resistentes occidere, quando aliâ viâ recuperari bona non possunt.

Dixi tamen 1. *Si aliter recuperari, vel conservari non possunt*: nam si id fieri possit clamando, auxilium implorando, vel vulnerando, aut per Judicem &c. occidere non licet.

Dixi 2. *Pro damno valde gravis momenti*; quia rei levis damnum facilè resarciri potest, debetque contemni ex charitate pro vita proximi conservanda, in peccato aliàs non raro morituri. Et sic intelligitur S. Aug. L. 1. de lib. arbit. Cap. 5. dicens: *Non esse immunes à peccato, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humanâ cæde sunt polluti.* Quæ autem hîc censenda sit res magni momenti; non potest unâ regulâ universali definiri, sed considerandæ sunt circumstantiæ.

Communiter est receptum, licere occidere furem

furem imò pro tuenda re hîc & nunc necessariâ ad vitæ conservationem. Unde Spoter, & Tamb. dicunt, unum alterumve aureum esse rem magni momenti respectu pauperis, si ejus substantia in eo consistat. 2. Si fur nocturnus effringat fores, nec aliter vitari possit mortis periculum, posse occidi. Item si fur diurnus defendat se armis; quia tunc censetur impetere vitam. 3. Si auferat ad statum sustinendum necessaria: saltem si eorum defectu lapsus in gravem miseriam immineret.

Dixi 3. *Contra actualem invasorem*; quia ante aggressionem, & post eam, re jam à fure in tuto collocatâ, non licet occidere: tunc enim coram Judice conveniri potest. Cum re tamen fugiens adhuc est actualis aggressor; sique sine vitæ periculo sic fugere posset, multùm augeretur furum audacia. Reliqua constant ex dictis. Quando Exod. 22. reputatur homicida, qui furem diurnum occidit, lex illa judicialis agit de foro externo, in quo præsumitur non servatum moderamen inculpatæ tutelæ: eò quòd fur diurnus clamando facilè abigi, dignosci, & apud Judicem accusari possit. Secùs est pro foro interno, si ista absint.

Cæterùm, quæ tibi licent pro defensione vitæ, & bonorum tuorum; licent quoque pro defensione vitæ, & bonorum proximi tui nexu charitatis tibi conjuncti: non teneris tamen vitam proximi defendere cum periculo probabili vitæ propriæ; nec cum occisione invasoris, nisi quandò periclitatur salus invasi: tunc enim potiùs innocenti succurrendum est; utì &, si esset persona publica, v. g. Princeps:

secùs

ſecùs enim, cum ambo ſint proximi, & non teneatur invaſus ſe defendere defenſione occiſivâ, nec tu teneberis. Nec deſunt quoque, qui docent, non licere occidere invaſorem bonorum temporalium, niſi ſimul invadatur vita, ùt præſumitur invadi à fure nocturno; aut bona ſint neceſſaria ad ſuum ſtatum tuendum.

QUÆSTIO IV.

An pro vitanda morte, vel gravi infamia aliquando procurare abortum fœtus humani liceat?

375. *Nullo caſu licet procurare directè.* Reſp. Nunquam licet etiam pro vitanda morte, vel extrema infamia procurare directè abortum, ſeu expulſionem fœtûs humani, ſeu animati, ſeu adhuc inanimati. Eſt communis & certa: nam Innoc. XI. damnavit hanc ordine 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtûs, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.* Et ratio eſt: vel enim fœtus eſt animatus, vel non eſt? ſi eſt, jam committitur homicidium; cum verè occidatur homo innocens, quod non licet, etſi cum matre fœtus eſſet moriturus; incurriturque irregularitas, & excommunicatio. Si non eſt animatus, non committitur quidem homicidium, nec incurritur irregularitas, attamen eſt ſemper mortale peccatum: quia agitur contra finem naturæ, & hominis naſcituri bonum, deſtruendo inchoatam generationem, & duplex ſemen, cujus operatio ordinatur non tam ad bonum individui, quàm ad conſervationem totius ſpeciei humanæ; cujus bono cedere debet bonum privati. Quare

ſicut

sicut nunquam licet pollutio directè quæsita, sic nec expulsio directa fœtûs: imò ferè semper periculum est, ne expellatur fœtus animatus; valdè enim incertum est, quando animetur. Habet quidem communis sententia cum Aristotele L. 7. de anim. Mares animari die 40ma, fœmellas verò 80mâ post susceptum à muliere semen; dicitque Card. certum videri, quòd non infundatur anima, nisi corpus per præcipua organa sit dispositum: non desunt tamen, teste La Croix, probati A. A. qui dicunt, quandoque prima, quandoque 2da, quandoque 3tia die animari pro diversa dispositione matris, & seminis: animari autem fœtum animâ rationali priùs, quàm infans nascatur, certum est apud omnes, propositioque opposita damnata est ab Innoc. XI.

Hinc 1. Non licet matri sumere, aut ei præbere medicinam, ex vi sua ordinatam, ad depulsionem fœtûs etiam inanimati, etsi sit certa utriusque mors, si non adhibeatur, & probabile sit, matrem servandam, si adhibeatur; ùt habet communior contra San. Viva in damnatam 34. ab Inn. XI. N. 8. & alios, opinantes, posse licitè expelli fœtum inanimatum, si alioquin mater sit moritura; eò quòd fœtus ille sit aggressor vitæ matris, & propagationi speciei humanæ non noceatur; cùm matre mortuâ non sit nasciturus homo. Verùm horum sententia meritò ab aliis rejicitur: tum quia valdè incertum est, quandonam fœtus animetur; sicque vix aberit periculum homicidii: tum quia, sicut non licet expellere directè semen verum humanum; etsi ex ejus abundantia vita periclitaretur; sic non videtur licitum, expellere fœtum, estque utrumque in- 376. Corollaria.

trin-

trinſecè malum : ſique in aliquo caſu liceret ; homines, falsò ſibi perſuadentes ejusmodi caſus, abuterentur illâ licentiâ in detrimentum generis humani ; invaleſceret fornicatio, à quâ absterret timor prolis, futurique partûs, indeque infamiæ. Nec verum eſt, quòd fœtus ſit aggreſſor matris ; cùm contra eam nihil moliatur, tam parùm, quàm ſemen, ex quo morbus lethalis immineret. Aliud eſſet, ſi fœtus antè animatus jam eſſet mortuus : tunc enim non haberet amplius rationem fœtûs ; ſed humoris, vel noxiæ materiæ. *Nec juvat*, quòd liceat abſcindere membrum pro conſervatione corporis : nam membrum velut pars phyſica ordinatur ad bonum totius, proinde in bonum totius, ubi neceſſe eſt, abſcindi poteſt : at fœtus non eſt pars matris, nec ordinatur ad matrem, ſed ad ſpeciem humanam. *Nec juvat* etiam, quòd, pereunte matre, fœtus ſit periturus : nam nihilominus recta gubernatio Reip. humanæ exigit, ut non liceat fœtum directè expellere, ne homines licentiâ illâ utantur in detrimentum generis humani, & peccata multiplicanda : ſicut ex eodem capite exigit, ut non liceat directè ſemen expellere, etſi vitæ periculoſum.

2. Si infamia, vel mors ab intrinſeco immineat, non licet pro ea vitanda ſumere medicinam, quæ etiam indirectè tendat ad fœtûs expulſionem : quia, cùm medicina prodeſſe non poſſit ad infamiam, vel mortem, quæ ab extrinſeco imminet, avertendam, niſi quatenus expellit fœtum ; ſumens medicinam, directè intenderet expulſionem fœtûs : qui enim intendit finem, intendit & medium ùt tale : medi-

cina autem hìc non est medium, nisi quatenus expellit fœtum.

3. Si tamen matri, & fœtui mortis periculum immineret, licet matri sumere medicinas per se, & directè tantùm ad matris sanitatem tendentes, quando aliud medium non suppetit: etsi per accidens sequi possit expulsio fœtûs etiam animati: quia periculum ex tali medicina, fœtui fortè oriturum, compensatur per spem salvandi matrem, & fœtum.

4. Si verò omissis medicinis periculum soli matri immineat; fœtus autem speretur supermatri victurus, & ad Baptismi gratiam perventurus; non licet adhibere medicinas cum periculo probabili enecandi prolem; sed tenetur mater vitam corporalem exponere pro salute prolis, extremè periclitantis.

5. Si medicina non conduceret ad alium finem, quàm ad expulsionem fœtûs, illâ uti non liceret; quia directè expelleretur fœtus. Si homo cum bestia se misceret, putat Gobat, esse licitum occidere bestiam; quia ex homine rarissimè concipit. La Croix L. 3. P. 1. N. 831. sed vide P. 4. N. 107.

6. In dubio, an fœtus fuerit animatus, aut medium adhibitum ad expulsionem ejus contulerit, adest irregularitas. Non tamen, si mas expellatur ante diem 40mum, quia censetur non animatus. In dubio, an fœtus expulsus post diem 40mum fuerit mas, censetur talis, & expellens irregularis est.



QUÆS-

QUÆSTIO V.

Quando licitum, quando, & quibus sub pœnis prohibitum sit duellum?

577. *Quid, & quotuplex sit duellum?* Nota: Duellum, seu duorum bellum, græce monomachia; latius acceptum, est singulare duorum certamen, cum vitæ, mutilationis, vel gravis vulnerationis periculo susceptum; propriè verò, & strictè sumptum, est singulare duorum certamen ex condicto, mutuo consensu, loco, & tempore designato cum periculo, vel intentione mortis, mutilationis, vel gravis vulnerationis susceptum: Unde ad hoc requiritur, ut fiat armis, ad hos effectus aptis, ex consensu mutuo per aliquod temporis intervallum prævio, ut designetur determinatus locus, & tempus concertandi. Si suscipiatur cum certa forma, uti, si adhibeantur testes, quos patrinos, & secundantes appellant, vel mittantur literæ provocatoriæ, vulgò Chartell, vel chiroteca, aut annulus, vel constituatur locus securus, quem campum francum nominant, dicitur duellum solenne. Potest autem duellum suscipi vel authoritate publicâ, & boni communis causâ, vel privatâ authoritate & causâ, v. g. ad defensionem vitæ, honoris, vel bonorum fortunæ, ad avertandam ignominiam, dedecus, notam timiditatis, privationem officii &c.

Quæritur hic 1mò. An, & quando liceat duellum susceptum authoritate publica? 2do. An aliquando liceat illud offerre? vel acceptare authoritate privata? 3. Sub quibus pœnis prohibitum sit duellum authoritate privata offerre, vel acceptare?

Resp.

Resp. 1mo. Duellum authoritate publicâ suscipere licet 1. Si cedat ad majus Reip. bonum v. g. ad terminandum bellum justum, vel principum controversiam, aliàs multo sanguine vix finiendam, uti si ab utraque parte designetur unus, vel plures, ut pugnando bellum, vel controversiam terminent: cùm enim pugna generalis ex justa causa liceat, non minùs licere debet singularis; imò magis est elegibilis, cùm sic minus sanguinis fundatur, pauciorésque cædes fiant. Exempla suppeditant sacræ, & profanæ historiæ. Sic David authoritate Regis Saülis licite pugnavit cum Goliath; Carolus V. Imperator Francisco Primo, Galliarum Regi duellum, nemine improbante, detulit; S. Wenceslaus Rex Bohemiæ, uti in ejus officio 28. Sept. legitur; ad certamen singulare contra ducem E[illegible]rimensem eo fine licitè processit, ut suorum saluti prospiceret; visique sunt Angeli arma ministrasse, dictumque adversario: *ne ferias*. Hoc tamen cavendum est principi, ne per singulare certamen victoria reddatur minùs certa, alioquin objiceret Remp. majori periculo, peccarétque contra justitiam. Dixi: *Ad terminandum bellum justum*, nam habens bellum injustum nec offerre, nec acceptare duellum potest; quia & hoc repugnaret justitiæ. 2do: Licet, si hostis insultans duellum offerat videaturque ejus acceptatio necessaria, aut minimùm valdé expediens ad avertendam exercitus animorum dejectionem, & ignominiam, frangendamque hostis animositatem, & ferociam: hoc enim casu licet etiam offerre duellum; quia ubi permissus est finis permissa sunt, & media, aliunde non prohibita. 3tio. Ex multorum

378. *Quando liceat authoritate publica?*

ſententia licet, ſi duobus, ad mortem juſtè condemnatis, judex injungeret duellum, eâ lege, ut victori fieret vitæ gratia, quia tunc illi conſtituti eſſent juſtæ ſententiæ executores, adeoque juſtè procederent: quanquam judex peccaret; quia tale duellum injungere ſpeciem habet crudelitatis. Dixi: *juſtè condemnatis*: quia judici non convenit jus in vitam Innocentis: unde nec nocens juſtè pugnaret contra innocentem, nec invicem duo innocentes.

Quando ex ea non licet. Econtra non licet, etiam interveniente authoritate publicâ principis, ducis, vel judicis offerre, vel acceptare duellum. 1mo. Ob finem vanum v. g. ad oſtentationem virium, peritiæ tractandi arma; oblectationem ſpectantium. 2do. Nec ob finem ſuperſtitioſum E. g. ad manifeſtandum veritatem, innocentiam, ad objecti criminis purgationem, dubiæ litis deciſionem. Ratio primæ partis eſt; quia nemo eſt dominus ſuæ, aut alterius vitæ: Unde illam exponere periculo manifeſto ob finem vanum repugnat juſtitiæ, & rectæ rationi. Aliud eſt, ſi id poſtulet bonum commune. Ratio 2dæ partis eſt; tum quia duellum ad tales fines eſt inutile, ſique à Deo exſpectarentur tales effectus, eſſet formalis tentatio Dei; tum quia tam innocens, quàm reus occidi poteſt; quare judex tam crudele medium imperans peccaret graviter contra charitatem, juſtitiam, & religionem.

379. *An aliquando liceat authoritate privatâ?* Reſp. 2. Duellum, propriè dictum, authoritate privatâ offerre, aut oblatum acceptare nullo caſu licet, ita contra Reiffenſtuel, Scybolt Pichler, & quóſdam alios ad Tit. 14. L. 5. Decret. *De Clericis pugnantibus in duello*, habet communis ſententia: Nam 1mo repugnat juri

juri naturæ; quia Deus nulli concessit dominium in suam, aut alterius vitam, vel membra extra casum necessariæ defensionis contra actualem aggressorem; duellum autem non est medium necessarium quòd in loco. Determinato, temporeque instituitur; proinde est intrinsece malum, & nullo casu licitum. 2do. Repugnat juri divino positivo: Nam Exodi 20. & Deuteronomii 5. dicitur: *non occides.* Quæ lex licet cæterum sit naturalis, dicitur tamen etiam divina positiva, quatenus per Moysen est promulgata, & decalogo inserta. 3tio. Repugnat juri Ecclesiastico in Tridentino Sess. 25. cap. 19. *de Reform.* ubi duella dicuntur detestabilis usus, fabricante diabolo, introductus. Item Cap. *de torniamentis.* Cap. de vulgari purgatione, quibus accedunt Bullæ variorum Pontificum Julii II. Leonis X. Pii IV. Benedicti XIV. Denique 4to. Repugnat juri civili nempe variorum Principum edictis, nominatim Imperatorum Ferdinandi III. qui in provocantem, & acceptantem duellum statuit pœnam mortis, Leopoldi primi, qui anno 1666. ad eandem pœnam eos condemnavit, etsi pugnassent sine testibus, sine vulnere, etiam extra provinciarum suarum fines. Eidem pœnæ subjecit patrinos, & coadjutores; fugitivorum autem bona addixit fisco, perpetuáque illos notavit infamiâ. Demum Francisci 1mi, modò gloriose imperantis, qui provocantes ad duellum ipso facto declaravit infames: unde provocatus respondere potest provocanti, nolle se habere rem cum infami. Galliarum quoque Reges præsertim Ludovicus XIV. aliique Principes varias in duellantes tulerunt pœnas.

Dixi : *Duellum proprie dictum* : Nam contra injustum actualem aggressorem etiam pugnando se suáque tueri cum moderamine inculpatæ tutelæ , seu quando id est necessarium, nec alia superest se tuendi via , non tam duellum , quàm defensio est , omni jure licita. Hoc A.A. supra citati extenderunt ad duellum loco , & tempore condicto committendum , quando non est aliud , quod male supposuerunt , se tuendi medium , uti si vir militaris, duello recusato , privandus esset officio , quo se suósque sustentat , aut id illi necessarium esset ad decentem , sui , suorumque sustentationem ; alii ad casus particulares alios. Sed audiamus modernum supremum Christi interris Vicarium Sanctissimum Patrem Benedictum XIV. qui in sua constitutione incipiente : *detestabilem* 1752. editâ, tanquam falsas , scandalosas , & perniciosas damnavit , prohibuitque doceri , defendi seu conjunctim seu divisim sub pœna excommunicationis latæ sententiæ , sibi reservata , has quinque propositiones.

Propositio I.

Propositiones damnatæ.

Vir militaris , qui , nisi offerat , vel acceptet duellum , tanquam formidolosus , timidus, abjectus , & ad officia militaria ineptus haberetur , indeque officio , quo se suosque sustentat , privaretur , vel promotionis , aliàs sibi debitæ , ac promeritæ , spe perpetuò carere deberet , culpâ , & pœnâ vacaret , sive offerat, sive acceptet duellum.

Propositio II.

Excusari etiam possunt honoris tuendi , vel humanæ vilipensionis vitandæ gratia duellum acceptantes , vel ad illud provocantes , quando

do certò sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

Propositio III.

Non incurrit pœnas Ecclesiasticas, ab Ecclesia contra duellantes latas, dux vel officialis militiæ, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, vel officii.

Propositio IV.

Licitum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad conservandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

Propositio V.

Asserta licentia pro statu naturali applicari etiam potest statui civitatis malè ordinatæ, in qua nimirum vel negligentiâ, vel malitiâ Magistratûs justitia apertè denegatur.

Itaque propositiones his contradictoriæ veræ sunt, & sententiæ oppositæ, quas aliqui bonâ fide docuerunt, rejiciendæ tanquam falsæ, scandalosæ, & perniciosæ, sive loquantur de hominis statu naturali, in quo homines statuuntur vivere nullius, nisi Dei jurisdictioni, nullis legibus, nisi naturalibus subjecti; sive de statu civitatis malè ordinatæ, in quo nempe homines imperantium jurisdictioni, legibusque etiam humanis subditi, & coadunati ad civilem beatitudinem vivunt: est enim civitas perfecta hominum Societas, munita imperantium jurisdictione, ad civilem beatitudinem coadunata, de qua dixit Cicero pro Muræna: *Roma urbs est, civitas eam incolit.* Differt à statu conjugali, & familiæ, qui, utpote destitutus jurisdictione, ad propulsandas, & reparandas injurias, reosque puniendos, & coercendos malos, sufficiente, & necessariâ, Socie-

Societas imperfecta est, adeoque non sufficiens ad civilem beatitudinem.

Hinc 1mo. Nec offerre, nec acceptare duellum licet ad tuendum honorem, ad avertendam ignominiam, dedecus aut timiditatis notam. Ratio est; quia rectæ rationi repugnat, medium crudele cum evidenti suæ, & proximi vitæ, salutisque periculo adhibere ad finem, ad quem nec utile, nec necessarium est, tale autem est in præsenti casu duellum: nam quod sit medium; cum evidenti periculo utriusque monomachi vitæ, & salutis conjunctum, per se patet; quod verò sit medium ad tuendum honorem &c. Nec utile, nec necessarium expendenti quoque patet: inprimis enim ad eum finem non est utile, monomachus siquidem, contra legem naturalem, divinam, & humanam se, & proximum objiciens manifesto mortis periculo, suam apud prudentes existimationem non conservat, sed amittit, velut prodigus vitæ, & salutis ob insanam mundi æstimationem: vel enim vincet, & proximum suum occidet, vel vincetur, & morti succumbet: Si primum punietur ut homicida, aut fugere debebit, ut infamis cum summo suo, & suorum detrimento; si secundum privabitur Ecclesiastica sepultura, & sepulchrum ejus erit infernus. Vera æstimatio, laus, & decus non sunt posita in stolida mundi opinione, cujus sapientia stultitia est apud Deum, sed in virtute, & observatione mandatorum Dei, & in iis fundata sapientum æstimatione & Laude, à quibus commendabitur, qui, contemptis mundi judiciis, Deo, & superioribus obediens suæ, & proximi saluti, vitando duellum, consulit: Ignominia non est pa-

ti, ſed inferre injurias, deinde duellum non eſt medium ad vitandam timiditatis notam non enim timidus, ſed fortis cenſendus eſt, qui in reverentiam legis ſeipſum vincit, qui in periculis facit quod faciendum, vitat quod vitandum eſſe, recta ratio dictat; non qui temere ruit in ſuam, proximique perniciem. Denique duellum non eſt medium ad iſta neceſſarium, ſed aliis vitari poſſunt. Poteſt enim pro ſatisfactione implorari à læſo judex, poteſt amica conventione placari, & dirimi controverſia; poteſt inique provocatus provocanti dicere: Ego Deum, & leges ejus veneror, te non timeo; ſed more conſueto prodibo paratus contra quemcunque aggreſſorem me tueri, non fugâ ſed armis, ubi neceſſè erit, loco condicto non comparebo, nolo Deum offendere, nolo te facere prædam diaboli, & me ſubjicere manibus carnificum; hominum dicteria non curo, ubi de honore Dei, ſalute meæ, & animæ tuæ agitur; ubi me aggredieris vim vi repellam, tibi imputa, ſi aut in perpetuam infamiam, aut in corporis, & animæ interitum te præcipites. Hæc ſi non proficiant, ferenda eſt potius hominis inſania, quam adhibendum medium illicitum tanto cum periculo. Interim poteſt provocatus armis, ad vim repellendam neceſſariis, inſtructus incedere, quia non tenetur actiones, ſibi licitas, cum notabili incommodo omittere, prudentíſque eſt ſibi conſulere. Ad locum tamen condictum deſignato tempore, caveat accedere: Licèt enim acceſſus ille ſit actio de ſe indifferens, iis tamen in circumſtantiis haberet neceſſariam connexionem cum duello, utpote quod in iis ut plurimùm ſequitur, atque ita ſe exponeret

sine justa causa suumque adversarium periculo vitæ, & salutis æternæ.

2do. Non licet viro militari, aut equestri in aula offerre, vel acceptare duellum loco, & tempore condicto, etsi alioquin cedere deberet officio, quo se suósque sustentat, imò nec, quamvis hoc illi necessarium esset ad sui, suorumque decentem sustentationem. Est contra aliquos supra citatos qui existimarunt, id licere, eò quod provocans ad duellum in eo casu etiam bona fortunæ magni momenti aggrediatur provocati, sed pars prima responsionis constat ex 1ma, & 6ta propositione damnata; secunda pars ex iis recte colligitur: *Ratio* autem *est* 1*mo*; quia, sicut occisio defensiva non licet, sic nec duellum, nisi contra actualem aggressorem, idque non nisi cum moderamine inculpatæ tutelæ; provocans autem ad duellum non est actualis aggressor provocati; nam imprimis actu non aggreditur vitam, uti patet, aliàs liceret statim uti defensione occisiva, si non esset alia se defendendi via; deinde non aggreditur actu ejus fortunæ bona: hæc enim necdum possidet, sed ad illa tantum jus inhoatum & condionatum, & spem habet, si nempe suo officio functus fuerit, ad tuenda verò bona, quæ actu non possidemus, sed speramus, aut ad quæ jus tantum inchoatum habemus, non licet uti defensione occisivâ, ut constat ex damnata n. 370. rejecta. *Confirmatur* 1*mo*: Si provocatus, recusato duello, esset excludendus consueto suæ conditionis consortio hominum non censeretur actu invasus; ergo à pari nec censentur bona ejus invasa, quod à jure inchoato, & spe excludatur. Confirmatur 2do. Si provocans

ad

ad duellum in casu invaderet actu ejus bona fortunæ, utpote maximi momenti, non esset damnata quarta, & quinta propositio. *Ratio est 2do.* Duellum est medium tuendi bona fortunæ, quæ sperantur, valde incertum; nam si, uti evenire facile potest, in duello occumbat provocatus, uxorem liberos, aliosque suos omni spe auxilii destituet, si antagonistam occidat, infamis erit apud sapientes. *Ratio est 3tio.* Quia, si tale duellum in aliquo casu censeretur licere, licentia illa vergeret in maximum humanæ Reip. detrimentum, summámque perturbationem: Nam viri, præsertim nobiles, & in honoratis officiis constituti pro communi vitiosa propensione in vindictam, honorisque, & temporalium bonorum, quæ ad suum statum vel necessaria, vel valde utilia existimant, defensionem, facile sibi persuaderent in variis casibus, recusato; aut non oblato duello, imminere sibi jacturam officii, gratiæ principum, honoris, indeque bonorum, ad suæ familiæ seu necessitatem, seu decorem sustinendum necessariorum, atque ita multiplicarentur duella, cædes & perpetua esset perturbatio, inimicitiæ persecutiones invalescerent, Respublica privaretur hominibus utilissimis, liberi & uxores destituerentur necessariis &c. Quare, quamvis certum moraliter esset, gravissimum occasione recusati duelli in bonis fortunæ detrimentum esse secuturum, tamen illud offerre, aut acceptare non liceret; quia bonum commune, & rectus in Republica humana ordo, qui præferendus est bono privato; exigit id universim prohiberi: Unde manet pro omni casu intrinsecè malum, aliaque ad coercendam insani provocantis insolentiam adhi-

benda sunt media, neque negatio justitiæ id magis potest facere licitum, quàm fornicationem mulieris, quæ, sibi violentiam fieri à Lenone queretur, & à Judice non audiretur.

3tiò. Si inimicus tuus ad te ingrediatur armatus, & intentet tibi mortem, vel incendium domûs, nisi designatâ horâ & loco extra portam velis duello concertare cum ipso; non potes duellum addicere, quia accessus ad locum designatum, & horâ determinatâ non est necessarius ad tuî defensionem, sed potes auxilium implorare, verbis amicis conari placare insanientis animum, potes dicere: ego me tuebor, ubicunque invasus fuero: faciam, quod, salvâ religione & reverentiâ erga legem Dei, potero, tibi utpote proximo meo, quem ex lege Christi teneor diligere, cupio non nocere. Si in duello succumbas, & extremæ te addicas miseriæ, non nisi tibi imputare poteris. Hæc si locum non habeant, potes arma opponere, sique alia non restet via te defendendi, eum lædere, aut etiam occidere, si tibi in præsenti intentet mortem, eamque aliter declinare non possis.

4tò. Non licet duellum eâ lege suscipere, ut, uno vulnerato, aut post certum ictuum numerum, pugna cesset; tum quia difficile est arma, ad vulnerandum apta, cum intentione vulnerandi ità moderari, ut non infligatur vulnus lethale; tum quia Clemens VIII. in sua Constitutione: *Illius vires*: Duella etiam non fatalia prohibuit, perque ea incurruntur pœnæ in duellantes latæ: sunt enim scandalosa, & occasionem præbent fatalibus.

5tò. Non licet duellum suscipere cum animo non pugnandi: tum quia duellum in designato loco suscipientes volunt credi ab aliis, se vero duello

duello concertaturos, atque ità præbent ſcandalum ſcientibus, lege divinâ, & humana duellum eſſe prohibitum; tum quia leges Eccleſiaſticæ non tantum prohibent cædes, ſed intendunt etiam deteſtabilem duellorum uſum extermi-nare: huic autem fini repugnant duella ficta.

Reſp. 3. Pœnæ duelli, propriè dicti, etſi non 381.
ſolennis, ſtatutæ tam à Tridentino *Seſſ.* 25. *cap.* *Pœnæ*
19. *de Reform.* tum à ſummis Pontificibus ſunt *duelli.*
ſequentes.

1ma eſt excommunicatio, lata 1mo in ipſos duellantes, eorum patrinos, fautores, provocantes, acceptan:es, ſuadentes, equos, arma, commeatus præbentes, comitantes, chartulas, libellos, manifeſta mittentes, ſcribentes, aut divulgantes, vel quomodolibet circa iſta cooperantes, ſocios, de induſtria ſpectantes, non tamen ex oculto, vel in tranſitu aſpicientes. 2dò. in dominos temporales, in terris ſuis locum ad duellum concedentes illud permittentes, non impedientes, delinquentibus veniam, & impunitatem concedentes. 3. In eos, qui prædictis quoquo modo ſe immiſcuerunt, etiamſi nec pugnæ effectus, nec acceſſus ad locum ſubſecutus fuerit.

2da Pœna eſt amiſſio juriſdictionis, & dominii, quod prædictis dominis temporalibus competebat in civitatem, caſtrum, locum, in quo vel apud quem duellum permiſerint, ſi ab Eccleſia obtinuerint, vel in feudum acceperint, ità ut feudalia dominis directis ſtatim acquirantur.

3tia eſt proſcriptio omnium bonorum, & perpetua infamia, ſtatuta in ipſos duellantes, & patrinos.

4ta est privatio perpetua Ecclesiasticæ sepulturæ, lata in decedentes in, vel ex duello. Hæc pœna olim lata tantùm erat in eos, qui in loco conflictûs obibant, etsi signa pœnitentiæ dedissent. At novissimè Benedictus XIV. Papa in Constitutione: *Detestabilem*: decrevit, ut ante omnem Judicis sententiam pœna illa incurratur à decedente non solùm in loco conflictûs, sed etiam extra illum ex vulnere, ibidem accepto, sive duellum publicè, sive privatim indictum fuerit, & etiamsi vulneratus ante mortem non incerta signa dederit pœnitentiæ, atque à peccatis, & censuris absolutionem obtinuerit, sublatâ Episcopis, & Ordinariis locorum super hac pœna interpretandi, ac dispensandi facultate.

5ta est privatio asyli, ab eodem Pontifice lata in eum, qui in duello, sive publicè, sive privatim indicto occiderit hominem, sive hic mortuus fuerit in loco conflictus, sive extra illum ex vulnere, in duello accepto. Insuper statuit, eum habendum tanquam homicidam, qui interfecerit proximum suum animo præmeditato, ac deliberato ad normam constitutionis antecessoris sui Benedicti XIII. quæ incipit: *Ex quo Divina*: ità ut à quocunque loco sacro, aut religioso, ad quem confugerit, servatis tamen de jure servandis, extrahi, & Judicis competentis Curiæ pro merito puniendus extradi possit, ac debeat. Constitutionem Benedicti XIII. retuli P. 2. N. 114.

6ta. Præter pœnas aliis communes, in Clericos duellantes lata est suspensio, privatio omnium beneficiorum, inhabilitas ad beneficia deinceps obtinenda. Jure antiquo tantum duellantes Clerici. & duellum acceptantes, incurrebant duntaxat suspensionem ab officio; Jure

autem

autem novo Pii IV. incurrunt etiam eam tantùm instigantes, faventes, & promoventes, & insuper privationem omnium beneficiorum Ecclesiasticorum, officiorum, dignitatum, fiuntque inhabiles ad illa, & alia imposterum obtinenda. Potest tamen in his, nisi mors, aut mutilatio sit subsecuta, Episcopus dispensare.

Dixi in resp. *Pœnæ duelli propriè dicti*: hoc enim solùm spectant pœnæ, ab Ecclesia latæ: unde si duo subitâ irâ excandescentes singulari certamine congrederentur, aut ex subito motu exirent ad alium locum tutius pugnaturi, pœnas non incurrerent.

Dixi 2. *Etsi non solemnis*: quamvis enim pœnæ, utpote odiosæ, olim censerentur tantùm respicere duella solemnia, eas tamen Gregorius XIII. & Clemens VIII. extenderunt ad duella etiam non solemnia, ità ut excommunicatio Sedi Apostolicæ reservata, privatio Ecclesiasticæ sepulturæ ubique incurratur ob duella etiam privata. Quoad alias autem pœnas, constitutiones illorum Pontificum teste Laym. Gobat; Pichler in Germania non sunt in usum deductæ; sicut & Trid. quoad pœnas temporales proscriptionis bonorum, infamiæ, privationis, jurisdictionis in his partibus receptum non esse, multi testantur. Quidquid sit de hoc, non omnes, licèt latæ sint sententiæ, eodem modo in aliis etiam locis incurruntur. Nam excommunicatio, privatio Ecclesiasticæ sepulturæ, si duellum sit notorium, privatio asyli, irregularitas, ex vulnerati morte secuta, ipso facto ante omnem sententiam Judicis, etiam criminis declaratoriam incurruntur, privatio autem beneficii, ante legitimè obtenti, & juxta Molin. Sanch. Navar. inhabilitas ad alia beneficia obtinenda,

nenda, amissio jurisdictionis, loci, & bonorum requirunt sententiam criminis declaratoriam; quia sunt privatio juris acquisiti. Idem dicit La Croix de infamia, & Ecclesiastica sepultura, quando crimen non est notorium, quia pœnæ publicæ, ut inquit S. Th. tantùm delictis publicis sunt infligendæ. Quare si duellum non sit evidenter notum in, vel ex eo mortuus Ecclesiasticâ sepulturâ nec donandus, nec privandus est, antequam auditus sit Episcopus, qui si longè absit, ità ut sepultura usque ad ejus responsum differri non possit mortuus, si signa pœnitentiæ dederit, sepeliendus est secretò in loco sacro sine pompa. Ità La Croix.

QUÆSTIO VI.

Quando bellum sit licitum, & quando illicitum?

382. *Requisita ad bellum justum.* Bellum (quod est pugna multitudinis contra multitudinem extraneam) si sit defensivum, quo iniqua vis repellitur, est licitum, non tantùm ad injuriam repellendam, sed etiam ad rem suam vindicandam authoritate publicâ; quia jure naturæ licèt se tueri contra injuriam, cumque supremi Principes coram Judice conveniri non possint, licet authoritate publicâ ex amore justitiæ vindicativæ de injuria vindictam sumere, & procedere ad bellum offensivum, seu tale, quo vis alteri infertur. Hoc, ut sit licitum & justum, requirit has conditiones:

1ma. Debet geri authoritate Principis, vel Magistratûs non agnoscentis Superiorem, qualis est Papa, Imperator, Reges, & quædam

Resp.

Resp. ut Venetorum, Genuensium, &c. *Ratio est*; quia, qui habet Superiorem, potest, debetque eum implorare, ut de re controversa judicet, & injuriam vindicet; qui verò, authoritate publicâ præditus, Superiorem non habet, ipsemet potest de ea cognoscere, judicare, & justo modo vindicare injuriam.

2*da*. Debet esse justa causa id gerendi v.g. injuriæ, vel rei injustè ablatæ, vel possessæ recuperatio, restitutio pacis & securitatis publicæ, subjugatio rebellium.

3*tia*. Priusquam inchoetur, debet bellum gesturus curare jus suum, & partis adversæ diligenter examinari à viris doctis & piis. Quodsi jus ejus, facto examine, inveniatur minùs probabile, juxta omnes non potest licitè bellum indicere; quia succedit Judici, qui non potest judicare secundùm minùs probabilem. Si autem pro illo, non possidente, staret major probabilitas, juxta aliquos potest rem illam bello quærere; juxta alios requiritur moralis certitudo, cùm ex bello sequantur plurima incommoda; & certa, legitima possessio prævaleat rationi, etsi magìs probabili. Hinc si pro utraque parte stet æqualis probabilitas, & pro una possessio certa & legitima, hæc bello impeti non potest.

4*ta*. Debet pars, cui bellum intendendum videtur, instrui rationibus bellandi, sique cedat iis, bellum indici non debet, utpote non necessarium cum tot incommodis & cædibus.

5*ta*. Non debet fieri ex odio, vel vindicta privata, aut vana gloria, neque præcisè ad imminuendas vires adversæ partis, ne aucta prævaleat, & nocere possit: neque enim occidere

dere licet homines, ne nocere possint; aliàs cædibus permiscerentur omnia. Quæ in bello liceant, & quæ non liceant, dixi in Neo-Confessario, N. 164. viderique potest La Croix L. 3. P. 1. à N. 867. & alii.

QUÆSTIO VII.

Quid, & quibus teneatur restituere injustus vulnerator, mutilator, vel occisor extra duellum?

383. *Tenetur ad omnia in bonis fortunæ.* Resp. Tenetur omnia, & probabiliùs sola damna realia restituere, quorum causa per se proxima injustaque fuit; præcisè autem pro cicatrice, membro, vitâ, nihil tenetur restituere. 1*ma pars* est communis; quia causa per se damni reparabilis, exigente Justitiâ, tenetur reducere æqualitatem. *Pars* 2*da* quoque communior & probabilior est contra Sotum, Molinam, Sylvest. Cajet. & alios.

Ratio nostra est 1. Justitia non obligat ad reparandum damnum, quod ex natura sua est irreparabile: atqui tale est jactura vitæ, membri &c. *Major* constat; quia Justitia intendit æqualitatem, ejusque motivum cessat, ubi hæc obtineri non potest. *Minor* probatur; quia, quidquid præstiterit occisor, mutilator, damnum illatum manet, nec habetur, quod in commercio humano sit aptum substitui, vel commutari. Hoc ipso enim, quòd sint diversi generis, non habent communem mensuram, quâ ad æqualitatem reducantur, nec ratione sui, ut patet, nec ratione humanæ indigentiæ: ratione hujus enim communem mensuram tantùm habent res, quæ ab homi-

nibus occupatæ, mutuo consensu sunt ab uno in alium transferibiles propter mutuam indigentiam: sic quantùm unus eget, & juvatur alterius v. g. equo; tantum hic eget illius, juvaturque v. g. pecuniâ. At verò vita, sanitas, membra, potentiæ, fama, honor non sunt res ejusmodi: unde communis sensus est: Bonum unius generis per alterum diversi generis non compensari.

2. Ut sit obligatio restituendi, debet ex natura rei aliquid determinatè esse debitum; atqui determinari non potest, quantum sit restituendum v. g. pro excusso oculo, vel pro vita: si enim dicas: pro vita deberi mille, cur non duo, cur non tria millia? Quamvis enim homicida non teneatur ad tantum, ut incidat in gravem, vel extremam miseriam, si tamen dives sit, nulla determinata summa taxari poterit, cùm semper possit plus & plus exigi, quin adæquetur vita & ea redeat.

3. Communis is hominum sensus est, ut nisi ad tales solutiones velut pœnas condemnentur, non putent, se ad eas obligari, nec hæredes putent, se posse aliquid exigere præcisè pro occisi vita; quod tamen procul dubio facerent, si esset obligatio restituendi per diversum boni genus: non secùs ac, naturâ dictante, pro damno in bonis fortunæ &c. exigunt in eodem genere compensationem. Unde *L. ultimâ de his, qui effuderint*, dicitur: *Cicatricum & deformitatis nulla fit æstimatio; quia corpus liberum nullam æstimationem recipit.* Et ideo, quidquid detur pro vita, non fit compensatio etiam partialis illius. Contingere tamen potest, ut bonum unius generis sit medium ad illud diversi generis reparandum

v. g. honor ad famam reparandam &c. *Ex his resolves*

384. *Corollaria. An etiã parentibus, cognatis, creditoribus?*

1. Occisor, mutilator, vulnerator tenetur restituere expensas in medicamenta, Medicum, lucrum cessans si ante mortem factæ sunt expensæ, & lucrum cessaverit quod quis sanus fecisset, vel ex vulnere ineptus non fecit; quia horum injusta causa per se fuit occisor, vulnerator, mutilator: & quia adhæc læsus jus ante mortem habuit; eo mortuo, debentur hæredibus, qui si desint, expendenda sunt in pias causas, vel eleëmosynas. Expensas tamen funeris ordinariè præstare non tenentur, utpote nihilominus aliquando faciendas. Si tamen modò majores fuissent faciendæ, v. g. quia defunctus sepeliri debuit extra patriam, excessus ille compensandus esset.

2. Si occisus uxorem, & liberos, vel parentes adhuc habuit, his damna emergentia ex occisione, & lucrum cessans post mortem compensanda sunt, non quidem secundùm quantitatem, quam singulis antè lucratus est, ac si jam acquisitum esset; sed secundùm spem judicio prudentum, spectatis circumstantiis: lucrum enim variis modis impediri potest, & æstimatio ejus facienda est pensatis hominis læsi, vel occisi valetudine, robore, ætate, peritiâ, artificio, statu, modo vivendi, & lucrandi, deductis expensis, & iis, quæ consumpsisset: hæc enim inter lucra ad hæredes transeuntia numerari non possunt; sed tantùm, quæ ex opera & industria hæredibus obvenissent: v. g. si spes lucri æstimata fuit 500. florenis, & consumpturus pro se erat 100. hæredibus obvenire non possunt nisi 400. Ratio dictorum est; quia uxor, liberi, parentes faciunt

ciunt unam cum defuncto personam, hisque debebantur ab occiso alimenta, atque ità occisio per se & proximè connectitur cum eorum nocumento, & hujus causâ per se & proxima fuit occisor, qui detrahere non potest labores, quibus occisus lucrum facturus fuisset; quia, quòd occisus hos non posuerit, ex injuria oritur, sique hi detrahi possent, totum fere lucrum detraheretur: unde sicut, qui abstulit opifici instrumenta, tenetur totum lucrum cessans, non detractis laboribus, compensare; ità hic, ùt habet communis.

Quodsi occisus, vel mutilatus fuisset homo otiosus, nullam faciens spem lucri, nullum compensandum esset. Similiter, si uxor, occiso per alium marito, æquè commodè nupserit, vel nubere possit, aut eâ occasione gratis ab alio alatur, occisor nihil debet uxori; quia injuria non fuit efficaciter damnosa, & occisor non obligatur uxori, nisi in quantum succedit in obligationem mariti; hic autem non tenetur alere uxorem, si aliunde habeat alimenta. Ex eadem ratione non tenetur alimenta præstare parentibus occisi, si aliunde alere se possint.

3. Etsi fratribus, sororibus, vel consanguineis occisi, si descendentes, vel ascendentes non habet, obveniant bona ejus, damna que in iis causata compensanda sint ipsis; lucrum tamen cessans post mortem occisi iis compensare probabiliùs non tenetur occisor. Ità Molina T. 3. D. 83. N. 6. Less. L. 2. Cap. 9. Dub. 26. Sotus, Lugo D. 11. S. 4. N. 77. & alii contra varios, quorum aliqui cum Navarr. censent, omnibus, quibus occasione homicidii damnum evenit, vel lucrum cessat, etsi tantùm spem ad id habuerint, compensandum

 esse.

esse. Alii cum Sanch. volunt, restituendum esse filiis, parentibus & uxori absolutè : cæteris autem tantùm, si damnum occisor præviderit inde secuturum, sive ei sint consanguinei, sive amici. Ratio horum est; quia, qui alium per vim, fraudem, aliamve injuriam impedit à bono obventuro, vel sperato, tenetur ad compensationem. Sed ratio nostra est; quia damnum, quod aliis ex occisione sequitur, non habet connexionem cum occisi vita in ratione debiti, sicut habet cum damno filiorum, parentum, præsertim egentium & uxoris, quibus alimenta debebat, sed tantùm per accidens, & remotè connectitur; atque adeo ad id præcavendum non est obligatus occisor: nemo enim habet jus obligans me ex Justitia, ut abstineam ab operationibus meis in iis omnibus, quæ per accidens & remotè illi possunt creare nocumentum. *Confirmatur.* Si argumentum adversæ partis valeret universaliter, occisor non deberet tantùm restituere iis, qui occisi liberalitate alebantur, sed etiam sperantibus ab ipso promotionem, eleëmosynam, invitationem ad prandium, intercessionem apud Judicem, quod repugnat sensui communi & praxi, & nemini teste Lugone, in mentem venit: unde, licèt sententia opposita speculativè defendi possit, ad praxin tamen inutilis est, repugnatque menti Confessariorum, & pœnitentium quodque fundamentum contrariæ sententiæ non bene universaliter concludat, satis constat, probantque Less. & Lugo locis citatis. Vide dicta sub Num. 332. Fatendum tamen, sententiam valde probabilem esse, quæ obligat occisorem ad compensandum lucrum cessans fratribus, aliisque hæredibus ab intestato;

stato; quia jus habent succedendi in defectu testamenti.

Superest dubium, an occisor teneatur creditoribus occisi præstare compensationem, si debita, quæ aliàs solvenda fuissent, nunc solvenda non sint? Affirmat Molina loco cit. Num. 8. Laym. L. 3. P. 2. C 6. & alii; quia debitor occisus arctiùs obligabatur creditoribus, quàm filiis: his enim non debebatur, nisi quod deducto ære alieno restabat. Negat, teste Molinâ, communior, quam sequitur Less. & Lugo suprà. *Ratio est*; quia non est causa damni illis per se, sed per accidens tantùm, cùm non constituant unam cum occiso moraliter personam, uti liberi, uxor, parentes ob nexum arctissimum, & rarissimè ideo plus damni patiantur: vel enim occisus liberos, vel uxorem, vel parentes in vivis habuit, vel non? Si habuit, jam illis compensando æstimationem sperati lucri, factum est creditoribus, quod sperare potuerunt. Si non habuit, jam valde incertum est, an à vivo plus potuissent exspectare, quàm modò reliquerit: fortè enim inivisset Matrimonium, aut plus, quàm lucrum consumpsisset, & jam minus ad creditores pervenisset. Atque ob hanc causam meritò dicit Lugo, non esse causam, nisi per accidens, damni occisorem, nisi intenderit illud, quo casu putat fore causam per se. Sic inquit: Si quis vellet ad locum certum, devotionis causâ ire, & ibi offerre pium donum, & tu, ægrè carens ejus præsentiâ, suaderes ei, ut non iret, fingendo viam prædonibus infestam; nemo dicet, quòd tenearis compensare illud donum; quia iter non est causa per se illius: secùs, si intendisses locum illum pri

vare hoc dono. Sed de hoc vide dicta N 319.

Utraque sententia probabilis est, sive jam occisor damna explicitè cognoverit secutura, sive solùm confusè in periculo, quâ saltem ratione communiter cognoscit; quia habitualiter scit, quòd occisio ordinariè afferat damna non solùm occiso, sed etiam conjunctis, adeoque confusè cognoscit malitiam, quam habitualiter scit inesse homicidio: sicut Religiosus, qui habitualiter scit furtum religiosi esse simul violationem voti, si furetur, & hanc malitiam contrahit, etsi explicitè de ea non cogitet. Aliud foret, si quis ex gravi fundamento positivè judicaret, eum, quem occidere intendit, carere uxore, & liberis: tunc enim illis injuriam formalem non inferret; quia excluderet confusam ejus cognitionem. Ità Lugo N. 89. & 90.

385. *An sine duello lethaliter vulneratus possit remittere obligationem restituendi?* *Quæres*. Quid dicendum, si lethaliter læsus, sine duello, homicidæ remitteret obligationem damna compensandi. R. Si remitteret damna sibi illata, valida foret per se loquendo remissio, & ea compensare non teneretur occisor. Secùs dicendum, si attentaret remittere damna secutura liberis, aut uxori, vel parentibus post mortem suam, ad quorum compensationem occisor ex justitia iis obligatur; quia hi immediatè læsi sunt: duplex enim intervenit injuria: una in patrem, cui vita aufertur; alia in filios &c. quibus alimenta debentur, & impediuntur. Et ex hac secunda, non ex prima oritur filiis Jus ad compensationem obtinendam ab homicida: quod Jus, cùm oriatur ex injuria filiis illata, pater de eo disponere non potest; præsertim cum vivente patre homi-

homicida nondum debeat compenſationem damni poſt mortem ſecuturi, nec filii Jus ad illam habeant, niſi mortuo patre, cujus morte priùs completur injuriæ efficacia. Unde non apparet, quare pater poſſit illam obligationem remittere. Exemplum habemus in eo, qui alium per fraudem impedivit à beneficio conſequendo, ad quod tamen Jus non habuit: nam Collator poteſt remittere injuriam ſibi factam, non verò factam impedito. Atque ità tenet Lugo, ſive filii aut parentes ſint divites, ſive egentes: unde falſum eſt, quòd filii non habeant Jus majus, quàm habeat pater. Quod dico de filiis, idem dic de creditoribus, ſi illis homicida debeat compenſationem. Dixi: *Per ſe loquendo*: Nam damna ante mortem ſecuta in præjudicium creditorum, & legitimarum prolium remittere non poteſt.

QUÆSTIO VIII.

Ad quid teneatur, qui alium læſit, vel occidit in duello, vel ſingulari certamine?

586. *Tenetur compenſare damna, ſi vi adegit.*

Reſp. Qui alium in duello, vel ſingulari certamine, utrimque ſpontè ſuſcepto, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ vulneravit, vel occidit, juxta communem non tenetur per ſe loquendo, compenſare damna illi ſecuta: *Ratio eſt*; quia vulneratus, vel occiſus cenſetur juri ſuo ad compenſationem renuntiâſſe. Idem eſt, ſi læſus, vel occiſus ſine gravi incommodo, vel infamia fugere potuit, ſed noluit; quia & tunc in pugnam ſpontè conſen-

fensit. Idem quoque est, si ipse invadens occidatur, etsi invasus fugere facilè potuerit; quia, licèt tunc invasus peccârit etiam probabiliùs contra justitiam, authoritate privatâ sine necessitate defensionis occidendo; invadens tamen consensit in damna: sicut consentit provocans ad duellum. Idem denique est, si Titius, contumeliâ à te affectus, te invadat, & tu debito moderamine te defendas; quia Titius, ob verba contumeliosa non habet jus occidendi, & te invadendo resignavit juri suo. Quod si is te occideret, teneretur de damnis; quia injustè te occideret non consentientem in damna.

Dixi 1. *In certamine singulari utrimque sponte suscepto*: quia si provocans occiderit provocatum, qui metu gravis infamiæ, vel incommodi declinare certamen non potuit, tenetur compensare damna inde secuta; quia provocatus accessit involuntariè.

Dixi 2. *Servato moderamine inculpatæ tutelæ*: Si enim gravis in hoc excessus causa fuerit efficax damni, aliàs non secuturi: ùt si occiderit, cùm satis fuisset vulnerâsse, si alterum vulnus inflixit, cùm satis fuisset inflixisse unum, tenetur id damnum compensare; quia causa illius injusta fuit, nec alter consensit in damna, nisi secundùm leges duelli, nec in pugnam, nisi cum debito moderamine. Consensit quidem acceptando certamen in periculum; non tamen ideo resignavit suo juri; sicut si rem tuam negligenter custodias, consentis in periculum; non tamen, ut tibi aliuseam auferat, aut ablatam non restituat.

An in duello Dixi 3. *Illi secuta*: Nam an possit consentire in damna secutura uxori, liberis, parenti-

gentibus, creditoribus, & cedere jure exigendi compensationem, dubitatur. Affirmat quidem Less. Sanch. & Molina, tenentes, si ante mortem omnia condonet, occisorem ad nihil teneri: verùm imprimis videtur illicitè condonare iis, quod competit creditoribus: sicut, qui non est solvendo, & recusat legata, & donationes acceptare, peccat; quia, qui tenetur ad finem, tenetur ad media. Item qui sua vendit, donat, & ità se minùs potentem facit solvendis debitis, peccat, etsi probabilius validè vendat, & donet, & acceptans, conscius injuriæ, tenetur restituere secundùm dicta: deinde non videtur posse præjudicare alimentis prolium, & pinguiori hæreditati, cùm jus ad compensationem injuriæ filiis, parentibus, uxori illatæ non sit ipsius.

læsus possit obligationem remittere?

Ad hæc tamen respondet Lugo D. 11. N. 71. quòd, licèt post injuriam illatam, v. g. post lethale vulnus non possit occisus remittere damna, quæ aliis injustè per se consequuntur, ante tamen injuriam possit non tam remittere, quàm impedire, ne postea debeantur. Ratio hujus differentiæ est; quia in tantum uxori, vel filiis oritur postea jus contra homicidam, in quantum hic per injustam violentiam eorum alimenta, & emolumenta impedivit; quando autem occisus in sui occisionem consentit, eo ipso actio illa non est violenta, adeoque nec ipse, nec hæredes ab emolumentis per violentiam impediuntur, quæ tamen hìc ad obligationem restitutionis requiritur: Econtra qui non consentit in sui occisionem, & ipse, & ejus hæredes violentiam per eam patiuntur: hinc licèt damna sibi illata possit remittere, modò fiat sine præjudicio creditorum; non

poterit tamen remittere damna aliis injustè illata: similiter non potest ante injuriam illatam remittere damna creditoribus secutura, qui aliàs ab hæredibus solutionem accepissent, & consentiens in illam remissionem peccat contra justitiam, & tenetur restituere: sicut, ùt habet Lugo N. 72. si provocans ad duellum ex justitia deberet alteri alimenta, & ad vitam suam eum in finem conservandam teneretur, provocatus peccaret contra justitiam adversùs tertium illum, occidendo provocantem; quia cooperaretur ejus peccato injustitiæ: unde provocatum nec remissio tacita, nec expressa provocantis excusaret ab obligatione restituendi damna illata tertio.

CAPUT VII.

De injuriis corpori illatis per stuprum, & adulterium, ortaque inde obligatione restituendi.

387. *Stuprum adulterium.* NOta. Stuprum latè acceptum est omnis copula illicita; minùs latè, est violatio virginis, vel viduæ per carnalem copulam facta, ipsâ consentiente; strictè accepta est violenta, id est per vim, fraudem, vel metum injustum, aut reverentialem facta violatio, seu defloratio. Strictè acceptum aliqui dicunt esse deflorationem virginis, sive hæc consenserit, sive non. Adulterium est copula carnalis repugnans non tantùm castitati, sed etiam justitiæ, seu fidei conjugali ex parte unius, vel utriusque; violatur enim jus duorum conjugum, si committatur à duabus personis matrimonii vinculo aliunde

aliunde obstrictis, tumque præter malitiam castitati oppositam, duplicem continet contra justitiam. Si autem una tantùm persona sit conjugata, hujus tantùm conjux patitur juris læsionem.

QUÆSTIO I.

Quandonam corruptor virginis, seu mulieris non conjugatæ ei injuriam faciat, & teneatur ad restitutionem?

Si mulier sponte consensit, ad nihil tenetur violator.

Resp. 1. Qui sine fraude, vi, & metu in- 388.
justo talem induxit ad copulam, injuriam non fecit, & per se loquendo, ad nullam tenetur compensationem: nam imprimis injuriam non fecit puellæ; quia hæc potuit efficaciter cedere Jure suo, & liberè consentiendo re ipsâ cessit; dein nec parentibus, sub quorum fortè custodia, & patriâ adhuc potestate est, quique ideo infamantur, aut coguntur augere dotem, ut æquè honestè nubat; quia filia potest absque injuria parentum non nubere, aut nubere inæquali, cùm ad hoc habeat potestatem sui corporis: ergo potest absque eorum injuria impedimentum ponere melioribus nuptiis, adeoque deflorator, qui ex consensu filiæ impedimentum ponit, etsi precibus & blanditiis copulam obtineat, non peccat magis contra Justitiam, quàm ipsa filia; consequenter nec ad restitutionem tenetur. Rebellus, & quidam alii censent defloratorem quidem non teneri ad supplementum dotis; teneri tamen quoad fieri potest ad restituendum parentibus, si crimen fiat publicum, honorem, & ad dedecus familiæ reparandum. Sed Sanch. & alii id com-

communiter negant ; quia inhonoratio, & dedecus non sequitur per se ex actione, sed per accidens, & ex revelatione, & malitia aliorum: sicut quia infamatio ordinis religiosi non sequitur per se ex peccato religiosi, sed ex divulgatione; religiosus præcisè peccando, v. g. peccato luxuriæ non lædit Jus religionis ad famam.

Dixi: *Per se loquendo, seu ex natura rei;* quia per accidens ad restitutionem obligari potest ex Justitia, v. g. ad augmentum dotis: ut, si occultam filiæ deflorationem revelet, aut per Judicium condemnetur ad mulctam pecuniariam. Cæterùm in foro externo præsumitur virgo seducta, & deflorator cogitur eam dotare, vel ducere. Quodsi re ipsâ tamen seducta non esset, teneretur defloratori restituere summam pecuniæ cum omnibus expensis litis; quia processit fraudulenter, & præsumptio non subsistit, adeoque nec sententia illi innixa. Idem est, si deflorator mulctaretur tanquam deflorator virginis, quæ re ipsâ talis non esset. La Croix N. 315. Porrò si nata sit proles, eam à partu per triennium tenetur alere mater; dein pater, donec possit proles sibi ipsi providere: Imò ab ipso partu tenetur pater, si mater non possit. Juxta La Croix mater tenetur ad Lac; Pater verò ad reliqua admittit hoc Laym. L. 5. Tr. 10. C. 5. N. 5. Filiuc. Si proles. Sit legitima, quia vir accipit dotem, ut onera matrimonii sustineat; Secus si proles sit illegitima. Quodsi duo eandem cognoverint, & dubitetur, uter sit pater, tenetur uterque pro ratione dubii hoc onus subire; cùm uterque posuerit actionem per se generativam. Denique si hospitali proles fuit exposita, paren-

tes ei tenentur restituere expensas; quia hospitale solùm fundatum est pro pauperibus alendis, non pro aliis, nisi suo sumptu; ità communis apud La Croix N. 159. Putant tamen aliqui hospitalia esse maximè instituta, ne proles occidantur ad tegendam infamiam, adeoque exponentes non teneri ad expensas.

Resp. 2. Qui per vim, fraudem, vel metum injustum à soluta obtinuit copulam absque promissione matrimonii gravem injuriam illi fecit, teneturque in conscientia compensare omnia damna compensabilia, ex copula de facto secuta, nisi violentiam passa spontè remittat. *Ratio est;* quia mulier Jus habet servandi corpus suum, & extorquens sic copulam causa est injusta damnorum illorum 389. *Secùs, si vi, vel fraude inducta est.*

Dixi 1. *Damna compensabilia:* nam pro ipsa virginitate, seu integritate corporis, cùm nec pretio, nec aliis bonis inferioribus æstimari possit; non tenetur ad aliquid, nec eam reparare potest.

Dixi 2. *De facto secuta:* Nam si puella præter jacturam integritatis nullum damnum sit passa, eò quòd facinus manserit occultum, & non sit difficultas æquè benè nubendi, non tenetur nisi fortè ad petitionem veniæ pro injuria; quia tunc facinus transit in meram injuriam, pro qua est quidem solvenda pœna post sententiam judicis, nihil tamen propriè restituendum, cùm non sit injuria damnosa reparabilis, nec pro solo periculo debeatur restitutio.

Dixi 3. *Nisi ipsa spontè remittat:* Nam sicut ipsa antecedenter ad damnum integritatis potuit cedere Jure suo absque injuria parentum propriè dicta, ità & post damnum illi illatum

illatum potest cedere Jure suo ad compensationem.

Dixi 4. *Vel per metum injustum* : Nam si justus fuit ; uti si deflorator dixit, quòd vellet, nisi consentiret, eam accusare, de quo justè accusare poterat, non tenetur compensare damna ; quia ipsa consensit, ut hoc damnum evitaret. Sufficeret tamen metus reverentialis conjunctus cum metu mali injustè inferendi ; quia consensus non esset omninò voluntarius. Porro violata non tenetur esse contenta, quòd se violator offerat ad eam ducendam uxorem ; quia debet ei manere libertas nubendi, cui volet, habetque Jus, ut constituatur in eo statu, ut æquè benè possit nubere, acsi violata non esset : quod si violator faciat ; violata debet acquiescere, nec potest exigere, ut is eam ducat, nisi aliter damna compensare non posset ; quo casu nec teneretur ducere, si esset magnus excessus ex parte violatoris ; quia non est obligatio alia debita solvendi, quando longè majus bonum debet ex suis perdere, quàm sit debitum alteri, conformiter dictis.

390. *Aut sub promissione matrimonii?* Resp. 3. Qui solutam aliquam sub spe data, vel promissione matrimonii seu verâ, seu fictâ induxit ad copulam, per se loquendo, tenetur eam ducere, etsi vim nullam intulerit. *Ratio est* ; quia promittendo sincerè, se explicitè, & spem dando implicitè obligavit violatæ, aliàs non consensuræ ; fictè verò promittendo, etsi non contraxerit obligationem vi promissionis, utpote nullius ; attamen quia fictè promittendo injuriam fecit, hæcque in individuo reparari, uti debet, non potest, nisi servando, quod exteriùs promisit, tenetur id implere, cùm

cùm altera pars jam impleverit, de quo conventum erat.

Dixi in responsione: *Per se loquendo:* Nam Imò non tenetur ducere, si ob impedimentum superveniens ducere non posset. 2. Si ipsa præ matrimonio eligeret dotem. 3. Si ipsa illum graviter decepisset, v. g. simulans se nobilem, vel virginem, cùm talis non esset; quia fraus fraude compensaretur. 4. Si postea fornicaretur cum alio, non inducta à violatore. 5. Si ipsa scivit se longè inferioris esse conditionis, vel potuit ex verbis, aliisve circumstantiis sufficienter advertere promissionem non esse seriam; quia tunc voluit decipi. 6. Si inter illas personas esset impedimentum matrimonii, in quo non solet dispensari: si enim dispensari soleat, tenetur violator petere dispensationem; quia, qui se obligavit ad finem, obligavit se ad media. Imò si violator fuisset obstrictus voto castitatis, aut religionis ineundæ, ejus obligatio in favorem Justitiæ suspenderetur, & teneretur violatam ducere saltem, si fuisset ignara voti, petitâ dispensatione in voto ad petendum licitè debitum. De his plura, ubi de sponsalibus. P. 4.

QUÆSTIO II.

Ad quid teneatur adulter, & adultera, si proles ex adulterio nata sit?

Resp. Si proles certò ex adulterio nata sit, 391.
tenetur 1. adulter alere prolem ab anno tertio, *Obliga-*
uti dixi de defloratore virginis, & deinceps, *tio utri-*
donec sibi de alimentis providere possit: à *usque.*

partu

partu ad tertium annum inclusivè tenetur uti dictum, ipsa mater ex *Cap. 2. de conversione Infid.* In defectu matris tenetur pater, & in hujus defectu mater. Si proles nata non sit, non est obligatio, nisi fortè petendi veniam, si crimen innotescat; quia injuria damnosa non est in se reparabilis. 2. Adulter, & adultera per se loquendo, tenentur avertere omnia damna nata inde sequi, & secuta ordinariè compensare, æquè primo, & in solidum; quia ratione adulterii sunt causa æquè principalis injusta illorum. Neque ratione ignorantiæ excusari possunt; quia omnes sciunt damna inde sequi.

Damna autem sunt hæc: 1mum expensæ, quas conjux innocens facit in alimenta prolis non suæ, sibi suppositæ; & has pro triennio à nativitate prolis tenetur compensare adultera, deinceps verò adulter.

2dum est damnum filiis legitimis proveniens circa hæreditatem paternam, vel maternam, si simul ad eam admittatur proles illegitima.

3tium, quod proli spuriæ obvenit ex hæreditate per ascendentes, aut ab intestato ab uno ex legitimis, aut consanguineis.

Molina insuper obligat ad restituenda, quæ proli spuriæ obveniunt à consanguineis per donationes, factas tanquam consanguineo, eò quòd supponentes spuriam per fraudem ad illa inducant. Lugo ad hæc non obligat, eò quòd per accidens sequantur, neque suppositio est per se connexa cum donationibus.

Causæ excusantes. Dixi 1. *Tenentur avertere, & compensare omnia damna per se loquendo*: Nam sicut alii, ità adulteri ex variis causis excusari possunt

ac

ac imò quidem, si ob inopiam compensare non possint. 2. Si restitutio, vel aversio damnorum fieri non possit, quin mater cum sua, vel gravi prolis infamiâ, aut vitæ magnæque discordiæ periculo, crimen occultum manifestet; quia tunc adest impotentia moralis, & obligatio restituendi temporalia non est, ubi gravis jactura boni altioris ordinis subeunda est: imò revelatio criminis plerumque inutilis est; quia filius in possessione legitimæ nativitatis non tenetur cum tanto suo præjudicio matri credere; nisi ità probet, ut Judex in foro externo eum posset declarare spurium, cùm mater possit errare, aut ex malo in eum affectu id asserere. Si tamen spes esset, fore, ut filius crederet matri, fratribusque esset satisfacturus, & crimen matris non revelaturus, teneretur filio manifestare; quia infamia apud filium tanta non esset, ut excusaret. 3. Excusaretur, si maritus & filii legitimi prudenter præsumantur damna remittere; eò quòd, ob amorem matris, vel mutuum, malint alium habere cohæredem, quàm crimen matris cum infamia ejus, & familiæ detegi. Quòd si mater diceret liberis: unus ex vobis est illegitimus, & libri ex amore matris nollent nominari, mater esset libera: si autem nollent nominari, quia singuli sibi timerent; mater non foret libera; quia legitimi injusto timore coacti remitterent.

Dixi 2. *Tenentur ordinariè æquè imò, & in solidum*: Nam si adulter per vim, aut metum injustum, vel fraudem copulam obtinuit ab adultera, aut ità sollicitaverit, ut quodam modo invita consenserit, vel ex metu reverentiali, tunc adulter tanquam causa princi- *Si mulier per vim coacta.*

cipalis tenetur 1mo loco : & idem est, si adultera sic induxisset adulterum. Cæterùm sive adulter suaserit, sive solùm permiserit, ut mater filium spurium marito suo supponeret, tenentur ambo æquè 1mò : Suasio enim est in commodum utriusque, & permissio adulteri censetur causa damni; quia tenetur hoc impedire, & ipse alere prolem suam, perque adulterium imposuit matri quandam necessitatem spurium habendi inter legitimos. Quodsi adulter non vellet, aut non posset damna compensare, teneretur sola mater quoad posset: potest autem saltem ex parte his modis : 1mò. Bona sua paraphernalia relinquendò suis legitimis. 2. Diligentiùs laborando, quantùm status permittit. 3 Parciùs vivendo, & sumptus corporis cultui hactenus impensos minuendo, suadendo spurio, ut, si conveniat, religionem ingrediatur, & hæreditati renuntiet, vel officium suscipiat, in quo hæreditate non egeat.

QUÆSTIO III.

Ad quid teneatur adulter, & adultera in dubio, an nata proles concepta sit ex adulterio, vel ex quo cum pluribus?

Resp. 1. Si mater intra breve tempus habuit copulam cum suo marito, & cum adultero, dubitetque, ex quo conceperit, probabiliter adulteri ad nihil tenentur. Ità Scot. Gobat. Lugo, & alii; quia in dubio præsumitur pro matrimonio, cui tanquam favor proles adjudicatur, ùt habet communis : ergo proles, in pos-

possessione legitimitatis existens, ob dubium non est ea privanda, & quanquam parentes ejus sint in mala fide ratione adulterii, sunt tamen in possessione suorum bonorum. Nec videtur is obstare, quòd in dubio, an ex incendio sylvæ, à te excitato, combusta sit vicina domus; tenearis pro ratione dubii; quia in hoc casu non est præsumptio pro contrario, quæ elidat rationem dubitandi, sicut est in priore.

Verùm sententia opposita, quam tenent Molina, Rebellus, Laym. & alii; quòd adulter teneatur pro ratione dubii cum adultera, videtur probabilior: tum quia tam adulter, quàm adultera malâ fide posuerunt caussam, ex qua apta sunt illa damna sequi, ortumque est periculum pretio æstimabile, quod maritus subit prolem alienam alendi: tum quia in dubio de debito duorum, solvendo alicui tertio, æquum non est unum obligare ad totum, dubium autem hìc est, an maritus an adulter debeat proli fortè spuriæ; tum denique, quia in dubio non est magìs favendum reo, quàm innocenti, quod hìc fieret: nam adulter actionem posuit de se damnificativam, qua conjecit maritum innocentem in periculum injusti damni, actu probabiliter secuti, & adhuc secuturi. 392. *Tenetur adulter pro ratione dubii.*

Nec juvat, quòd adulter sit in possessione suorum bonorum; nemo autem in dubio sit spoliandus re suâ: nam maritus etiam est in possessione suorum bonorum: an innocens magìs spoliandus est suis?

Nec juvat iterum, quòd præsumptio sit pro legitimitate prolis: nam est in gratiam prolis innocentis, quæ in foro externo censetur legi-

tima, poteſtque, quàm diu aliud non conſtat, ſalvâ conſcientiâ dividere cum legitimis hæreditatem: at non ideo liberatur adulter, & adultera, qui maritum & legitimos in certum periculum damni conjecerunt, quàm injuriam pretio æſtimabilem tenentur pro ratione dubii reſarcire.

593. *Etiam adulteri pro qualitate dubii.* Reſp. 2. Si certum quidem ſit, prolem eſſe ex adulterio; ſed incertum, ex quo de pluribus, quibus ſe commiſcuit, adultera conceperit: tenetur adultera ad dimidium portionis hæreditariæ, legitimis prolibus ſubtractæ: ad alterum dimidium unà cum alimentis poſt triennium impenſis, tenentur adulteri pro ratione dubii; quia certum eſt, unum eſſe patrem, & dubium eſt de ſingulis; ergo ſinguli tenentur pro ratione dubii, & in ſolidùm in defectu aliorum.

Nec juvat, quòd in dubio, an fueris cauſa damni, ad nihil tenearis: nam, etſi verum id ſit, ſi dubitetur, an actionem damnoſam poſueris; aliud tamen eſt, ſi certus ſis de actione tua, & dubium ſit, an ex ea per ſe damnoſa, damnum evenerit, quod conſtat eſſe ſecutum. Dein ſinguli hic ſunt cauſa incertitudinis, quæ impedit, quominus compenſatio ab uno determinatè exigi poſſit, & ſinguli, accedendo adulteram, conſenſerunt in eam.

Eſt quidem adultera, plures admittendo, potior cauſa incertitudinis, ob quam Lugo tenet, adulteram teneri ad omnia damna ſolam; adulteri tamen ſinguli conſenſerunt per copulam in omnem eventum damnoſum, per conſequens ſunt cauſa injuſta damni, quilibet enim cogitare potuit, & debuit, ex ſuo concubitu fortè prolem naſcituram eſſe.

Reſp.

394. *Revelatio adulterii an facienda?*

Resp. 3. Ordinariè non tenetur adultera revelare crimen suum pro avertendis damnis, vel compensandis. 1. Quia filius non tenetur matri credere, etsi mater juramento id assereret, sciretur que aliquando adulterâsse, aut antè non habuisse prolem: constat enim matres sæpè errare, & impotentes esse in amore erga prolem unam, & odio erga alteram. 2. Nemo tenetur credere uni, etiam omni exceptione majori, si ideo grave damnum subire deberet; quia sic via panderetur fraudibus, mendaciis, perjuriis, & injuriis. 3. Quia tarò tale crimen revelari potest sine periculo vitæ, infamiæ, odii tum matris, tum filii, & adulteri, præsumiturque maritus adulteræ nolle scire crimen uxoris, ne subeat dedecus, periculum odii, vindictæ, tristitiæ. 4. Quia filii censentur malle amittere aliquid de bonis fortunæ, quàm matrem suam infamari, aut ejus crimen manifestari, ex quo ipsis infamia, & alia mala sunt eventura.

CAPUT VIII.

De Injuriis in fama, & honore, ortaque inde obligatione restituendi.

QUÆSTIO I.

Quid sit fama, & honor, & quibus actibus violetur?

395. *Occultè nocens jus retinet ad famam suam.*

Suppono tanquam certum, quod etiam nocens, quamdiu delictum ejus est occultum, per

per se loquendo, retineat jus ad famam, nec id revelari possit sine ejus injuria; nisi aliud bonum commune, aut privatum exigat, vel permittat: id enim tenent omnes Theologi cum S. Th. 2. 2. q. 73. a. 1. ad 3. habetque sensus communis Fidelium non omnino rudium, praxisque Confessariorum, qui pœnitentes, delictum occultum proximi revelantes sine rationabili causa, obligant ad famæ reparationem. Atque eos ex justitia ad eam obligari, non invenio, qui dubitet.

Ratio autem est: quia id bonum commune exigit: nam 1. Cùm pronum sit, hominem labi, si nocentes intelligerent, amisisse se jus ad famam, posse delicta sua occulta revelari, curam plerique abjicerent de bono nomine, & in desperationem acti de eo conservando, longè liberiùs ruerent in peccata, à quibus eos valde retrahit non raro timor infamiæ.

2. Ex sententiæ oppositæ praxi sequerentur perpetuæ dissensiones, rixæ, odia, vindictæ. Unus enim denigratus ab alio, & hujus labes, & occulta delicta revelaret sine remorsu conscientiæ, ex quibus quæ confusio sequeretur in humana Republica, nemo non videt. Profectò, si ante legem illam naturalem non revelandi sine justa causa delicta proximi occulta, consulti fuissent homines, quid ea in re statuendum esset, omnes unanimi consensu decrevissent, ut lapso in delictum occultum maneret jus ad famam suam, utpote non ignari, quemque labi posse, & id ad bonum commune esse necessarium: unde & Deus non potuit non ferre legem illam de non revelandis occultis proximorum delictis, nisi adsit causa justa, secundùm dicta. Quare do-

ctrina communis habet, non posse citra injuriam delictum occultum proximi revelari viro prudenti & taciturno, ubi deficit rationabilis causa; non posse sine detractione Religiosum sui Confratris delictum occultum, jam plenè emendatum, deferre ad Superiorem, tanquam Patrem; non posse te proximi delictum occultum denuntiare Ecclesiæ sine prævia correctione fraterna, ubi delictum non cedit in detrimentum boni communis, & spes æqualis fructûs est ex privata fraterna correctione, juxta illud Christi Domini Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te, & ipsum solum: si audierit te, lucratus es fratrem tuum; si autem non audierit, adhibe tecum unum, vel duos; quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ,* id est, Prælato, cui incumbit sollicitudo, & regimen animarum, non verò Senioribus, ùt non ità pridem exposuit Jurista quidam contra comunem interpretationem Doctorum Catholicorum. Prætereo plura in hanc materiam alia, quæ vel mediocriter in Theologia versatis perspecta sunt.

Quare audiendus non est, qui anno 1749. die 19. Septembris pro inauguratione Doctorali Juridica inter aliàs produxit has Theses ex Jure Civili duo. *Expenduntur theses.*

IV. Ordine. *At eum, qui occultè nocentem aliis modis, sive scripto, sive dicto etiam alibi, quàm coram Magistratu infamavit, eam obrem condemnari non est bonum æquum.* L. 18. ff. De Injuriis.

V. *Cùm nemo nocens habeat porrò jus ad famam suám, licèt ei non negem simplicem facultatem tuendi famam.*

VI. *Hinc veritas convicii absolvit infamantem,*

mantem, nullo facto discrimine, an referat Reipublicæ peccatum illud notum esse, nec ne.

VII. *Imò fides veri, id est, erronea falsaque infamantis credulitas excusat injuriantem, si probet hanc negativam: non dixi, conviciandi consilio, qui est genuinus intellectus* Legis 5. C. De Injur.

Expendat prudens Lector jam antè dicta, Thesesque has conferat cum propositis ex universo Jure pro utriusque Juris Doctoratu anno eodem, die 13. Augusti, de concentu fori interni, sive poli, cum foro externo, sive fori; & eas cum aliqua veri apparentia connectat. Theses hæ erant in Cap. 1.

XXIV. *Regulam esse: Omnem legem justam pro foro externo esse pariter justam pro foro interno.*

XXV. *Idque etiam verum esse in lege absolvente.* In Asterisco addit: *Dicendum erit, si in emptione, venditione læsio ultra dimidium non intervenerit, ad resarciendum damnum non dari obligationem etiam in conscientia.* Ratio datur, quòd pro bono communi Legislator voluerit cessare obligationem in conscientiæ foro.

XXVI. *Nec referre, quod Constitutio absolvens in quosdam cives videatur dura.*

XXVII. *Unica hic exceptio admittenda est, nempe: Si paritio subditi foret manifestè peccaminosa.*

Harum, & priorum Thesium eundem esse Authorem, qui dubitat, consulat stylum Scribentis.

Sequitur autem ex illis 1mò, eum, qui occultè nocentem infamavit, etiam alibi, quàm coram Magistratu, condemnari in foro conscien-

scientiæ, non esse bonum æquum ; quia *Lex justa in foro externo justa est in foro interno, & nemo nocens habet porro jus ad famam.*

Sequitur 2. Quòd, qui occultè nocentem conviciatus est, veritas convicii absolvat eum non solùm in foro externo, sed etiam in foro interno ab obligatione reparandi famam, & honorem; etsi non referat, Reipub. peccatum illud esse notum; quia justum in foro externo justum est in interno.

Sequitur 3. Quòd, sicut fides veri, id est, erronea, falsaque infamantis credulitas, excusat injuriantem in foro externo, si probet hanc negativam: *Non feci conviciandi consilio*; ità absolvat eum in foro interno, adeoque non teneatur ad famæ, vel honoris reparationem ob rationem datam.

Sequitur 4. Quòd emptor, si per dolum malum, vel fraudem deceperit venditorem infra dimidium, sicut in foro externo, ità & interno absolvatur ab obligatione injuriam reparandi, si fraus non probetur.

Sequitur 5. Quòd malæ fidei possessor, si actore non probante absolvatur in foro externo, absolutus sit in foro interno conscientiæ &c.

Quæ omnia viam aperiunt fraudibus, detractionibus, conviciis, aliisque peccatis innumeris, tamque sunt absurda, ut mirum sit, principia, ex quibus fluunt, astruere, potuisse venire in mentem docti & prudentis hominis. Sed de his satis. Vide P. I. sub N 156. quâ 396.
ratione lex justa in foro externo sit justa in interno. *Nunc ad quæstionem.* *Fama quid, & quotuplex?*

Resp. I. Fama est existimatio multorum de vita & moribus alterius. Dicitur *Fama* à

 fando,

fando; quia fundamentum est humani de aliquo sermonis. Dividitur in malam & bonam. Mala est existimatio sinistra de aliquo ob aliquod ejus malum, seu maculam, præsertim moralem. Bona, est existimatio bona multorum de aliquo, fundata in ejus bono, principaliterque in ejus virtute, ac sapientiâ, movente ad bonam existimationem de eo. Dico: *Principaliter*: nam secundariò niti potest ejus ingenio, bonâ indole, nobilitate, robore, dexteritate &c. Rectè notat Lugo Disp. 14. N. 1. Opinionem unius de aliquo famam dici particularem, sicque dici posse, famam esse bonam opinionem de aliquo ob aliquod ejus bonum.

397. *Honor, laus, gloria.* Resp. 2. Honor formalis est testificatio quædam de excellentia alterius.

Dixi 1. *Honor formalis*: nam fundamentalis & objectivus est ipsa excellentia, digna æstimatione, hujusque testificatione.

Dixi 2. *Testificatio*; quæ si fiat verbis, dicitur *Laus*: hæc verò si clarescat, seu ad notitiam veniat plurimorum, dicitur *Gloria*, id est, clara cum laude notitia; si fiat aliis signis v.g. cessione primi loci, inflexione corporis, depositione pilei, genuflexione, erectione statuæ &c. dicitur *Honor*: si fiat cum aliqua submissione ad alterum tanquam Superiorem, dicitur *Reverentia*, cultus, veneratio.

Dixi 2. *Testificatio quædam*; quia juxta aliquos cum Lugone, honor non necessariò est cum submissione & reverentia, eò quòd Deus dicatur honorare Sanctos, & Reges suos ministros honorent. Alii cum Lessio volunt, honorem semper esse cum reverentia & submissione, & Sanctos à Deo non honorari, sed hono-

honorificari, id est, fieri aliis honorabiles. Haunold. putat, honorem semper esse vel cum submissione testificantis excellentiam alterius, vel saltem cum intentione aut judicio de submissione illi ab aliis exhibenda; sed lis est de voce.

Dixi 4. *Excellentiæ*, id est, bonitatis, vel perfectionis, propter quam, per se loquendo, dignus sit æstimatione, & hujus manifestatione: nam per testificationem excellentiæ, in qua honor similis consistit, debet intendi non tantùm manifestatio excellentiæ, sed etiam æstimationis, quam quis habet de excellentia alterius; aliàs honor simulatus est, & minus bonum, quàm fama.

Addidi: *Per se loquendo*: nam, licèt dæmones habeant multas excellentias naturales; honorari tamen non possunt; quia reddunt se dignos omni ignominiâ per odium perpetuum Dei, & obstinationem in malo. Cæterum honor erga homines debet esse testificatio externa; quia interna non intuemur: honor autem erga Deum potest esse testificatio merè interna; quia & hanc intuetur Deus. Honor, prout includit famam, est majus bonum, quàm fama: prout distinguitur à fama, est minus bonum; quia meliùs est internè haberi pro bono, quàm externè tantùm significari bonum, & internè haberi pro malo. Ex his patet, quòd dehonoratio sit testificatio quædam mali, seu imperfectionis in alio cum significatione suæ malæ existimationis de illo.

Resp. 3. Fama aliena læditur judicio temerario, suspicione, dubitatione, opinione temerariâ, detractione, susurratione, & libello. 398. *Quibus lædatur Fama?*

lo famoſo : honor autem contumeliâ. Explico actus ſingulos :

399. *Judicium temerarium, ſuſpicio, dubium, &c.*

1. *Judicium temerarium* eſt firma, ac determinata de labe proximi ſententia, levibus innixa indiciis, vel: firma ſententia de defectu proximi, nitens levi conjecturâ. Dicitur: *Firma ſententia*, id eſt, aſſenſus ſine formidine de oppoſito, vel, ùt ait Haun. L. 2. N. 515. Aſſenſus cum firmitate ità, ut ex modo tendendi non velit quis ab eo recedere, nec ultra inveſtigare, ſed ex illo procedere ad actiones circa talem rem, vel perſonam. Dicitur: *Innixa levibus indiciis*; quia, ſi fiat ſecundùm regulas prudentiæ, & meritum motivorum, hîc & nunc occurrentium, rectum, & non temerarium erit.

2. *Suſpicio temeraria* eſt debilis adhæſio, ſaltem inchoata, cum magna formidine de oppoſito, orta ſine convenienti motivo; vel: aſſenſus inchoatus, qùo quis inclinat in unam partem, judicans ſubeſſe fundamentum opinandi.

3. *Dubitatio* eſt ſuſpenſio quædam intellectûs ab utriuſque partis aſſenſu cum judicio, ſaltem virtuali, de incertitudine; vel: quia pro neutra parte eſt ſufficiens motivum; vel: quia præſente pro utraque parte ſufficienti motivo, voluntariè quis ſe cohibet ab alterutra parte judicanda, ſine ſufficienti ratione non interpretando in meliorem partem.

4. *Opinio*, ùt hìc accipitur, eſt judicium de labe proximi ità hæſitans & formidoloſum, ut, ſi aſſentiens interrogatus reflecteret, diceret, rem non eſſe certam: unde dicitur aſſenſus determinatus de labe proximi, ſed infirmus, & conjunctus cum formidine de oppoſito. Per labem

labem proximi intelligitur defectus proximi vel moralis, vel naturalis, ratione cujus persona aliqua certa possit vilipendi. Levia indicia dicuntur, quæ non sufficiunt ad probabile, seu prudens judicium. Temeritas dupliciter admitti potest: nempe, vel advertendo, quòd indicia sint insufficientia, vel tantùm nolendo inquirere an sint sufficientia; advertendo tamen obligationem inquirendi: & ità plerumque fit, dum admittitur temeritas, pro qua vitanda indicia non sunt desumenda à priori ex difficultate, & raritate innocentiæ humanæ, vel majore numero malorum; sed à posteriori ex signis particularibus datis ab eo, qui judicatur habere vitium: neque enim ex eo, quòd plures sint mali, quàm boni, rectè arguitur, quòd hic determinatè sit malus.

5. *Detractio* est famæ alienæ injusta & plerumque clancularia apud alios diminutio, sive jam directè intendendo infamiam, sive indirectè fiat. Dicitur: *Diminutio famæ injusta*: si enim fiat ex justa causa per labis veræ revelationem, non est detractio. Dicitur: *Clancularia*; quia, si fiat præsenti, erit contumelia; dicitur plerùmque clancularia; quia, si cui crimen in faciem coram aliis objicias, est contumelia, & simul detractio, quæ erit calumnia, si crimen falsum affingatur.

6. *Susurratio* est revelatio eorum, quæ pacem & amicitiam inter familiares perturbare nata sunt. Et quia, hoc qui faciunt, plerumque tacitè, seque leniter insinuando facere solent: hinc à comparatione cum vento, leniter spirante, dicti sunt susurrones.

7. *Libellus famosus* est scriptura, continens labem alterius secretam, eo fine facta, ut labes publica fiat; qualis non esset Epistola ad pri-

privatum directa, labem alterius occultam continens. Potest tamen esse etiam signum aliud æquivalens, utì suspensio cornuum, facta ad fores alterius, ut adulterium uxoris ejus occultum significetur.

8. *Contumelia* est læsio alieni honoris injusta, seu alieni honoris injusta diminutio, vel testificatio de proximi vitio morali, vel naturali: fit plerumque præsenti, fieri tamen etiam potest absenti: ùt, si dehonores alterius effigiem, ejus litteras, spectantibus aliis, ex contemptu conjicias in ignem, vel conculces, aut dilaceres.

QUÆSTIO II.

Quale peccatum sit Judicium, Opinio, Suspicio, & Dubitatio temeraria?

400. *Judicium temerarium ex genere suo mortale.* Resp. 1. Judicium temerarium de labe proximi ex genere suo est peccatum mortale contra Justitiam. *Ratio est*; quia temerè tollit in suo subjecto bonam de proximo existimationem, ad quam ille jus habet, idque disponit efficaciter ad agendum contemptibiliter cum eo, sicque radix est contemptûs & dehonorationis; ideoque homines meritò, ubi materia est gravis, inviti sunt graviter contra se suscipi tale judicium. Quia tamen & materia esse potest levis; hinc est peccatum mortale tantùm ex genere suo, non verò ex genere toto. Patet in simili de detractione, quâ tollitur, vel minuitur bona existimatio proximi in audiente. Est tamen peccatum unum specie infimum; quia ejus malitia sumitur ex eo, quòd quis apud se lædat existimationem de pro-

proximo, quo merè materialiter se habet diversitas materiæ, sicut diversitas materiæ merè materialiter se habet in ordine ad furtum.

An distinguatur specie à detractione, dubium est: negat Molina; quia non apparet diversitas, sive apud me, sive apud alium proximi famam lædam. Affirmat Lugo hìc N. 33. eò quòd per judicium temerarium non tollatur fama radicalis, seu notitia habitualis de bono alterius, sed solùm fama formalis, seu assensus aliàs procedens ab habituali notitia: qui enim temerè judicat, satis advertit, deesse sufficientia indicia, adeoque facilè recuperat bonam existimationem. At per detractionem tollitur utraque fama apud audientem, ità, ut non redeat bona existimatio, nisi ab extrinseco meliùs informetur. Verùm hoc ad praxin parum faciet: temerè enim judicans non potest in Confessione dicere, se detraxisse, cùm aliud peccatum per hoc intelligatur.

Resp. 2. Ut judicium temerarium sit peccatum mortale, hæ quatuor conditiones requiruntur. 401. *Quatuor conditiones ad illius gravitatem requisitæ.*

1ma. Debet esse firmum, & citra dubium; aliàs facilè deponitur, & non tollit famam notabiliter.

2da. Debet esse plenè deliberatum, & voluntarium: unde non peccat graviter, qui ad motivorum insufficientiam plenè non advertit, vel negligentiam tantùm levem committit in repellendo judicio; vel si advertat, motiva esse insufficientia, voluntate tamen judicium non admittit, vel non approbat: firmitas enim judicii ab actu voluntatis provenire debet.

3tia. Debet esse in materia gravi de persona determinata, seu physicè, seu moraliter

una : si enim materia gravis non sit, nec grave nocumentum infertur : utì nec, si persona non sit determinata, aut incognita : unde, qui temerè judicaret, omne juramentum esse peccatum mortale, & dum alium audit jurantem, judicaret illum peccare mortaliter, non peccaret graviter suo judicio ; quia temerè judicaret actionem ; hanc verò non tribueret temerè personæ. Similiter, qui temerè judicaret, peccatum grave esse commissum, non designando, à quo commissum fuerit, vel designando aliquem in particulari, quem non novit, nec agniturus est, non peccat mortaliter ; quia nulli infert nocumentum grave in fama. Idem est, si videres à longè larvatum, nec agnitum, nec agnoscendum, quem judicares temerè esse impudicum ; quia per judicium non læderes ejus famam, ùt est hic homo, cùm non agnoscis ùt talem ; sed sub communi ratione hominis, quo non obstante adhuc bene sentis de eo in particulari, ùt est hic homo. Aliud foret, si talem vulnerares ; quia vulneratio non præscindit, sed physicè afficit personam individuam.

4ta. Debet esse notabilis temeritatis, nempe nixum levibus indiciis : si enim motiva facerent rem valde credibilem, malitiâ mortali careret ; quia inter judicium valde probabile, & moraliter certum, quod excusat à peccato, non est magna differentia. Hinc gravem injuriam non faceret, qui etiam firmiter tunc judicaret.

Hæ quatuor conditiones, quia raro adsunt omnes, dum quis sinistrè de proximo judicat, hinc DD. plerique notant, raro peccari mortaliter per judicia temeraria. Porrò temeritas

hâc

hâc regulâ deprehendi potest: si indicia de se sint indifferentia, vel rarò conjuncta cum tali defectu temerarium est, eum ex illis colligere si autem; ùt plurimùm sint cum eo conjuncta, temerarium non erit: possunt tamen aliqua esse sufficientia respectu unius personæ, vel materiæ, & non respectu alterius. Sic fores temerarius, si ex nomine baptismali, aut ex deformi à natura corpore judicares, aliquem esse malum, aut ex rumore vulgi crederes labem in viro probo, aut si author rumoris esset nimis liber in loquendo, vel malè affectus, vel speraret commodum ex proximi depressione. Econtra non esses temerarius, si audiens aliquid à viro probo & fide digno crederes, multò minùs, si suspicareris, aut dubitares: minus enim requiritur ad prudentem dubitationem, vel suspicionem, quàm ad prudens judicium; cùm plus sit judicare, quàm suspicari, vel dubitare.

Resp. 3. Temeraria suspicio, opinio conjuncta cum formidine, seu judicio de incertitudine, dubitatio de labe proximi, ordinariè sunt peccatum tantùm veniale. Ita AA. communiter cum S. Th. Q. 60. A. 3. *Ratio est*; tum quia ob debilem, & facilè mobilem adhæsionem ordinariè leve tantùm damnum proximo afferunt, cùm famam non tollant, sed tantùm minuant & dubiam reddant. 402. *Temeraria opinio, suspicio ordinariè est veniale tantùm.*

Dixi 1. *Suspicio temeraria*; quia, quando adsunt probabilia indicia, licitè possum dubitare etiam positivè, seu judicare, dubium esse; nemo enim potest esse rationabiliter invitus, si judicem, dubium esse, quod verè dubium est. Potest etiam tunc suspendi judicium; quia nemo tenetur se exponere periculo erran-

di. Quodsi utrimque sint indicia probabilia, utramque partem probabilem esse judicare potes: ex eo enim, quòd judices, proximum esse probabiliter malum, non licet affectum & actiones suscipere in præjudicium ejus: sique determinatè judicares esse malum, peccares contra Justitiam; quia proximus est in possessione famæ: in æquali autem causa melior est conditio possidentis. Hinc axioma: *Dubia in meliorem partem sunt interpretanda*, id est, in dubio de probitate nemo judicandus est malus, donec debitè probetur esse talis; non quòd teneatur judicare esse bonum, sed vel suspendere judicium, vel saltem non absolutè judicare esse malum.

Dixi 2. *Ordinariè*; quia potest suspicio, & opinio ob excessum temeritatis (quæ vel ex malitia propria, vel ex odio & invidia sæpe provenit, dum facilè judicamus malè de iis, ad quos malè afficimur) & enormitatem criminis proximo impositi esse mortale peccatum: gravius enim apparet, famæque nocet ex levissimis indiciis suspicari, vel putare etiam cum formidine virum sanctum, hominem Religiosum esse incestuosum, hæreticum, sodomitam &c. quàm alium de plebe firmiter judicare esse fornicatum. Sed rarò adest circumstantia sic augens temeritatem: hinc ordinariè suspicio venialem culpam non excedit.

His non obstantibus licet sibi consulere, & damna præcavere ex justo timore: v. g. peregrinus intrat domum tuam, vel domi tuæ pauperem alis: hunc etsi positivè judicare non possis esse furem; potes tamen res tuas in tuto collocare; quia hoc non fit ex suspicione, aut judicio temerario de hoc homine; sed ex justo timo-

timore, fundato in certa scientia, quòd inter homines sint aliquando furaces, qui tales non existimantur, quodque occasio quandoque faciat furem; adeoque prudenter judicas posse contingere, ut damnum patiaris: ergo prudenter caves, ne id contingat. Ità Lugo.

QUÆSTIO III.

An, & quando Detractio, Contumelia sint peccata mortalia, & quot modis fiant?

Resp. Detractio ex genere suo est peccatum mortale injustitiæ, unum specie infima, majus furto, minus homicidio. *Ratio 1mæ partis* est; quia damnum grave per eam famæ inferri potest, quod repugnat Justitiæ. *Ratio 2dæ partis* est; quia malitia detractionis consistit in violatione juris, quod proximus habet ad famam suam; quòd autem detractio fiat imponendo falsum crimen, vel revelando verum, hoc vel illud, diversitas tantùm materialis est in ordine ad Justitiam. *Ratio 3tiæ partis* est; quia fama est majus bonum, quàm bona fortunæ, & vita nobilius bonum, quàm fama; 403. *Detractio ex genere suo mortalis.*

Potest autem fieri detractio vel directè, vel indirectè intendendo diminutionem famæ, idque 8. modis: *Fit 8. modis.*

1. Imponendo falsum crimen, & dicitu Calumnia.

2. Revelando verum, sed occultum.

3. Amplificando, seu augendo verum crimen occultum solùm quoad augmentum.

4. Sinistrè interpretando bona proximi opera, quasi facta sint sinistrâ intentione.

5. Negando rectè facta, vel dotes alterius cum famæ ejus jactura.

6. Eadem extenuando.

7. Tacendo, ubi silentium censetur vituperatio.

8. Simulatè, & frigidè laudando cum boni nominis jactura: unde potest fieri verbis, Scripturâ actione & omissione, libello famoso, & susurratione: si fiat libello famoso, est detractio gravissima; quia diffunditur latiùs, & hæret diutiùs. In authores talium libellorum statuta est pœna capitis à Jure Civili *L. unicâ Cod. de libellis famosis*, & à Jure Canonico Pœna flagelli: ab Alexandro IV. Pœna excommunicationis in eos, qui tales edunt contra Ordines Religiosos. Si fiat susurratione, est peccatum gravius, quàm simplex detractio, & contumelia; quia pax & amicitia est bonum famâ & honore nobilius: estque susurratio non rarò causa odii, invidiæ, aliorumque peccatorum.

404. *Contumelia.* Resp. 2. Contumelia est quoque peccatum contra Justitiam ex genere suo mortale, specie distinctum à detractione; ejusdem tamen speciei moralis in ratione specialis injustitiæ. *Ratio 1mæ partis* est; quia quivis habet jus strictum, ne sine justa causa honor suus lædatur, potestque inhonoratio esse ex objecto suo gravis. *Ratio 2dæ partis* est; quia honor est bonum à fama notabiliter diversum. *Ratio 3tiæ partis* est; quia contumelia omnis est contra idem bonum, seu jus, ne dignitas minuatur.

Dixi: *In ratione specialis injustitiæ*; quia, si per contumeliam lædatur simul alia virtus, aderit

aderit nova etiam species malitiæ; ùt, si fiat animo proximum commovendi ad iram, si fiat parentibus, vel Deo, aut Sanctis &c. imò & intra genus injustitiæ novam speciem habere potest: ùt, si proximus simul in fama, vel bonis fortunæ lædatur.

Porrò contumelia fieri potest primò negativè per omissionem honoris hîc & nunc debiti, redundantem in proximi vilipensionem apud alios, quod addo; quia secundùm dicta Num. 28. alià nemo strictum jus habet ad positivam honorationem. 2. Fieri potest positivè, tum factis, tum verbis, absenti, vel præsenti. Si fiat alteri objiciendo defectum, vel vitium in faciem, vel objiciendo indigentiam, in qua ei succurristi; dicitur improperium: si præsens vel absens, dictis vel factis cum vilipensione objiciatur risui; dicitur irrisio: si objiciatur risui cum aliqua ludificatione, vel deceptione; dicitur illusio: ùt, cùm Judæi Christo, velatâ facie, illudebant: si objiciatur risui per gestus, aliosve indecoros motus corporis; dicitur subsannatio: sic Judæi subsannabant Christo, moventes capita, & dicentes: *Vah! qui destruis templum Dei*: si fiat objiciendo defectum naturalem; propriè dicitur convicium: si fiat præcisè objiciendo culpam; dicitur contumelia. His injuriis aliquando accedit maledictio, quâ alteri optatur malum. 405. *Qui fiat*

Resp. 3. Detractio, & contumelia est peccatum mortale, quando in fama, & honore creatur grave damnum, hoc est tale, quod, spectata communi hominum complexione, aptum est causare magnam contristationem, vel amicitiam dissolvere, secundùm dicta N. 894. Secùs per se sunt peccatum tantùm veniale: Hoc 406. *Quando sit gravis?*

Hoc autem ùt rectè discernatur, non debet spectari sola materia, sed simul qualitas personæ, quæ detrahit, & cui detrahitur; defectus, qui narratur, vel objicitur; & varia audientium dispositio: nam licet revelare de alio occultum peccatum mortale, sit materia gravis secundùm se detractionis, & peccatum veniale materia levis; attamen de gregario milite dicere, quod habuerit duellum, fuisse ebrium, non est detractio gravis: dicere autem de religioso, perfectionis valde studioso, eum solere mentiri, est detractio gravis; quia huic, non illi, infertur detrimentum grave in fama. *Ex dictis deduco sequentia.*

407. *Corollaria.* 1mò. Detractio gravis est, si de aliquo dicas, quòd sit adulter, idque licèt probabilia de eo essent indicia; quia graviter noces famæ: neque enim hoc ipso intelligitur tua de eo incertitudo, formido, vel dubium, ob quod à mortali excusatur opinio formidans. Si diceres probabile esse, quòd sit talis, quanquam excusari posses à mortali; quia tantùm ingenerares suspicionem, vel opinionem formidolosam: attamen est peccati mortalis periculum, nisi certum sit, quòd alter non sit firmiter crediturus, nec id divulgaturus.

2. Grave est dicere de muliere Galla, Hispana, Itala, item de Germana primæ, vel mediæ sortis, quòd sit ebriosa; quia habetur pro magno probro.

3. Grave communiter est dicere de viro magnæ authoritatis, qui famam habet, vel habere debet boni judicii, & prudentiæ, quòd sit scrupulosus, seu inanes habeat peccati apprehensiones, & ortam inde anxietatem; quia per hoc significatur defectus judicii naturalis, &

& prudentiæ, quod meritò displicet graviter tali personæ, potestque ei gravia damna causare. Aliud esset, si per scrupulositatem intelligeretur exacta cura conscientiæ, vel id diceretur de homine juvene, vel indocto.

4. Grave est dicere de aliquo, quòd laboret morbo gallico, nisi addatur causa rationabilis inculpata talis morbi, quia communiter oritur ex vitio carnis. A mortali tamen probabiliter excusat Nav. quia & ex aliis causis oriri potest: unde non potest ex dicto tuo oriri nisi suspicio, vel judicium incertum.

5. Grave est defectus leves de aliquo apud eosdem tot revelare, ut notabiliter lædatur ejus fama, idque, si etfiat intra longum tempus. De diversis tamen levia dicere mortale non est, nisi in communitatem redundet infamia gravis.

6. Grave est, si alicui, ab aliis, vel à te jam ante per leves detractiones diffamato, etsi necdum graviter, per detractionem addas defectum etiam levem, unde gravis consurgat infamia; quia causa es, ut famam adhuc simpliciter bonam, sitam in judicio indivisibili possidens, eâ privetur, adeoque causa es novi damni gravis: sicut qui vulnerato multis levibus vulneribus addit leve, quo accedente fit læsio lethalis, & mors sequatur. Secùs est de eo, qui furatur aliquid leve ab eo, cui per levia furta ablata sunt aliqua; quia non est causa damni gravis. Et ratio est; quia vita consistit in indivisibili, uti & infamia gravis in judicio indivisibili de gravi alterius labe.

7. Grave est dicere de aliquo indeterminato ex aliquo v. g. monasterio, quòd commiserit Simoniam, vel adulterium, si inde gravis infamia redundet in monasterium, quod ex circum-

ſtantiis colligendum eſt; neque enim ſemper eſt grave cùm hominibus ſatis conſtet in communitatibus etiam religioſis fuiſſe impios, & deleruiſſe ordinem. Hinc apud prudentes ex unius malitia non maculatur ſaltem graviter monaſterium, ſicut non maculatum eſt collegium Apoſtolicum proditione Judæ, maculatur tamen apud ſimplices, quibus ſcandalo eſſe ſolet.

8. Grave eſt dicere de Medico peritiſſimo, quòd ſit ignarus: dicere autem de homine vulgari, quòd ſit ſtupidus, parvi judicii, per ſe loquendo grave non eſt; quia hæc non reputatur infamia apud prudentes.

9. Grave ſaltem non eſt, revelare crimina alterius occulta minora, ordinariè conjuncta cum majore jam publico: ùt, ſi dicatur de ebrioſo, quòd rixetur cum uxore; quia talis revelatio, aut nova infamia non eſt, aut ſaltem non gravis. Fieri tamen poſſet, ut grave foret, novum crimen revelare ejuſdem generis: ùt, ſi diceres de viro honeſto, quòd ſecundâ vice ſit fornicatus; quia primus lapſus potuit cenſeri fuiſſe factus ex fragilitate, paſſione, occaſione extraordinariâ; quando autem dicitur repetiiſſe. facilè judicabitur eſſe ei vitio deditus. Regula itaque generalis eſt videre, an magna inde ſequatur infamia: Fama enim diviſibilis eſt.

10. Grave non eſt detrahere in re gravi cum animo ſtatim revocandi, modò ſciatur revocatio ſatis profutura; quia proximus non poteſt eſſe graviter invitus, quòd tantillo tempore careat bonâ æſtimatione apud alios: ſicut per ſe grave non eſt auferre rem alienam cum animo ſtatim reſtituendi.

11. Grave non eſt dicere aliquid grave de aliquo, quem audientes non noverunt, nec agni-

agnituri sunt ; imò hoc culpâ omni vacare potest.

12. Etsi non sit semper grave referre audita, ùt audita, nempè dubitantèr sine asseveratione ; quia non tollitur fama absolutè, sed tantùm semiplenè : potest tamen etiam esse grave ; ùt, si audientes sint credituri, aut divulgaturi tanquam indubitatum. Si eo modo, allegatis tuis authoribus, referres occultum crimen alterius, ut auditores meritò inducerentur ad credendum : peccares graviter contra Justitiam, tenererisque ad restitutionem ; quia esses efficax causa damni. Si verò non referres eo modo, prævideres tamen, auditores ex sua levitate, vel malitia firmiter credituros ; peccares graviter contra charitatem, non tamen contra Justitiam secundùm Lugonem graviter ; quia non esses causa efficax damni gravis.

13. An damnato detrahere sit contra Justitiam, controvertitur. Negat Molina, & Haun. eò quòd non sit ampliùs proximus, & lex ei non assistat. Affirmat Lugo, eò quòd in tantùm sit adhuc proximus, quod nobis in natura sit conjunctus, retineatque Jus ad famam non minùs, quàm ut non procuremus majorem illi pœnam. Fortè detrahens damnato excusari poterit, eò quòd hic, jam confusione plenus, famam apud nos non æstimet. Cæterùm defuncto, de cujus damnatione non constat, detrahere non minus peccatum est, quàm detrahere vivo. 408.

Revelare viro prudenti cri-

14. An sit mortale delictum verum occultum grave proximi referre viro prudenti, & taciturno, dubium est. Affirmat communior, & probabilior. *Ratio est* ; quia proximus non

 minùs

men alterius, an sit culpa gravis?

minùs rationabiliter est invitus graviter, quàm si in re gravi de eo temerè judicares: cujus ratio à priori est; quia detractio, apud unicum facta, tollit famam habitualem, vel impediendo species impressas de bonitate proximi inclinantes ad benè judicandum de illo: ingenerat enim species contrarias, quibus impediuntur, & vincuntur species priores; aut saltem faciendo, ut voluntas Judicium de proximi bonitate non imperet: sicque tollit famam radicalem, estque gravius peccatum, quàm Judicium temerarium, quod tantum tollit famam actualem. Ità Lugo cum communi contra Nav. Caj. & alios, qui tenent non esse mortale. Tum quia talis non habet Jus ità firmum ad suam famam, utpote non fundatum in vera, sed in falsò existimata innocentia: tum quia censetur leve damnum, & moraliter perinde est, acsi nulli diceretur. Aliud est de Judicio temerario; nam per hoc crimen imponitur proximo, qui fortè est, & saltem censeri debet innocens, donec probetur reus. Hæc sententia videtur probabilis; nisi is, cui refertur, sit talis, ut, cui detrahis, meritò valde ægrè ferat, eò quòd is sit ei familiaris, aut à quo multa exspectet &c. sit superior &c. quandoque enim magìs ægrè fertur, si uni tali, quàm si aliis pluribus dicatur. Cæterùm loqui de delicto proximi cum eo, cui notum est, per se injuria non est; imò honestum esse potest, si fiat ex bono fine, v. g. ut alius à peccato deterreatur, vel ut ejus famæ consulatur &c.

15. Dicere de Sacerdote, quòd duellum commiserit, aut sit amans puellarum, est mortale; non verò id dicere de milite, vel juvene nobili: utì neo de puella dicere, quòd sit garrula, superba, vel dicere de germano, quòd sit ex paren-

tibus

tibus hæreticis: grave tamen est dicere de aliquo honestæ reputationis, quòd sit spurius.

QUÆSTIO IV.

An, & quando sit detractio crimen publicum aliis, id ignorantibus, revelare?

Nota. Tripliciter potest esse aliquid publicum, seu notorium, nempe Jure, facto, & famâ. 1. Jure simpliciter publicum est, quòd constat per sententiam Judicis absolutè, & publicè latam, seu non obnoxiam appellationi, vel retractationi, secundùm quid verò, quod constat per confessionem Rei in publico Judicio, vel per legitimam testium depositionem. 2. Facto publicum est, quod factum in loco publico coram tam multis, ut, spectatâ illorum conditione, nullâ tergiversatione celari, nec ullo Juris suffragio excusari possit. 3. Famâ publicum est, quando fama de crimine, ex sufficientibus indiciis orta, pervenit vel ad majorem partem communitatis, vel ad tot personas de communitate, ut spectatis circumstantiis, seu attentâ multitudine, & qualitate eorum, qui id sciunt, vel attentâ qualitate communitatis, in qua factum est, prudentis arbitrio indubiè divulgandum sit, & ejus notitia perventura ad majorem partem illius communitatis, seu Civitatis, Pagi, Parochiæ, Collegii, Monasterii. Porrò crimen notum majori unius communitatis particularis parti v. g. Collegii, Monasterii, non censetur publicum absolutè, & respectu omnium; sed tantùm respectu illius communitatis, v. g. monasterii, 409. *Notorium.*

reli-

religionis familiæ, domûs, &c. Juxta Molin. Lug. N. 70. Laym. ad publicitatem criminis in communitate sufficit, si hæc constet ex octo hominibus, quòd sciant tres, vel quatuor; si constet ex triginta, sufficit sciri à septem, vel octo; si ex centum, satis est, quòd sciant quindecim, vel viginti. si in oppido sint domus quadraginta, sufficit, quòd sciant octo, vel decem diversarum domuum: si civitas habeat quingentos incolas, satis est triginta, vel quadraginta per civitatem dispersos id intellexisse; si crimen diffamatum sit in curia, vel alio loco illustri, ex quo facilè in alia loca ejus notitia perveniet, censetur publicum in toto regno. Quod multi, complices criminis, id sciant, per hoc non est notorium. Hi nec testes sunt idonei. Hoc notato.

410. *Licet sine violatione justitia si crimen sit notorium per sententiam.* Resp. 1. Quando crimen verum est publicum per sententiam Judicis absolutè, & publicè latam, declaratoriamque personæ quà talis, aliis id ignorantibus; in quibuscunque locis potest per se loquendo, licitè verbo, scripto, vel typo revelari, saltem citra peccatum contra Justitiam. Ità Lugo, & alii communiter. *Ratio est*; quia hoc ipso quod Judex sic ferat sententiam in reum, spoliare jure ad famam in vindictam seu pœnam criminis intendit, datque omnibus licentiam eam ubique promulgandi, ut cæteris ubique sit in exemplum, & terrorem: unde reus jus ad famam statim amittit quoad crimen, cujus condemnatur. *Confirmatur*: expedit bono Reip. ut liceat crimen publicum revelare, ne publicè infamatus honoretur, & ex errore aliis præferatur; utque sic homines deterreantur timore infamiæ à sceleribus: hinc & Reus ex hoc etiam capite amittit Jus ad famam, ejus-

ejuſque poſſeſſionem in pœnam criminis; nec poteſt eſſe rationabiliter invitus, quòd crimen ſuum úbique divulgetur, cùm bonum commune prævaleat privato.

Dixi 1. *Quando crimen verum*, &c. Nam ſi crimen falſum ſit, innocens Jus ad famam retinet; unde ſciens innocentem, peccat contra Juſtitiam, divulgans crimen id ignorantibus.

Dixi 2. *Per ſententiam*: Nam ſolùm ſi ſit notum per depoſitionem teſtium, vel Rei confeſſionem, non datur poteſtas crimen illud, ſi occultum ſit, evulgandi quia tum non eſt notorium reſpectu populi, ſed tantum reſpectu Judicis ad reum condemnandum: ſi tamen conſtaret ſententiam mox ferendam eſſe, & publicandam; non eſſet mortale paululum anticipare, niſi inde alia gravia damna ſequerentur; quia parum læderetur fama proximi.

Dixi 3. *Per ſententiam publicè abſolutè latam*; quia ſi ſit tantùm reſpectivè publica, v.g. reſpectu certæ communitatis: ùt, ſi Abbas in ſuo monaſterio aliquem de ſuis puniret per ſententiam judicialem: non liceret illud crimen evulgare ſæcularibus; quia Abbas non intendit ad id dare poteſtatem, cùm ea foret religioni pernicioſa.

Dixi 4. *Declaratoriam perſonæ, quà talis*: ſi enim perſona maneat occulta, & per Judicis ſententiam non declaretur, juxta Lugonem non poteſt revelari aliis, eam noſcentibus, v. g. ſi peregrinus hic Treviris ignotus puniretur per ſententiam Judicis propter delictum, & verberibus aliove ſupplicio infami afficeretur; non ideo ejus ſocii id poſſint in patria ejus manifeſtare; quia nec Juris, nec facti publicitas daretur perſonæ quà talis; Judex enim non noſcens,

non potest reum ùt talem pronuntiare, adeoque nec dare facultatem infamandi, non secùs, acsi larvatus non agnitus esset punitus.

An etiam sine violatione charitatis? Dixi 5. *Potest revelari licitè in quibuscunque locis, saltem citra peccatum injustitiæ*: Nam Lessius, Valentia, Toletus grave putant esse contra charitatem revelare crimen in alio loco quò fama ejus aut nunquam, aut non nisi post longum tempus erat perventura. Lugo tamen Disp. 14. N. 68. & 77. illos arguit doctrinæ non cohærentis: Ratio enim cur non peccetur contra Justitiam est; quia bonum commune exigit, ut liceat loqui de delictis publicis, ut quisque absque errore cognoscatur, qualis revera sit, & singuli pro meritis honorentur: ne aliquis propter suam ignorantiam privatam erret, honorando, & magnifaciendo eum, qui à cæteris meritò despicitur, atque ut ità terreantur homines à sceleribus, quæ utilitas publica præponderat damno, quod ex ampliore publicatione defectûs jam publici potest evenire singulis; ideoque singuli malunt libertatem retinere loquendi de publicis defectibus aliorum; quàm ut aliis non liceat loqui de publicis eorum defectibus. Jam verò, si foret contra charitatem de illis loqui, utilitas illa publica non obtineretur; adeoque frustra per illam publicitatem Jus ad famam tolleretur: unde secluso omni affectu sinistro juxta illum non peccatur contra charitatem, sique contra hanc, peccaretur etiam contra Justitiam. Si tamen specialiter affligendus esset proximus ex revelatione, & jam emendatus impediretur à necessariis ad vitam, vel statum alibi justè acquisitum, aut revelatio fieret sinistro affectu, peccaretur contra charitatem.

411. Resp. 2. Quando crimen verum est publicum

cùm absolutè publicitate facti, vel famæ etiam per injuriam, potest, per se loquendo, revelari aliis id nescientibus tum in eodem loco, tum in loco sine injuria, ubi facilè, & brevi publicandum est Lugo D. 14. N. 64. *Ratio* 1*mæ partis est*; quia nocens in iis locis amisit Jus ad famam, & expedit bono communi, ut quis dignoscatur talis, qualis publicè est; ne alii per eum decipiantur, & dignioribus illum præferant; & ità habet totius orbis consuetudo. *Ratio* 2*dæ partis est*: quia revelatio jam parata est in fama, & rumore. *Publicum facto, vel famâ.*

Dixi 1. *Crimen verum*: Nam si crimen falsò esset impositum, maneret Jus ad famam.

Dixi 2. *Absolutè publicum*: Nam quod est publicum respectu monasterii, vel certæ domûs, aut familiæ tantùm, id extra illam evulgare non licet.

Dixi 3. *Etiam per injuriam*: quia publicitas tollit Jus ad famam: totum enim Jus fundatur vel in carentia criminis aut defectûs, vel in eo, quod adhuc lateat: uterque enim titulus dat Jus, prior absolutè magis rigorosum, & universale; posterior vero, ut non manifestetur sine justa causa, sic exigente pace, & bono Reip. ut ità homines amore bonæ famæ excitentur ad abstinendum à vitiis; cùm, si liceret quæcunque vera delicta publicare, ruerent, de bona fama desperantes, in vitia plurima. Utroque autem titulo cessante nullum manet Jus. Quare tunc incipit Jus, quod alii habent ad sciendum statum, & qualitatem aliorum, ne errent circa illos, & nimiùm graventur: esset enim onus valde grave obligatio tacendi de delictis publicis per injuriam manifestis; quia in anxietate perpetua versaremur, ne hoc, quod publicum *Jus ad famam.*

cum eſt, ſit vulgatum per injuriam; imò vix liceret loqui de ejuſmodi, cùm ùt plurimùm per injuriam à primis manifeſtentur. Aliud eſt de crimine falsò impoſito; quia Jus loquendi requirit, ut crimen & verum ſit & publicum.

Si dicas cum Bonac. Haun. qui tenent non licere, ſi ſciatur eſſe per injuriam evulgatum, ſi, inquam, dicas: pro priori ad injuriam infamatus habebat Jus cerum ad famam, an autem per injuriam id amiſerit, ità ut ulteriùs vulgari poſſit, incertum eſt; Imò Jus habet ad recuperationem famæ, quæ per ulteriorem vulgationem impeditur. R. Reip. bono communi, quod privato præferendum eſt, ſic poſtulante, habet homo Jus certum loquendi de publicis; an autem crimen non ſit ſatis publicum, ut ulterius vulgari poſſit, etiam certum non eſt. Unde poteſt uti jure ſuo, & bonum commune præferre privato. Quòd infamatus Jus habeat ad recuperationem famæ, tenetur, quoad poteſt, injuriæ author eam reſtituere; ſed non ideo alii privandi ſunt Jure ſuo, quod tribuit publicitas, loquendi de publicis, quod dum faciunt, non intendunt reparationis famæ negationem; ſed utendo jure ſuo eam permittunt, in quo injuria non eſt: ſicut non eſſet, ſi ſciens, furem non poſſe reſtituere ablatam pecuniam, niſi venderet nunc Titio merces ſuas, præveniendo ipſum venderem meas, ſicque indirectè impedirem reſtitutionem; fit quidem difficilior reſtitutio famæ, & infamatio extenditur, ſi crimen amplius vulgetur; verùm id per accidens eſt, & loquens utitur ſuo Jure: ſicut Judex, ſi crimen per injuriam etiam ſit evulgatum, licitè inquirit; quia Jure ſuo utitur.

Dixi

Dixi 4. *In eodem loco, &c.* Nam an liceat divulgare, & revelare in alio loco, ad quem fama perventura non erat, magis dubium est: multi negant, eò quòd nocens non amiserit Jus ad famam pro illo loco. Vel saltem repugnet graviter charitati, quod probabilius est, nisi bonum publicum, aut privatum proximi aliud exigat. Affirmant alii cum Lugone; tum quia licet homini peregrino, huc venienti, aut alicui hinc abeunti, crimen hìc publicum, etsi illi ignotum, revelare: cur non in alio loco existenti? cùm distantia loci nihil conferat ad famam; tum quia bonum commune exigit, ut liceat de publicis loqui, cui charitas non exigit bonum privatum præferre. Sic historici pro bono communi delicta publica libris & scriptis transmittunt licitè posteritati, ad terrorem scilicet scelerum incutiendum, & excitandum amorem virtutis. Nec obstat, quòd notoria in Cœnobio non liceat referre extraneis, ea nescientibus: nam sic non sunt notoria simpliciter, sed notitiâ restrictâ ad talem congregationem, quæ est quasi persona politica, retinens res suas secretas apud se, nolens eas aliis communicari, quando redundat in ejus detrimentum. Et hinc venienti ad monasterium externo peregrino non licet ea referre, sicut licet peregrino referre venienti ad urbem, quæ in hac notoria sunt. *An liceat in alio loco?*

Si dicas: In loco, ad quem fama criminis perventura non est facilè, crimen est occultum: sicut publicum dicitur, cujus fama vel jam est in loco, vel eò perventura facilè. Respondet 1mo. Lugo N. 58. ut aliquid dicatur publicum, satis est per se, & ex parte objecti, quòd sit in talibus circumstantiis, ut venire possit in noti-

titiam, licèt impedimentum sit ex parte subjecti: ut si quis sit cæcus, & surdus, incarceratus, & absens, &c. hocque impedimento non tolli notoreitatem respectu talis personæ, & illi crimen revelari posse; secus si impedimentum sit ex parte objecti v. g. quia est occultum. Respondent 2do. Alii ex Suar. & Castrop. crimen in uno loco publicum esse simpliciter, & absolute publicum: nam dici non potest simpliciter, & absolute occultum. Econtra Sanch. L. 2. in decalogum cap. 11. n. 20. tenet, si hic sit publicum alibi verò occultum nec sit periculum, ne fama hinc illuc sit id perlatura, censeri ibi occultum, prout opponitur publico; quia ibidem revera nescitur.

Dixi, *probabilius repugnare charitati, nisi &c.* Nam imprimis non obest publicæ utilitati, ut vult Lugo, si in quibusdam casibus maneat obligatio charitatis. Dein quamvis reus talis jus ad famam amplius non habeat, eam tamen in alio loco sine fraude, & injuria possidet: Unde 1mo videtur revelatio criminis in alio loco, ubi id publicum non est, nec fama illuc est id perlatura, graviter repugnare charitati, si infamis reus jam in illo loco existens, & emendatus gravi afficeretur mœrore, damna pateretur in bonis fortunæ justè acquisitis, vel in fama honestate vitæ jam comparata, nec bonum commune, aut privatum proximi postularet crimen detegi. 2do. Si reus per injuriam hîc, non vero alibi diffamatus esset, & tamen alibi diffamaretur, nec esset, quod revelationem suaderet. 3. Si nobilis adolescens, hîc notorie illegitimus, transtulisset se, v. g. in Hispaniam, ibíque per studia, vitámque inculpatam jam magni nominis, pro-

mo

motus esset ad dignitatem, vel honorificum officium, uxoremque duxisset ex nobili familia, nemo, credo, dicet, non peccaturum contra charitatem, qui hinc literis, vel ibi existens labem natalium vulgaret, atque ità detrimento esset in fama justè acquisita, bonísque fortunæ, concordia cum familia uxoris &c. Imo non desunt, qui dicant, talem peccaturum contra justitiam, cùm labes *illa* ipsi sit involuntaria, nec facto publico jus ad famam abjecerit, nec per sententiam judicis illo privatus existat. Nec juvat, quod crimen hic publicum referens Hispano, hic peregrino, non peccaret contra charitatem, quia is hic haberetur ut incola. Nec tamen illi liceret id vulgare in Hispania, si reus ibi existeret vel notus foret, nec esset quod revelationem exigeret; sed peccaret contra charitatem in circumstantiis jam relatis. Atque hæc maximè valent, si crimen tantum sit fama publicum, & fortè per injuriam in uno loco, & non in alio. 412.

Quid si crimen desiit esse publicum?

Resp. 3. Quando delictum fuit facto, vel famâ publicum, & deinde lapsu temporis est oblivione sepultum, & infamia per eam sublata, infamatus redit ad priorem statum possidet jus ad famam suam. Ratio est; qui diversitas temporis facit, ut non sit amplius absolute publicum, sed tantum, ut fuerit; secus est, quando crimen in uno loco est publicum, & non in alio: tunc enim respectu existentium est absolute publicum, adeoque, nisi aliud hic & nunc charitas exigat, referri potest: Quare distantia loci non tollit publicitatem, sicut distantia temporis. Ita Lugo, Molin; & alii, qui etiam tenent sine in-

juria posse revelari crimen, oblivione sepultum, si fuerit publicum per sententiam judicis; quia, non obstante, oblivione, facultas manifestandi, à judice data, videtur moraliter perseverare. Juxta Less. n. 82. olim ob crimina infamis, etsi sit nunc bonæ famæ, nunquam habuit jus ut judicetur non fuisse malus pro tempore, quo crimina publica fecit.

Hactenus dicta; etsi passim recipiantur, ut probabilia, optimè tamen faciet, qui non nisi ex justa causâ, rectaque intentione, & parcè loquitur de proximi labe, & peccatis præsertim in loco ubi adhuc occulta sunt, ne impingat contra charitatem.

Dices: Historiographi etiam sacri crimina antiquorum transmiserunt posteris ad loca, ubi aliàs nunquam innotuissent, quin arguantur peccati contra charitatem, ergo &c. Resp. E re boni publici est crimina tunc notoria transmitti ad posteros, ut hi cauti fiant, & deterreantur à peccatis, innotescat Dei misericordia erga pœnitentes, & justitia contra impœnitentes, unde rectè faciunt, modò etiam referant pœnitentiam, si qui eam egerint. Hæc ratio locum non habet in quibuscunque casibus de labe proximi, ut patebit consideranti jam dicta. Id fit in sacra scriptura & usus in toto mundo habet, non verò hoc.



QUÆS-

QUÆSTIO V.

An aliquando poſſit occultum alterius delictum conſilii, ſolatii, auxilii, vel gravis mali à ſe, vel proximo avertendi causâ ſine detractione revelari?

Reſp. 1. Poteſt aliquando ſine detractione, 413.
& peccato ſaltem mortali, vèrum, & occultum proximi crimen, juſtè intellectum amico revelari conſilii, & auxilii causâ, etſi Author innoteſcat illi. Eſt communis DD. quorum aliqui cum Leſſ. & Lugone tenent, id aliquando fieri poſſe ſine peccato, ſaltem gravi, ſolius ſolatii causâ. *Ratio eſt*; quia non eſt humanum, ut quis cogatur carere neceſſariò conſilio, vel auxilio in re gravi, & injurias ſibi factas intùs concoquere, nec poſſit dolorem ſuum in amicum fidelem ex parte exonerare. Unde & author injuriæ non poteſt eſſe rationabiliter invitus, remque tam difficilem exigere: ſicut enim, qui alteri vulnus inflixit, non habet jus, ne læſus ſibi adhibeat medicinam; etſi per id fortè eveniat aliquod malum lædenti, quod ſibi imputare debet; ità hic: querela enim apud amicum eſt aliqua doloris medicina. Cavendum tamen, ne dicatur pluribus, vel perſona apertiùs nominetur, quàm ſit neceſſarium ad auxilium, vel ſolatium. Lugo D. 14. N. 53. & ſic à mortali ſaltem excuſari cenſent D. D. poſſe famulos, qui injurias ſibi ab heris ſuis, uxores, quæ à maritis, filios, qui à patre, religioſos, qui à Prælato ſibi factas queruntur fideli perſonæ ſolatii causâ. Item conjuges, qui ſibi referunt delicta dome-

Poteſt fieri quandoque auxilii causâ.

ſticorum doloris mitigandi, vel rei domeſticæ conſervandæ, aut benè adminiſtrandæ causâ.

Dixi 1. *Sine peccato ſaltem mortali*: quia, ſi conſilium, vel auxilium ad grave malum avertendum ſit neceſſarium, aut gravis mœror aliter depelli non poſſit, nullum foret peccatum: leviter tamen aliquando excedi poteſt, imò, & graviter, ſi fieret ex odio in proximum, vel ex vindicta, intendendo illi infamiam: ſicut, ſi quis acceptâ injuriâ percuteret proximum, vel ſpoliaret; ſic enim eligeret malum proximi, quà tale, ad leniendum ſuum dolorem, & vindictam quæreret.

Dixi 2. *Juſte intellectum* propter jam dicenda.

414. *Item pro gravi malo avertendo.* Reſp. 2. Poteſt quis licitè detegere defectum, vel crimen verum alterius occultum, juſtè intellectum, quando ejus ignorantia cedit in notabile damnum ſpirituale vel corporale proprium, vel proximi: ſicut enim ad bonum commune ſpectat, ut occulti defectus aliorum ſine juſta cauſa non aperiantur; ità ad id ſpectat, ut juſtis de cauſis aperiantur, ne ex eorum ignorantia aliis damna oriantur, & in hoc omnes debent conſentire. Hinc ſi homo improbus, & ineptus ad docendam juventutem, ad curam animarum, ordines ſacros, ſtatum religioſum, matrimonium laborans impedimento, id dirimente, aſpirat; licet defectum aperire iis, de quorum periculo agitur, vel ad quos ſpectat mala impedire, modò non plus fiat, quàm ad mala avertenda ſit neceſſarium. Si enim impediri poſſit malum non nominando perſonam, hæc manifeſtari non debet.

Dixi 1. *Defectum, vel crimen verum*: nam falſum

falsum imponere, nunquam licet*, cùm hoc sit positivè lædere Jus ad famam, fundatum in vera innocentia. Nec juvat, quòd pro conservanda vita in extrema necessitate liceat alienа auferre vi etiam, & dolo; quia bona fortunæ eâ lege sunt divisa, ut in tali necessitate quantum necesse est, sint communia; bonum autem famæ ità cuique proprium est, ut Domino rationabiliter invito, auferre non liceat unquam. Dein esset talis impositio mendacium perniciosum. Vide damnatam 43. & 44. ab Innoc. XI.

Dixi 2. *Justè intellectum*: nam si ejus notitia sit per injuriam, v. g. fraudem, vim, dolum injustum immediatè à te acquisita, sine injuria revelari non potest, nisi res ad eum statum sit deducta, ut licitè posses ejus notitiam acquirere: utì si alter te, vel alium innocentem injustè vexaret, & non posses aliter injuriam repellere, nisi ejus crimen revelando; vel si is teneretur tibi ex justitia secretum revelare, aut si ad bonum Reipublicæ revelatio esset necessaria. *Ratio 1mæ partis est*; quia ex injusta præterita notitiæ acceptione oritur obligatio ad omnia damna proximi, inde secuta, compensanda, & secutura impedienda; cùm injusta acceptio perseveret. *Ratio 2dæ partis est*: quia si hìc & nunc licitè posses acquirere notitiam, si eam non haberes; jam illa moraliter est tua: sicut, si furatus esses rem alienam, & venires ad extremam necessitatem, in qua liceret eam auferendo acquirere, in ea necessitate posses rem consumere; quia foret moraliter tua, secùs ac foret extra talem casum. Quodsi autem tu sine injuria haberes ab alio notitiam, qui hanc acquisivisset per inju-

riam, illâ uti posses ad grave malum à te avertendum; quia nec ullam injuriam fecisses, & u툴tereris jure tuo, secreto jam ab alio violato. Neque oportet quoad omnia loqui de fama aliena, uti, de bonis fortunæ: horum enim dominium servit necessitati vitæ, non item dominium famæ alienæ.

Dixi 3. *Quando ignorantia cedit in damnum notabile*: neque enim requiritur, ut damnum, quod innocens aliàs patietur, sit majus, vel æquale illi, quod alter in fama patitur; quia jus ad famam, fundatum non in vera, sed tantùm existimata bonitate alterius, non est ità strictum, sed concessum ob pacem bonumque commune: hinc quando ad bonum commune expedit crimen alterius revelari, jus illud cessat; est autem expediens bono communi, ut liceat crimen alienum verum manifestare, quando id necessarium est ad damnum notabile à se, vel proximo innocente avertendum: sic enim impii à sceleribus deterrentur, & innocentibus manet potestas se defendendi contra injurias: universim sufficit, damnum esse tale, quod non tenearis ex charitate subire ad impediendum damnum illud, quod alter justè subire cogitur propter delictum manifestatum. Atque in hoc casu si revelando non peccetur contra Justitiam, nec peccatur contra charitatem. *Ex dictis deduco.*

415. Corollaria. 1. Si quis te falsò accuset, aut injustè vexet cum damno gravi, potes ejus crimen, justè intellectum, manifestare, si manifestatio directè conducat ad repellendam injuriam in fama, honore, bonis fortunæ propriis, vel alterius innocentis, sitque unicè necessaria, nec fiat ex pravo affectu; sed ut lædenti non cre-

datur ab auditoribus, infringatur ejus nocendi potentia; quia innocens habet jus ad suî defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ; & injuriam inferens, non potest esse rationabiliter invitus, cum ipse cogat ad hoc medium unicè necessarium de se licitum: neque enim author criminis habet jus absolutum ad suam famam, sed conditionatum tantùm, ut nempe non infametur, nisi ex justa causa. Si autem criminis revelatio non conducat, aut non sit necessaria ad defensionem, revelare id non licebit. Sic non licet alium appellare adulterum, eò quòd is te appellet furem. In dubio, an criminis revelatio sit necessaria, magis favendum est innocenti; adeoque licet viâ securiore uti: sed cavendum, ne revelatio fiat cum majore detrimento, quàm necesse sit.

2. Si Titius Cajo machinetur malum v. g. mortem, aut damnum in bonis fortunæ, & hujus habeas notitiam, potes Cajum monere de imminente damno, atque, si necesse foret, nominando Titium. Si autem perinde damnum averti possit, dicendo in communi, ut sibi caveat, sua custodiat, esse aliquem, qui malum paret ipsi &c. nominandus non esset.

3. Si quis per calumniam tibi crimen imponat, potes dicere, eum mentiri, etsi hoc illi ignominiosum foret. Si verò crimen verum esset, dicere liceret, injuriam tibi fieri. Observanda sunt hìc verba S. Scripturæ Prov. 26. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam*, id est, per verba non consona rectæ rationi. Item: *Responde stulto juxta stultitiam suam*, id est, ità, ut manifesta fiat falsitas.

QUÆSTIO VI.

An, & quando licitè possit Secretum promissum, & commissum revelari, vel literarum secretum acquiri?

416. *Secretũ quintuplex.* *Nota.* Secretum quintuplex est. Primum est naturale, quo ex lege naturæ tenemur occultum proximi crimen, vel defectum cum ejus infamia sine justa causa non revelare citra omne pactum. 2dum est promissum, quo tenemur aliquid antè nobis cognitum, non revelare, quia sic promisimus. 3tium est commissum, seu communicatum, quo tenemur non revelare id, cujus notitiam ab alio accepimus, interveniente pacto expresso, vel tacito id non revelandi. Pactum expressum erit, si tibi dicatur, hoc esse sub secreto servandum, tuque saltem tacitè acceptes. Tacitum autem erit, si ex circumstantiis & usu recepto constet, hoc committi sub secreto servandum. Sic ad secretum obligantur Consiliarii Principum, Officiales belli, Advocati, Medici, Chirurgi, Theologi de casu aliquo consulti, obstetrices, & probabiliter omnes, quibus consilii, vel solatii, auxilii causâ secreta committuntur: hoc ipso enim, quòd secreta suscipiunt, ex communi persuasione censentur se obligare ad non revelandum, & in ea persuasione alii sua secreta revelant. Itaque secretum commissum est, quo tibi communicatur notitia sigillata, & limitata, quam antè non habuisti. Secretum autem promissum est, quo obligas te ad notitiam, aliunde habitam, non communicandam alteri. Illud per se obligat ex Justitia sub pec-

peccato ex genere suo mortali ; quia alter ea lege communicat notitiam , ut serves eam tibi, sicque implet ex parte sua conditionem , per consequens & tu teneris tuam partem implere, & tacere. Tale non foret , si socius furti promitteres silentium ; quia notitiam furti haberes à sensibus tuis. Secretum verò tantùm promissum obligat vel ex fidelitate tantùm , vel ex Justitia pro intentione promittentis secundùm dicta de promissione. Quartum est secretum literarum , jure gentium introductum, quo tenemur alienas literas sine consensu scribentis , per se loquendo , non aperire, & ad hoc quoque obligat Justitia ex conventione tacita omnium gentium , quam declarat praxis, & consuetudo in Rep. humana. Quintum est secretum sacramentale , de quo P. 4.

Resp. 1. Qui secretum promissum sine legitima causa revelat , peccat graviter, vel leviter pro quantitate materiæ , & suscepta obligatione ; ac primò quidem contra fidelitatem ; quia non conformat facta promissioni , fidemque datam frangit. 2. Contra Justitiam , si simul ex hac se intendit obligare , quod ordinariè non intendunt homines. Unde hoc secretum violare , secluso periculo gravis damni, vel gravis infamiæ , vel læsione notabili charitatis , plerumque tantùm peccatum veniale est; imò aliquando nullum , si nimirum adsit justa causa non standi promissione : ùt, si promittens interrogetur legitimè à Superiore , vel Judice , cui tenetur respondere ; vel si injustè læsus ab eo , cui promisit, aliter famam suam tueri non posset ; aut innocens ex illo silentio patiatur grave incommodum : pro his enim casibus non censetur se obligâsse.

417. Secretum promissum obligat, saltem ex fidelitate.

Resp.

418. Resp. 2. Qui violat secretum commissum, etsi possit peccare tantùm leviter in materia levi, graviùs tamen peccat, & quidem mortaliter in materia gravi contra Justitiam, quàm violans tantùm secretum promissum; quia accipit à committente notitiam sub sigillo naturali, quod arctius obligat, & ità quidem, ut interrogatus etiam legitimè à Superiore teneatur non revelare, sed uti æquivocatione, dicendo, sibi hoc non constare, notitiâ scilicet communicabili; quia notitia tunc est talis, ac si eam non haberet. *Excipe*, nisi ille, qui secretum commisit, injustè vexaret Remp. vel alium innocentem, & aliter ab injuria averti non posset: tunc enim revelare posses, etsi te obligâsses ad sustinendam potiùs mortem, quàm id revelare; quia obligatio tacendi in his casibus esset vinculum iniquitatis, quod exigere committens non potest; & promittens ejus malitiæ cooperaretur. Cæterùm, cùm alius tibi rem commiserit sub secreto & obligatione tali solùm, sub qua censeris admissurus fuisse, si futura prævidisses; hinc attendi debet intentio tua te obligandi ad silentium: si enim te obligaveris ad silentium cum periculo cujuscunque damni, etiam mortis, teneris tacere; quia, cùm hoc sit licitum, potuisti te ad hoc obligare, si verò obligaveris te verbis tantùm communibus, non exprimendo malum v.g. mortem; censeris solùm te obligâsse ad moralem quandam, & humanam non nimis difficilem custodiam: unde colligendum ex circumstantiis, quousque censeatur se extendisse intentio, ad quale & quantum incommodum, ad qualem mutationem circumstantiarum &c. Hoc tamen notandum, si in

Secretū commissum servandum ex justitia.

si in casu aliquo liceat revelare secretum commissum, id revelandum non esse, nisi quantum necesse est ad malum imminens avertendum: uti si quis sub secreto revelâsset tibi artem medendi morbo certo, & non posses hîc & nunc tibi, vel proximo mederi, nisi revelares ei, qui medium pararet, deberes ei tantùm, & sub secreto revelare.

Resp. 3. Est, per se loquendo, peccatum mortale contra justitiam, legere alienas literas, nisi adsit consensus expressus, vel tacitus, aut prudenter præsumptus scriptoris; quia jure gentium introducta est obligatio, secreta literarum illæsa relinquendi, & ordinariè non constat, an contineant rem gravem, aut author non sit graviter invitus. Si tamen prudenter judicaretur non esse invitus, culpâ lector vacare posset: tunc tamen non temerè in illis contenta aliis forent manifestanda. 419. *Et literæ alienæ non aperiendæ.*

Dixi: *Per se loquendo*: nam licitè legi possunt 1mò tempore belli justi literæ, quæ ab hoste, vel ex locis vicinis hostium afferuntur. 2. Literæ aliorum à ministris publicis aperiri, & legi possunt, quoties judicant, ad bonum commune id esse necessarium. 3. Licitè legis alienas literas, in quibus sine passione prudenter judicas, contineri tuam injuriam, vel damnum tibi, vel proximo injustè parari, quod aliter averti non possit; quia licitum est sibi consulere: cautelâ tamen hîc opus, ne sine sufficienti fundamento judices, nec plus legendum, quàm necesse sit. Hæc intelligenda sunt quoque de literis apertis, quas quis casu perdidit, aut per injuriam. Item de scriptis, quæ dominus secreta esse voluit. Quodsi literas dilaceràsses, & in locum publicum projecisses, an

liceat

liceat fragmenta colligere, & combinata legere, dubium est. Affirmant multi, eò quòd dominus videatur eas habere pro derelictis, & jure suo cedere: si in parva frusta sint dilacerata, negant probabiliùs alii; quia sic lacerando satis indicavit, nolle se, ut in iis contenta constent aliis: sicut si projiceret in ignem, & laberentur in locum, ex quo à te extrahi possent; satis ostenderet, nolle ab aliis legi.

QUÆSTIO VII.

An, & quando peccet audiens detractiones?

420. Resp. Peccat 1mò contra Justitiam, tenetur que in defectu detrahentis ad restitutionem audiens, qui efficaciter influit in detractionem interrogando, excitando, animando, avidè attendendo, ostendendo complacentiam in discursu detractorio; quia talis est vera causa damni in fama. 2dò peccat, si auditâ detractione lætetur; quia repugnat charitati. 3tiò peccat contra charitatem pro ratione damni graviter, vel leviter, qui non impedit, quando commodè potest, damnum in fama. Imò Superior, non impediens subditum à detractione, peccat contra Justitiam, sicut parens non impediens filium à furto; quia ex officio tenetur impedire suos, ne damna aliis inferant. Unde & talis non impediens tenetur ad restitutionem: caput enim politicum tenetur gubernare suos in ordine ad alios.

Peccat, si influat

Dixi: *Si commodè possit*: Nam non peccat, qui putat suam monitionem nihil profuturam, qui magnum incommodum meritò metuit, qui

qui ob authoritatem detrahentis rationabili verecundiâ prohibetur. Debet tamen ostendere, sibi displicere, assumendo faciem tristiorem, vel sermonem aliò vertere, vel discedere, si commodè possit. Si nihil ex his fieri commodè possit, audiens non facilè credat detrahenti, sed in melius omnia apud se pro favore proximi explicet, memor, quoties falsitati sint obnoxii sermones hominum.

Pro praxi notandum, quòd secundùm dicta P. 2. de Charitate N. 99. æqualis rarò, inferior rarissimè teneatur corrigere detrahentem. Primò, quia audiens plerumque nescit, an quod narratur, sit notorium; sæpè autem est, etsi ipse id nesciat; & in dubio præsumendus est referens alienos defectus non detrahere, cùm delicta non sint præsumenda; in quo errant multi, existimantes simul, atque aliquid audiunt contra proximum id sibi refutandum esse. 2. Quia cœptâ detractione sæpè meliùs consulitur proximo, si sinatur absolvi, quàm si abrumpatur; tum quia si defectus explicetur, sæpè non tam graviter apprehenditur, quàm initio conceptus erat; tum quia non rarò, si referentes aliena delicta arguantur, nolunt videri errare, & certiùs affirmant, & confirmant, quàm si correcti non fuissent. 3. Quia quandoque sine gravi offensa detrahens corrigi non potest. 4. Quia alter non rarò habet justam causam manifestandi. 421. *Correctio fraterna.*

QUÆSTIO VIII.

An, & quomodo fama sit restituenda? 422. *Est obligatio ex justitia.*

Resp. Qui alterius famam læsit per formalem

lem injuriam, seu imponendo falsum crimen, vel defectum, seu occultum, etsi verum revelando, sub peccato ex genere suo mortali tenetur ex justitia eam reparare, imò & damna in bonis fortunæ inde secuta, si saltem confusè sint prævisa. *Ratio* per se clara est; quia damnum grave tam in fama, quàm bonis fortunæ per detractionem inferri potest; cumque hoc reparabile sit, & justitia læsa exigat reduci æqualitatem, obligatio in materia gravi gravis erit. Ex his deducò.

423. *Corollaria.* Primò. Qui proximo detraxit injustè apud illos, qui meritò timebantur, aut prævidebantur crimen, vel defectum ulterius propalaturi, tenetur in horum defectu reparare famam apud auditores mediatos; quia etiam apud hos est causa injusta infamiæ; ideoque tenetur inquirere, an auditores immediati etiam dixerint aliis: si autem prudenter credebantur non propalaturi longiùs, non tenetur saltem ex culpa, nisi apud immediatos auditores; quia ulterior propalatio non est ipsi moraliter imputabilis; sed aliorum malitiæ, qui tenebuntur famam reparare, injustè ulteriùs læsam. Ità Dicast. N. 168. & alii. Idem dicit Tamb. & Sporer, si inculpabiliter non cogitaverit, quòd illi aliis essent propalaturi.

2. Si ex detractione injusta secutum sit damnum in bonis fortunæ, v. g. amotio ab officio, aut non promotio digni ad illud, tenetur detrahens compensare, etsi crimen occultum sit verum; quia crimen occultum habet se, acsi non esset: hinc damnum sequitur ex sola revelatione injusta.

3. Qui publicè diffamavit aliquem, ut impediret ab officio, quo erat indignus, cùm satis fuis-

fuisset diffamare privatim, tenetur reparare famam in publico perditam, non tamen damna ex non obtento officio, qui infamatus jus non habebat, ut non impediretur ab officio: & sola infamia apud promotorem, quam alter justè poterat creare, causa fuit negandi officium, proinde causa damni non fuit injusta; sed sola extensio infamiæ, quæ ut integrè reparetur, satis est, sinistram opinionem tolli de præsenti & futuro: tunc enim censetur fama restituta pro præterito, conceptâque opinione opposita quasi retrotrahitur, totumque damnum moraliter reparatur; nec pars famæ præteritæ in proprio genere aliter reparari potest.

4. Per se loquendo, detractor tenetur revocare, quod dixit, & efficaciter eximere aliis existimationem sinistram: nec satis est infamatum laudare in aliis; quia labes aspersa in mentibus hominum in uno genere, non detergitur per laudem in alio genere: uti si dixisti, aliquem esse impudicum, vel injustum, & laudes postea eum à misericordia in pauperes; dein opinio hominum de virtute, nisi vera sit, inconstans est, potestque infamia esse gravior, quàm laus in alio genere. Dixi: *Per se loquendo*: quia, si alius modus non videretur profuturus, is adhibendus esset, v. g. si illi, apud quos detraxisti, permansuri essent in opinione concepta, eò quòd adverterent, quòd revoces, ut conscientiæ satisfacias. Hoc tamen casu deberes manere paratus revocare efficaciter, ubi poteris.

5. Qui detraxit revelando crimen verum, juxta communem non potest revocare, dicendo, se mentitum esse, aut falsum dixisse; quia sic loqueretur contra mentem: sed dicere de-

bet, v. g. se deceptum esse, nempe errore practico; homines sæpe, talia dicendo, falli, mentiri: eum, de quo dixit, fuisse innocentem, nempe innocentiâ publicâ: se illi fecisse injuriam.

6. Qui alteri detraxit, per calumniam falsum crimen scienter imponendo, per se loquendo, strictissimè obligatur ad omnem modum, quo falsam opinionem animis auditorum eximat, reparetque stabiliter alterius famam, & quidem, si alia via commodior non suppetat; tenetur dicere, se mentitum esse, idque juramento confirmare; imò si juramento non crederetur, testes falsitatis adhibere, aliaque remedia extraordinaria, ùt tenet communis cum Lugone; quia diffamatus habet jus strictissimum, fundatum in vera innocentia ad famam: proin diffamator tenetur adhibere media eò necessaria; sique ordinaria non sufficiant, tenetur ad extraordinaria: malitiæ enim suæ debet imputare, quòd sibi onus illud imposuerit: unde, qui infamavit per libellum famosum, tenetur refutare per scripturam æquè publicam, vel per vocem præconis, aut Concionatorum, aliove modo, judicio prudentum sufficienti. Dixi: *Reparetque stabiliter*: nam, si auditores primùm crederent revocanti, postea autem priorem resumerent opinionem sinistram, moti ejusdem calumniatoris authoritate, teneretur iterum hanc tollere, etsi ad id juramento opus esset; quia hoc damnum famæ adhuc respiceret primum delictum, ùt suî causam, ùt rectè Lugo. *Nec juvat*, quòd auditores fortè ex malitia sua non credant juramento, aut opinionem sinistram resumant: nam licèt, dum dantur sufficientia motiva ad depo-

deponendam illam opinionem, hanc deponere teneantur; non ideo cessat obligatio eam eximendi, cùm injusta illius causa fuerit detractor, & detractio adhuc pergat influere.

7. Fama restituenda est, quamprimum commodè potest; aliàs continuatur injuria.

8. Si referas aliquid de alio, publicè infamato, & auditores alium ab illo videantur intelligere, teneris corrigere.

9. Hæredes detractoris non tenentur resarcire damnum famæ; quia obligatio est personalis, quæ non transit ad hæredes. Secùs est de damnis realibus ex detractione secutis.

10. Qui de alio concepit judicium temerarium, vel suspicionem temerariam, deponere tenetur, ut famam apud se redintegret. Hæc procedunt etiam de detractione defuncto factâ.

QUÆSTIO IX.


An sit obligatio restituendi Famam, sine formali injuria ablatam, vel læsam?

Resp. Qui detraxit proximo sine injuria formali v. g. sine advertentia ad malitiam ex præcipitantia linguæ, vel si putavit, delictum esse publicum, cùm verè fuerit occultum, tenetur ad restitutionem, vel potiùs ad impediendam continuationem, saltem in materia gravis infamiæ, si possit sine gravi incommodo, idque tum ex Charitate, tum probabiliùs ex Justitia etiam. *Ratio 1mæ partis est*; quia Charitas obligat, ut impediamus damnum proximi, quando commodè possumus. R*atio 2dæ partis est*; quia quisque tenetur ex Justitia non solùm non inferre damnum proximo, 424. *Tenetur etiam ex justitia.*

 sed

ſed etiam procurare, quantum commodè poterit, ne ex ſua actione illi damnum ſequatur. Sic teneris, ſi alterius domum incendiſti, etiam inadvertenter omninò, & inculpabiliter, ſtatim, ubi advertis, extinguere incendium. Si alteri, loco medicinæ, bonâ fide propinâſti venenum; ſi tuum animal, te ignorante, cœpit nocere; teneris damnum impedire: aliàs tibi imputabitur. Eſt tamen gravior obligatio alteri non inferendi damnum, quàm impediendi: nam obligatio non inferendi damnum ſcienter eſt abſoluta: nunquam enim licet alteri inferre damnum ſcienter; obligatio impediendi damnum ex actione ſua inculpabili ſecuturum eſt limitata, ſi nempe commodè poſſit: ſi enim grave damnum illi immineret, quod ex Charitate non teneretur ſubire, cenſeretur damnum alterius tantùm permittere. Sic paterfamilias tenetur nunquam detrahere proximo, tenetur etiam curare, ne ſui domeſtici detrahant, utpote caput illius corporis politici, quod ſic tenetur ex Juſtitia gubernare, ut aliis non noceat; attamen, ſi non poſſit ſine gravi incommodo impedire detractionem, cenſetur tantùm permittere. Ità Lugo. Ex eadem ratione teneris reſtituere famam Paulo, ſi crimen, quod dixiſti de Petro, alii intellexerunt de Paulo. Item teneris impedire damna, quæ ex permiſſa ſcienter continuatione infamiæ ſecuta ſunt, non verò quæ ſunt ſecuta, antequam adverteris, detractionem fuiſſe injurioſam. Leſſ. dat hanc rationem; quia non reſtituens famam alienam quodammodo eam detinet; verùm non ſatis apparet, quomodo detineatur, cùm extincta ſit. Sicut ſi domus per te incenſa combuſta eſſet ſine tua culpa cum non detineres. Nec videtur ratio firma, ſi dicatur,
quòd,

quòd, qui inculpabiliter detraxit, si non eximat opinionem sinistram, pergat suâ authoritate adhuc movere ad eam continuandam mediis speciebus ingeneratis de labe proximi: nam sequeretur, quòd, qui inculpabiliter falsò jurâsset, vel falsum dixisset, advertens postea, teneatur revocare: aliàs erit perjurus & mendax: species enim ingenitæ non movent, nisi ad credendum ob authoritatem dicentis. Itaque obligatio non est ex formaliter injusta detentione, nec ex re aliena; sed ex eo, quòd quis teneatur impedire, ne ex actione sua sequatur damnum proximo: hîc non tam obligatio est restituendi, quàm impediendi damnum ulterius, & quidem etiam apud auditores mediatos, si immediati id non faciant. Ab hac tamen obligatione per accidens plerumque excusatur inculpabiliter detrahens, tum ob moralem impotentiam: tum quia, dum apud immediatos dicta sua revocat, implicitè iis committit, ut hanc revocationem aliis indicent, si fortè quibusdam revelaverint; hocque immediati auditores in se recipiunt, dum tacent, & narrationem ad id non obligant, præsertim, cùm primus narrator scire non possit, quibus illi dixerint; hocque confirmat praxis Confessariorum, qui tantùm obligant detractorem, ut revocet apud eos, quibus ipse revelavit: nec sine causa; quia cuilibet recta ratio dictat, reparandam esse injuriam proximo illatam.



QUÆSTIO X.

Quænam excusent à Restitutione Famæ?

425. *1. Impotentia.* Resp. Excusat 1mò impotentia physica, & moralis: uti, si auditores, coram quibus detraxisti, nec verbo, nec scripto convenire possis, aut reparare non possis sine longè graviori infamia, vel damno famam læsam, revelando crimen verum occultum: nimis enim durum est cum longè graviori detrimento teneri compensare damnum longè minus. Longè majus potest esse etiam damnum admodum grave in bonis fortunæ; quia bonum ordinis inferioris propter necessitatem, vel utilitatem suam sæpe censetur inter homines esse majoris æstimabilitatis, quàm bonum ordinis superioris. In hoc tamen casu teneris, si possis, laudare in aliis infamatum, ut, quoad potes, famam restituas, & ità alii faciliùs excusent delictum revelatum. Non teneris tamen petere veniam, seu condonationem; quia Justitia tantùm obligat ad reparationem damni, quod per condonationem non reparatur. Dixi: *Damnum longè majus*; quia, si tantùm deberes subire æquale, vel paulò solùm majus, non excusareris: æquum enim est, ut nocens potiùs, quàm innocens in pari, aut fere pari conditione patiatur.

426. *2. Justa dein criminis publicatio.* 2. Excusat subsequens justa criminis publicitas: tum enim justè per alias causas infamia conservatur, nec tolli potest: sicut ergo tunc crimen potest aliis manifestari: sic non impediri ulterior infamia. Aliud esset, si crimen postea

postea injustè apud eosdem per alium revelaretur: neque enim excusaris à restitutione, quòd alter injustè damnum augeat, conservet, vel inferat. Si tamen prævideres, te revocando nihil effecturum, nec spem esse, ut tua revocatio aliquando prosit, ad eam non tenereris, nisi laudando in aliis prodesse posses. *Nec juvat*, quòd alter per publicationem amiserit jus ad famam: nam amisit per injuriam à te factam; ergo, quantum in te est, teneris curare, ut famam recipiat.

3. Excusat facta jam aliis modis famæ redintegratio, uti infamati purgatione Canonicâ, probitate vitæ, prudentum testimonio, sententia Judicis innocentem declarantis: hoc casu tamen damnum temporale ex infamia fortè secutum, & expensæ factæ pro recuperatione famæ sunt compensandæ. 427. *3. Recuperatio famæ aliunde.*

4. Excusat prudens judicium, sinistram opinionem jam diu per oblivionem delatam esse: sicut enim non est obligatio restituendi famam, si audientes primùm dicenti non crediderint; ità nec, si per oblivionem prudenter judicetur infamia cessare: ad quod judicandum magna prudentia opus est, ne nimis facilè credatur infamia delata, nec nimis facilè judicetur adhuc vigere, ne jam deleta renovetur. Servit hìc, ut quisque consideret, quid sibi vellet in talibus circumstantiis fieri; & quamvis judicetur infamia deleta, adhuc laudandus & honorandus est infamatus: sic enim securitati consulitur, modò sic fiat, ut non detur occasio renovandi labis memoriam. 428. *4. Cessatio infamiæ per oblivionem.*

5. Excusat condonatio infamiæ sponte, & sine præjudicio juris alieni facta ab infamato; quia hic est dominus suæ famæ, potestque ejus læsionem remittere: sufficit autem remissio ta- 429. *5. Condonatio.*

cita, vel prudenter præſumpta ex hoc, quòd prudenter credatur remiſſurus, ſi rogaretur, aut malit rem diſſimulari, quàm renovari ejus memoriam. Dixi: *Sine præjudicio &c.* Nam non excuſat condonatio, ſi infamia cedat in familiam, ſtatum, ordinem &c. utì nec, ſi filiis ſit damnoſa in bonis acceptis â majoribus, aut per propria merita acquiſitis: tum enim condonatio eſt illicita, & invalida; quia infamatus non habet poteſtatem renuntiandi juri illi. Non eſſet tamen invalida, ſi alios tantùm impediret à bonis non debitis ex Juſtitia: utì, ſi pater, condonando infamiam, fieret impotens alendis prolibus; hæc tamen repugnaret pietati.

430. *Recuperatio æqualis infamationis recuſata.* 6. Excuſat reciprocæ infamationis æqualis recuſata reſtitutio: utì, ſi alius te infamavit, æqualem tibi labem aſpergendo, & nolit reſtituere: licèt enim malè ageres, ſi infamatus ab alio eum infamares, quando infamatio non eſt neceſſaria ad recuperationem famæ tuæ; cùm non liceat reddere malum pro malo: attamen, ſi infamantem te infamâſti, & is nolit reddere, juſtè negas reſtitutionem famæ, donec tibi tuam redintegret, modò jura ſint paria; tunc enim alter non poteſt eſſe rationabiliter invitus: etſi enim negatio reſtitutionis damnum non reparet, conſervas tamen famam, quam amiſſurus eſſes per revocationem; & negationem reſtitutionis juſtè adhibes tanquam medium ad cogendum alterum ad famæ tuæ reparationem: ſicut, ſi alius tibi furatus eſſet equum, juſtè non ſolveres ei debitum æquale, donec tibi reſtituat equum, majus tamen non poſſes retinere ſaltem perpetuò.

QUÆS-

QUÆSTIO XI.

An, & quomodo honor, per contumeliam læsus, sit restituendus?

Resp. Qui injustè alterius honorem læsit, tenetur, per se loquendo, ad ejus restitutionem integram, eamque faciendam exhibitione alicujus honoris; non tamen semper petitione veniæ. Quodsi simul etiam in alio genere boni damnum intulit, tenetur & hoc reparare. *Ratio 1mæ partis est*; quia per contumeliam læditur, & minuitur in æstimatione hominum alterius dignitas, isque vilior in opinione eorum redditur; adeoque fit vera injuria, quam justitia exigit reparari. *Ratio 2dæ partis*, quia contumeliam inferens ad nihil aliud tenetur ex justitia, quam ad reductionem integram æqualitatis ablatæ: quod fieri potest per exhibitionem honoris, proportionatam dehonorationi, quâ placari potest animus inhonorati; quia rationabiliter non potest plus exigere, quàm æquale. *Ratio 3tiæ partis est*: quia illius damni injusta causa est: unde si quis viro multùm honorato, spectantibus aliis, injustè infligat alapam, debet illi honorem integrare, ùt qui non parum apud alios communiter læditur: si vulnus simul inflixit, debet pro eo sanando impensas refundere &c.

431. *Obligatio ad reparationem integrâ exhibitione honoris.*

Dixi 1. *Ad restitutionem integram*: aliàs enim non satisfit justitiæ; unde debet satisfactio esse talis, ut, spectatis omnibus circumstantiis personæ lædentis, & læsæ dignitate, injuriæ gravitate, &c. sufficiat ad honorem plenè reparandum. Hinc, si coram aliis Pe-

trum contumeliâ affeceris, teneris coram iis honorem reparare, nec sufficit semper, si etiam publicè cum signis doloris humiliter petas veniam; sed quandoque erit necessaria major humilitas, v. g. genuflexio: si enim rusticus Principi, vel Nobili publicè alapam impegisset; nemo dicet eum satisfacturum petendo veniam. Si, nemine præsente, alicui contumeliam, aut alapam impegeris, non est satis desistere; sed teneris vel petere veniam, vel testificari, te rursus habere æstimationem ejus, vel tali modo te gerere, ut injuriam censearis non amplius continuare, sed reparare: per injuriam enim illi creâsti afflictionem, quàm ex justitia teneris tollere; quod non facis, nisi ponas satisfactionem.

Dixi 2. *Per se loquendo*: quia potest esse causa excusans, uti dictum de restitutione famæ. Quodsi inhonoratus vindictam sumpsit ab inhonorante, v. g. si hunc percussisset, vulnerâsset &c. plerumque non requiritur ulterior satisfactio pro honore; quia pro hac videtur acceptare vindictam, & alter non resistendo videtur testari suam culpam, & æstimationem de altero. Si tamen ad alios dimanâsset infamatio quibus de vindicta non constaret, deberetur alia apud illos reparatio.

Dixi 3. *Faciendam exhitione honoris*: id est, positione signi externi, quo testetur internam suam de alterius dignitate, & prærogativa, præ quibusdam saltem aliis æstimationem, eamque conjunctam cum aliqua sua submissione, & reverentia, sicut antè posuerat signum suæ æstimationis de vilitate, vel contemptu; sic enim justè rependitur, quod antè injustè abla-

ablatum fuit. Talia signa possunt esse honorifica salutatio, ac compellatio, invitatio ad mensam, concessio loci honorifici, significatio doloris de sua culpa, petitio veniæ, aliaque signa erga offensum. Superiores tamen rarò tenentur à subditis veniam petere, ne, dum nimia servatur humilitas, regendi frangatur authoritas, inquit S. Aug. Epist. 109. sed contumeliam, ostendendo majorem benevolentiam, peculiarem honorem, ac favorem, tollere possunt. Subditus verò si superiorem contumeliâ affecit, aut debitum honorem cum diminutione authoritatis negârit, tenetur ex justitia ad aliam satisfactionem, quæ prudentum judicio sufficiat: ùt si transeunte Prælato non aperiat caput, aliis id facientibus: tunc enim censetur eum contemnere, & contumeliâ afficere.

Petes, quæ propositiones in hac materia sint damnatæ? 432. *Propositiones damnatæ.*

Resp. Hæ duæ sunt ab Innoc. XI. damnatæ, prima quæ ordine inter damnatas est 43. sic habet: *Quid ni nisi veniale sit detrahentis authoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?* Altera 44. hæc est: *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alteri, ut suam justitiam ac honorem defendat; & si hoc non est probabile; vix erit opinio probabilis in Theologia.* Hæ propositiones falsæ sunt primò: nam sive id fiat in judicio, sive extra illud; læditur jus proximi in materia gravi ad famam; Neque enim impositio falsi criminis est justa defensio; sed vindicta; quia non est medium certò efficax, & unicum ad sui defensionem necessarium. Non certò efficax; quia potes in probatione defi-

deficere, & adversarius per veros testes, aliaque indicia dictis tuis fidem elidere. Non necessarium: quia sunt aliæ viæ te defendendi; imò si esset in aliquo casu medium necessarium, attamen, quia licentia illa sine culpa mortali vergeret in perniciem Reipublicæ, dum facilè sibi persuaderent homines, quòd non possint hìc & nunc se aliter defendere, adeoque passim imponerent aliis falsa crimina in suî defensionem; hinc necesse est id universim sub gravi prohiberi. Dein si hoc fiat in judicio, agitur contra justitiam legalem, & publicam in re gravi; quia Judex induceretur ad puniendum innocentem, & testes ad perjurium; sicque læderetur Jus Reipublicæ, quod habet ad rectam gubernationem per judicia.

Nec juvat, quòd non peccet graviter, qui mendacio, vel dolo, promissis vel minis injustum vitæ aggressorem decipit, & occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ: nam occisio potest esse efficax & necessarium medium ad se defendendum, adeoque justa defensio, nec ex illa licentia imminent mala, quæ ex priore, nec læditur Jus Reipublicæ. Vide Analys. N. 136.

CAPUT IX.

De injuriis in bonis fortunæ per furtum, & rapinam, ortaque inde obligatione restituendi.

* * *

QUÆS-

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Furtum, & Rapina?

Resp. 1mò. Furtum est injusta, & occulta rei alienæ ablatio, seu acceptio. Dicitur 1. *Ablatio* : Per quod furtum distinguitur à pura damnificatione injusta v. g. incensione domûs, quæ propriè furtum non est. Dicitur 2. *Rei*; nempè externæ, seu mobilis, seu immobilis : utì si partem agri alieni trahas in tuum, furtum committis, utì & si mancipium abducas. Dicitur 3. *Alienæ* ; sive jam sit sub alterius Dominio, sive sub legitima tantùm detentione, Furtum enim committere potes, non tantùm Domino rationabiliter invito rem suam auferendo ; sed etiam auferendo rem pignori datam, vel depositam, aut commodatam ante præfixum tempus subducendo. Dicitur 4. *Injusta ablatio* ; nam, si adsit consensus Domini, vel detentoris justi, etiam prudenter solùm præsumptus, aut non possit Dominus esse rationabiliter invitus, furtum non erit secundùm dicta de legibus N. 195. Dicitur 5. *Ablatio occulta* ; id est, quæ fit sine vi, dolo, etsi fortè Domino vidente, vel præsente fiat. Esse autem furtum peccatum contra justitiam ex suo genere mortale extra dubium est, & ejusdem speciei moralis ; quia læsivum juris alieni in eodem genere boni in æstimatione morali. Imò nec specie differt à pura damnificatione injusta propter eandem rationem : quòd enim res destructa non possit in individuo restitui, speciem non mutat. Potest tamen aliunde acce- 433. *Definitio.*

cede-

cedere species sacrilegii, vel rapinæ furto simplici. Unde

434. *Divisio.* Resp. 2. Furtum aliud est simplex, quod solius furti rationem habet, & nomen; aliud violentum, & dicitur rapina, quæ est injusta rei alienæ ablatio, cum vi facta Domino, vel justo detentori. Per vim intelligitur non tantùm violentia absolutè, & strictè dicta, quæ fit cum impetu in personam omninò invitam, & renitentem; sed etiam violentia secundùm quid, quæ fit, quando aliquid per metum injustum extorquetur: unde rapinam committit, qui alteri renitenti rem suam, vel à se legitimè detentam, per vim aufert, vel per metum gravem, injustè incussum, adigit ad extradendam. V. g. Si latro minetur mortem, nisi extradas pecuniam; si Princeps minetur exilium, vel carcerem, nisi solvas injusta tributa. Econtra rapina non est, si quis nocte effringat ostium, & nemine præsente, aut renitente, rem subducat: hinc rapina differt specie à simplice furto: Fur enim tantùm bona involat; raptor autem simul personam saltem inchoativè aggreditur.

2. Furtum aliud est sacrilegum, quo aufertur res sacra, vel non sacra de loco sacro pertinens aliquo modo ad locum sacrum: ùt, si quis ex templo, vel alio loco profano furetur, reliquias sacras, etsi solius devotionis causa, vel ex templo supellectilem argenteam, vel tapetem Ecclesiæ pro aliqua celebritate sic commodatum, ut ipsa pro eo respondere debeat. Quodsi res sacra nullo modo ad Ecclesiam pertineat, jam illam auferre ex loco sacro probabiliùs sacrilegium non erit: ùt, si quis in templo alteri crumenam exsecet, aut emungat,

gat; vel si quis ex sacristia pertinentem ad Parochum togam, vel ejus superpellicium auferat. Idem dicunt aliqui de furto rei in Ecclesia depositæ, dum pro ea Ecclesiæ non est respondendum: sed hoc alii non admittunt, putantes per tale furtum non sine sacrilegio Ecclesiæ immunitatem violari.

3. Furtum aliud est manifestum, in quo fur præsente adhuc insecutione, vel inclamatione deprehenditur cum re furtiva eo die, quo furatus est, antequam rem detulerit, eò quò deferre, vel ubi manere cum ea constituerat.

4. Aliud est qualificatum, quod in Jure speciale nomen habet, & specialibus pœnis punitur, estque triplex: nempè 1. plagium seu plagiatus, quo homo liber invitus dolosè intercipitur, supprimitur, venditur, emitur. 2. Peculatus, quo res vel bona publica, ad Fiscum vel Principem pertinentia, injustè subducuntur. 3. Abigeatus, quo ex grege plura pecora simul, vel successivè abiguntur, aut etiam unum, si magnum sit, utì bos, equus, nisi ex stabulo abstrahatur. De his videri potest Haun. N. 259.

5. Furtum aliud est nocturnum, quod fit in tenebris, ità ut fur agnosci non possit. Hunc occidi permittunt leges, non tamen sine clamore, id testificante, modò ei sine periculo parci non possit. Aliud diurnum, quòd fit in luce, ità ut fur dignosci possit. Denique furtum aliud est grave, aliud leve: irrationabile enim esset, ob furtum rei levissimæ damnare hominem peccati mortalis.

Dices: In materia furti non videtur dari materiæ parvitas; ergo malè dividitur in grave, & leve. Antec. probatur: nam Gratianus in *Parvitas materiæ in furto.*

negativa ex decreto Gratiani. in *Decreto* non quidem *Causa* 14. *q.* 4. *post Can.* 3. uti citatus fuit in Thesibus Anno 1749. die 19. Sept. Sed *Causa* 24. *q.* 4. *post Can.* 3. ait: *Furtum non tam in quantitate rei, quam in affectu furantis consideratur.* Et *Canon.* 4. immediatè subsequens ità incipit: *Fur autem non solùm in majoribus, sed etiam minoribus judicatur: non enim id, quod furto ablatum est; sed mens furantis attenditur.* R. N. ant. cujus probatio nihil evincit: nam imò, quæ Gratianus in Decreto ex sua opinione addit, authoritatem non habent, nisi privati Authoris, quæ si repugnent sententiæ omnium communi, probabilitatem non habent, nisi nitantur ratione solidâ, aliis antè non cognita. 2. Canones loquuntur de iis, qui assueti furtis publicis in voluntate sunt habituali furandi. Tertius enim ità incipit: *Hi, qui in furtis publicis implicati, à nobis non videantur injustè defendi.* Convenit autem inter Theologos, quòd, qui minuta furantur cum intentione furta frequentandi, singulis vicibus graviter peccent. Et in his non tam quantitas, quam in præsenti auferunt, quàm affectus attenditur, non tantùm in foro interno; sed etiam in externo, in quo furta parva frequentata graviter quandoque plectuntur. Verùm ex his perperam concluditur, affectum furantis esse eundem universim, sive parum, sive multum auferatur; in furto tam parum dari materiæ parvitatem, quàm in materia venerea, ùt memoratæ Theses asserebant. Clarum enim est eundem non esse furantis affectum, si sine intentione plura furandi quid leve auferatur, qui est, quando quid magnum aufertur. Item grave peccatum non esse furari quid leve sine tali intentione, sicut est furari quid valde notabile.

His

His Theſes ſubjicio.

Ima. Furtum non tam in quantitate rei, quàm ex affectu furantis judicatur.

II. Affectus furantis idem, ſive multum, ſive parum auferatur.

III. Hinc in furto tam parum datur parvitas materiæ, ac in re venerea.

QUÆSTIO II.

Quæ quantitas materiæ ſufficiat, & requiratur ad furtum grave, inducendamque obligationem gravem reſtituendi?

Reſp. 1. Illa quantitas materiæ ſufficit, & requiritur ad furtum grave, per conſequens ad inducendam obligationem gravem reſtituendi, cujus injuſta ablatio, vel detentio, ſpectatâ communi hominum complexione, de ſe eſt alienativa abſolutè animi hominis damnificari à damnificante; illa vera non ſufficit, ſed levis eſt, quæ talis non eſt. Ratio conſtat ex dictis N. 294. 435. *Quanta ex ſe apta eſt diſſolvere amicitiã.*

Dixi 1mò. *Spectatâ communi hominum complexione*: quia Juſtitia, utpote indiſcriminatim intendens æqualitatem, omnibus conſulit, manſuetis, iracundis, malis, & bonis æqualiter; ideoque attendit ad id, quod plerumque contingit, & ad effectum, quem injuria apta de ſe eſt cauſare ex ſuppoſitione, quòd damnificatus ſit antecedenter conſtitutus in debito temperamento indolis, & morum, non verò ad accidentalem cujuſque diſpoſitionem: neque ad affectum, qui hìc & nunc oritur in animo damnificati: ſequitur enim Juſtitia ductum rationis, & dictamen prudentiæ.

Dixi 2. *De se alienativa*, seu nata alienare absolutè animum, vel quia graviter nocet; vel quia, utpote multum alliciens, conjuncta est cum morali periculo similis damnificationis, de se non levis, frequentandæ. In idem recidit, si dicatur materia gravis furti, quæ, si auferatur, & detineatur, Dominus meritò est graviter invitus.

At verò, quæ hic & nunc talis sit, non est facile determinare. Hinc Doctores in diversas abeunt sententias. Aliqui cum Esparsa, & Dicast, statuunt eandem quantitatem respectu omnium: alii respectivè diversam; quam nempe auferendo ab uno peccatur graviter; non verò auferendo ab alio, v. g. valde divite. Molina censet respectu hominum, non habentium pingues facultates, ad grave furtum sufficere, quod ordinariè datur operario pro labore unius diei; quia, si hic illâ mercede fraudetur, admodum ægrè fert, & computat inter damna non levia. Sed hæc regula non est satis clara pro omnibus; cùm merces sit diversa pro varietate opificum, regionum, ac laborum. Haun. & Illsung statuunt pro gravi quantitate id, quod necessarium est sustentationi hominis plebeji uno die. Verùm homo valde dives non videtur rationabiliter esse graviter invitus, si tantundem illi auferatur: Plebejus enim uno die solido, seu octavâ parte imperialis vivere potest. Navarr. pro materia gravi statuit medium solidum, Valentia tres, Marchantius 4. per solidum intelligitur 8va pars imperialis, estque ferè idem quod Italis Julius, Hispanis Regalis. Denique alii cum La Croix L. 3. P. 1. N. 984. pro materia gravi statuunt id, quod sufficit ad sustentationem hominis damnificati per unum diem, cum quibus.

Resp.

Resp. 2. Illa quantitas nata est alienare absolutè animum damnificati à damnificante, & materia gravis furti, quæ ad damnificati solius sustentationem pro uno die sufficit. Per sustentationem intellige id, quo is ad victum, amictum, & habitationem pro sola sua persona indiget, adeoque statuenda est quantitas non absoluta, sed respectiva. 436. *Quantitas furti respectivè est mensuranda*

Ratio 1mæ partis est; quia, cui tantundem injustè aufertur, vel detinetur, meritò est graviter invitus; re enim privari, sufficiente ad sustentationem unius diei, est damnum grave; sicut damnum grave censeretur, uno die privari victu, amictu, & habitatione.

Ratio 2dæ partis, quam tenent Lugo, Plat. Gormaz, La Croix, aliique communiùs, est 1mò: quia non eadem quantitas respectu omnium est apta de se absolute alienare animum damnificati à damnificante: nam quæ talis est respectu pauperis, non est sufficiens respectu valde divitis: si enim hic propter unum, alterumve solidum absolutè alienaret animum: valde contristaretur, dissolveret amicitiam, non secùs ac pauper, & vulgaris; juxta omnes ageret id sine sufficiente causa. 2. Quantitas furti mensuranda est secundùm quantitatem damni illati: atqui non est damnum, quod diviti infertur per ablationem solidi æquale damno, quod infertur pauperi per solidi ablationem: solidus enim est pauperi æstimabilior, quàm diviti, ejusque amissione plùs gravatur. In quem sensum Christus Dominus dixit Marci 12. quòd vidua, quæ in gazophylacium duo minuta, id est, quadrantem miserat, plus omnibus divitibus, qui miserunt multa, miserit; quia nimirum quadrans erat ei æstimabilior propter indigentiam. Cujus

ratio à priori est ; quia æstimabilitas rei temporalis, v. g. pecuniæ, non à sola conducentia ad usum humanum, sed simul à necessitate, indigentia, & utilitate ejus, cui aufertur, petenda est : solidus autem est magis necessarius, & utilis pauperi, quàm diviti ; quia illi sufficit ad congruam sustentationem, & ejus amissione fit miserior, quàm dives. Amissione unius gallinæ plus pauper gravatur, quàm multùm dives graverur in mille Marcis, inquit S. Thom. *Opusc. de erudiendis pauperibus L. 7. C. 8.* 3. Ex communi sententia injuria in fama non est absolutè ponenda, sed respectivè ad personam, cui infertur ; fierique potest, ut crimen objectum uni, vel de uno dictum sit materia gravis, & dictum de altero sit materia levis, & contrà : quia nempe uni grave, alteri leve tantùm damnum fit in honore, vel fama ; ergo similiter de furto dicendum est, cum hoc solùm discrimine, quòd detractio eò sit gravior, quo persona, cui detrahitur, est in fama illustrior ; quia majus damnum ei infertur, si dicas, v. g. esse mendacem, quàm si de plebejo id dicas.

Opposita solvuntur. *Dices 1mo.* Solidus pauperis in communi æstimatione non plùs valet, quàm solidus divitis ; ergo quantitas materiæ furti est pensanda absolutè. R. Transeat antecedens. N. Conseq. quantitas furti, & injuriæ non desumitur à solo valore in æstimatione communi absoluto, sed simul à valore relativo ad personam, cui res aufertur, in ordine ad quam solidus pauperi ob necessitatem majorem plùs valet, quàm valeat aliis. Ex quo non sequitur, quòd dives, permutans cum paupere aureum, ipsi injuriam faciat, quia tradit pauperi aureum tam ipsi pretiosum, quàm sit is, quem ab eo accipit. *Si dicas*

Jus, quod habet dives ad solidum suum, est tantum, quantum est Jus, quod habet pauper ad suum. R. Jus materialiter spectatum est æquè magnum, C. formaliter spectatum N. Quantitas Juris enim materialis pensatur per respectum ad rem secundùm se; quantitas autem formalis secundum necessitatem, & utilitatem, ad quam ordinatur. Sic, dans pauperi imperialem, censeris plus dare, quàm si dares diviti; quia is pauperi utilior est. Si modius frumenti tui hoc mense valeat medio floreno, & mense sequenti floreno integro, idem Jus materialiter sequenti mense habes, sed majus formaliter; quia modius tunc utilior est, fieretque tibi major injuria, si auferretur. *Si dicas iterum*: Conditio pauperis est furto extrinseca; ergo non auget materiam furti. R. est furto materialiter considerato extrinseca, C. formaliter spectato N. quia facit, ut injuria sit major, cùm reddat pauperem miserabiliorem ablatio solidi, quàm redderet divitem.

Dices 3. Quòd respectu divitis quandoque requiratur major quantitas ad mortale furtum, per accidens est; quia ditior faciliùs præsumitur jure suo cedere, quàm minùs dives; voluntas autem præsumpta excusat à furto, saltem gravi; ergo per se, & spectatâ naturâ rei eadem respectu omnium quantitas est statuenda. R. N. antecedens: nam, suppositâ dispari conditione divitis, & pauperis, fundatur in natura rei; seu recta ratio dictat, quòd non æquè dives possit esse rationabiliter graviter invitus, quàm pauper ob solidi ablationem. *Si dicas*: si non est eadem quantitas respectu omnium, divites erunt deterioris conditionis, quàm

quàm pauperes ; quia erunt magis expositi furtis: R. N. seq. Conditio divitum melior est, quam non mutarent cum conditione pauperum : æquè proteguntur à justitia, ut iis non inferatur damnum grave, ac pauperes; sique furta iterentur, fit materia gravis : an ideo erunt securiores à furtis, si per accidens est, eos non posse esse æquè invitos graviter, ac pauperes?

Dices 3. Si gravitas furti simul metienda sit ex circumstantia personæ damnificatæ, nunquam determinari quantitas poterit; quia pendet à circumstantiis ignotis : quis enim scit, an hic vel ille sit dives, liberalis, an tenax, benè, an malè dispositus ? R. 1. Idem valet, si dicatur per accidens esse, quòd plus requiratur ad grave furtum respectu divitis. R. 2. N. seq. nam, nisi aliud constet, tales esse homines, censendi sunt communiter, spectatâ complexione, & educatione communi secundum rationem ætatis, conditionis, sexûs, regionis. Quoad statum divitis, & pauperis talis quisque, nisi aliud constet, habendus, qualem se externè præfert : si fur in hoc erret, per accidens est.

437. *Quantitas respectiva determinatur relatè ad diversos* Resp. 3. Pro hisce regionibus nostris, & loquendo de personis extraneis, quantitas respectivè gravis probabiliter sic statuitur. 1. Respectu planè pauperis, vel mendici, per se loquendo, ad furtum grave sufficit unus solidus ablatus. 2. Respectu hominis vulgaris, v. g. civis tenuioris, aut rustici duo solidi. 3. Respectu paulò amplioris tres. 4. Respectu moderati divitis quatuor, seu medius imperialis noster. 5. Respectu valde divitis unus imperialis. 6. Respectu opulentissimi Regis duo ducati, respectu inferioris Principis unus.

Ratio

Ratio est; quia hoc videtur sufficere, & requiri respectu illorum ad sustentationem personæ talis pro uno die, quoad victum, vestitum, habitationem secundùm modum vivendi communem, & mediocrem, quem servant hujusmodi conditionis homines; tum quia, servatâ illâ proportione, videtur omnibus illis rationabilis causa præberi gravis indignationis; tum quia hæc sententia neque est nimis rigida, neque nimis laxa, sed inter authores diffidentes mediâ incedit viâ, quod in ejusmodi rebus incertis solet esse tutissimum.

Dixi 1. *Pro nostris hisce regionibus*: attento nempe pecuniæ valore, qualis in his solet esse communiter: si enim is alibi est valde diversus, cum dicta proportione loquendum est secundùm valorem ibi existentem.

Dixi 2. *Loquendo de personis extraneis*, nam circa domesticas, v. g. conjuges, filios, & filias-familias, circa propinquos familiares, circa famulos, & famulas A. A. passim liberaliores esse solent saltem in quibusdam, putatque Platelius hìc N. 764. requiri in filiis quantitatem ordinariè duplo majorem, ut res ablata furtum mortale constituat. Sed videtur in his plurimùm attendendum ad facultates, liberalitatem, indulgentiam, ac voluntatem magìs aut minùs pro ratione rerum invitam dominorum, quæ circumstantiæ, quia non sunt eædem in omnibus; hinc videtur fieri subinde posse, ut quantitas, ad grave furtum requisita, debeat triplo, vel quadruplo esse major, quàm ordinaria, & contrà minor subinde, quàm duplo major, prout nempe circumstantiæ prædictæ, ex quibus res illa plurimùm dependet, sunt diversæ. Videtur etiam ad grave

furtum ordinariè plus requiri in conjugibus, quàm in filiis, & in his plus, quàm aliis propinquis, & familiaribus, & in his iterum plus, quàm in famulis, & famulabus, idque propter arctiorem conjunctionem. In religioso sufficere potest minor, quàm in filiis ob votum paupertatis, & professionem majoris perfectionis, communemque disciplinam religiosam. Quæ bona ad filios, & uxores pertineant, vel non pertineant, adeoque, quæ auferendo, aut consumendo, distrahendo furtum committant, constat ex dictis à N. 40. & 46.

Solvuntur opposita. *Dices 1mò.* Duplex ducatus non videtur sufficere sustentationi Regis pro uno die, esseque irrationabile, si Rex amissione ejus sineret se moveri ad gravem indignationem, & alienationem animi omnímodam; ergo. R. N. antec. nam sermo est de solius personæ Regiæ sustentatione, ad quam, seclusa pompa aulica, sufficit illa quantitas, ùt constat experientia: nam datur œconomo ejusmodi pro singulis accumbentibus ducatus, & tamen inde adhuc habet lucrum. Est quoque Rex meritò graviter invitus, si ei auferatur duplex ducatus; quia meritò est graviter invitus, si ei auferatur unius diei sustentatio. Reges enim sustinere debent majora onera, frequentiora damna, & pericula. Imò sunt sæpè respectivè pauperiores, quàm aliqui cives, cùm sæpè in magnis sint debitis: hinc multi A. A. ponunt unum ducatum etiam respectu Regum: loquuntur enim de non ditissimis, ut nunc communiter non sunt. Quod etiam valet de aliis, licèt multa possideant. *Nec juvat*, quòd Rex nihilominus aliunde habeat; quo vivat; quia, quæ

quæ aliunde habet, jam considerata sunt tanquam constituentia divitem, à quo ideo possit citra mortale plus, quàm à paupere, vel minùs divite eripi; adeoque antecedenter positum est, acsi præter illa aliud non haberet. Unde facultas illa aliunde habendi sustentationem non debet iterum adduci in considerationem pro extenuanda gravitate illius injuriæ. Et idem est, si moderatè diviti eripiatur medius imperialis.

Inst. 1mò. Opulentia Regis longè magis superat opulentiam civis, quàm duplex ducatus superet medium imperialem: ergo quantitas gravis non est cum proportione assignata. R. Transeat antec. N. conseq. Satis est, quòd inter bona sit proportio geometrica, & deficiens; hæc autem habetur, si considerentur onera, pericula, damna Regum.

Inst 2. Videtur nimis laxum dicere, quòd quis possit furari ditissimo Regi sine mortali ultra tres imperiales; quia etiam licentia illa multum alliceret homines ad furta multiplicanda; & ideo fornicatio, pollutio, fractio sigilli pro omni casu est prohibita. Respondent Layman L. 3. Tr. 3. P. 1. N. 3. Sporer, aliique gravissimi A. A. teste La Croix N. 999. negando assumptum. Nec ratio contrarium evincit: nam si sine peccato mortali possit quis furari unum, aut duos imperiales, etiam allicit, etsi paulò minùs, nec tamen hoc dicere censetur nimis laxum. Et ratio est; quia non est periculum proximum, & per se tale repetendi talia furta: tum quia, si repetantur, devenitur ad peccatum mortale: tum quia est obligatio restituendi saltem sub veniali, nec deest periculum gravis pœnæ subeundæ, si

deprehendatur furtum commissum. Hæc retrahunt à furtis multiplicandis. Aliud est de fornicatione, & pollutione, ubi non est simile retrahens.

Dices 2. Si materia gravis furti v.g. respectu nobilis, valde divitis, sit unus imperialis; ergo qui tali furaretur imperialem minùs obolo, non peccaret mortaliter. Consequens non potest dici; quia peccatum mortale differt notabiliter, imò specie à veniali, consequenter, & materia debet differre notabiliter: differentia autem imperialis ab imperiali minùs obolo non est notabilis. Resp. Hoc argumentum debent omnes solvere, sive eandem quantitatem statuant respectu omnium, sive diversam; est autem duplex responsio. Haun Tr. 2. Cap. 5. N. 330. Gormaz hìc N. 722. Cardenas in Crisi 1. D. 27. C. 3. & Crisi 2. D. 23. N. 110. concedunt sequelam Majoris, putantes, has quantitates statuendas esse in indivisibili, dicuntque, imperialem ab imperiali minùs obolo non differre notabiliter in entitate & materialiter; differre autem notabiliter quoad vim ultimò completivam materiæ gravis, inductivamque magni effectûs; sicut calor ùt septem, & calor ùt octo: pondus navim opprimens ob additionem guttæ, pondus deprimens bilancem per additionem unciæ non differt notabiliter ab alio, unciâ minore, materialiter, & entitativè; differt tamen notabiliter quoad magnum effectum inducendum. Ità hìc. Alii summas illas considerant moraliter, ità ut, si valde diviti subduxeris circiter imperialem, censearis peccâsse mortaliter; sin autem minus, tantùm venialiter; quia dominus censetur æquè invitus, sive unus obolus plus

plus, sive unus, aut alter minùs auferatur, quod non tenet, si desit pars notabilis v, g. una ternia. Sed, quidquid dicatur, tandem devenienedum erit ad abolum, qui compleat partem notabilem: nam si dicas cum aliquibus, peccari mortaliter, si eripiatur imperialis minùs tantùm sex nummis, quorum 30. faciant solidum; non verò, si eriperetur minùs 24. nummis; quia non censeretur ablatus imperialis moraliter spectatus, deveniri tandem debet ad nummum, quo non ablato, non sit amplius imperialis moraliter spectatus ablatus. Videri potest La Croix L. 3. P. 1. N. 1001.

Dices 3. Si solidus est materia gravis furti respectu pauperis, non verò respectu divitis; quia solidus est pauperi æstimabilior; ergo pauper furatus valde diviti medium imperialem, si eum amisit, non tenebitur restituere; quia pauper subiret damnum grave, cùm dives ille sit tantùm passus damnum leve: Justitia autem non obligat, ut quis cum damno suo gravi reparet damnum leve. Resp. 1. Argumentum iterum debent solvere omnes; nam fatentur, saltem per accidens, requiri plus ad peccatum grave, & obligationem gravem ex culpa, respectu divitis, quàm pauperis; sique argumentum valet, pauper nunquam tenebitur diviti restituere totum, quod abstulit etiam cum culpa mortali, si inde non sit factus ditior; quia pauperi erit gravius damnum, quàm diviti. Resp. 2. Neg. sequelam. Probat. disting. Justitia non obligat, ut inferens damnum, absolutè leve, subeat damnum ex parte objecti absolutè grave, C. ut inferens damnum leve, respectu damnificati, subeat damnum grave comparativè ad se damnifican-

cantem. N. nam id per accidens est, cumque pauper non possit aliter reducere æqualitatem, ad hoc tenetur. Ità La Croix L. 3. P. 2. N. 248. Item L. 3. P. 1. à N. 988. *Ex dictis colliges sequentia.*

438. *Corollaria.* 1. Non peccat mortaliter, qui rem alienam gravem aufert, cum animo statim v. g. intra quadrantem restituendi; utì nec, si intra breve tempus velit restituere, quantum requiritur, ut materia non amplius detineatur gravis; quia dominus non potest esse graviter invitus.

2. Qui furatur rem sacram, pretio temporali æstimabilem, v.g. calicem, gravitas furti determinanda est, sicut in re profana.

3. Si res sit adæquatè sacra, ùt v.g. Reliquiæ, consideranda est dignitas, & raritas: unde juxta Sanch. Castrop. mortale foret furari minimam particulam S. Crucis; veniale tantùm, tamen extra territorium Romanum, auferre de Corpore alicujus Sancti aliquid pulveris, capillum; aut simile quid, quod non deformet Reliquias, nec minuat earum æstimationem. In districtu Romano tamen prohibitum est sub pœna excommunicationis à Clemente VIII. & Paulo V. minimum quid auferre de Reliquiis, invito Ecclesiæ Præfecto. Prohibitio videtur facta ob aviditatem istius populi nimiam, quâ aliàs facilè gravia inferret damna. La Croix N. 1002.



QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quid tenendum sit de furtis minutis multiplicatis?

R. 1. Qui sæpius vel ab eodem, vel à diversis 439.
parum furatur, singulis vicibus cum intentio- *Furans*
ne magnam paulatim summam congregandi, *levia*
per singula illa furta peccat mortaliter; quia *cum in-*
toties habet voluntatem rem alienam gravem *tentione*
habendi, vel proximum graviter damnifican- *materia*
di; sique is modus furandi prohibitus non *gravis,*
esset sub mortali, plurimùm pateretur Resp. *peccat*
humana; ditescereque possent mercatores uten- *gravi-*
do mensurâ & stateris dolosis, quod repugnat *ter.*
juri naturæ & divino, dicente Scripturâ Prov. 11. *Statera dolosa abominatio est apud Deum.* Et Deut. 25. *Non habebis in sacculo diversa pondera, majus, & minus, abominatur eum Dominus, qui hæc facit*: unde talis fur, ubi ad magnam quantitatem venerit, tenetur sub mortali ad restitutionem, etiam ratione acceptionis injustæ.

Resp. 2. Qui sine intentione tandem ha- 440.
bendi magnam quantitatem sæpius furatur par- *Quid, si*
va, sive ab eodem, sive à diversis, singulis vi- *furetur*
cibus peccat venialiter tantùm, quamdiu nec- *exigua*
dum gravem quantitatem attigit: ubi verò hanc *sine tali*
attingit, illo furto postremo, siquidem advertat, *intenti-*
attingi quantitatem gravem, peccat mortaliter *one?*
contra Justitiam, teneturque ad restitutionem, etsi ex diversis singuli non damnificentur graviter. *Ratio 1mæ partis est*; quia, quando abest illa intentio, & materia gravis nondum attingitur, nec grave damnum proximo infertur,

fertur, nec adest voluntas id inferendi. *Ratio 2dæ partis est*; quia jam advertenter verè damnum grave injustè complet. Neque multum interest, an quis simul, an successivè exuatur bonis suis, cùm utroque modo illis carere cogatur. Quanquam ad mortale major requiritur quantitas, ut notat Less. quando quis minima furatur magnis temporum intervallis, & non ex industria, sed occasionaliter, quàm si brevi tempore, vel ex intentione multum habendi, aut simul eodem tempore furaretur; quia id domini minùs sentiunt, & minùs ægrè ferunt interpolatas levium furtorum occasionaliter factorum vices, ceduntque faciliùs jure suo, & obligationem restituendi faciliùs remittunt. *Ratio 3tiæ partis est*; quia, licèt singuli non patiantur grave damnum, quando à singulis materia tantùm levis aufertur; fur tamen vult habere rem gravem alienam, infertque damnum grave communitati graviter invitæ: lædit enim eam per aliquid grave, quod in membris suis patitur ipsa; quia dum membra aliqua suis spoliantur, alia magis gravantur: unde singuli de communitate sunt graviter inviti, ne hoc fiat; præsertim, cùm licentia illa furandi sine mortali peccato vergeret in gravissimum Reip. detrimentum, in qua desineret omnis industria, & fures, otio dediti, furtis minoribus se quotidie alerent. Itaque, ut graviter lædatur Justitia commutativa, non est necesse, ut uni determinatè inferatur damnum grave; sed satis est, quòd inferatur Reipublicæ, quæ est persona quædam politica, & moraliter una. Sic Princeps peccat graviter contra Justitiam commutativam, si sine justo titulo vectigal, vel gabel-

lam

lam parvam imponat, singulis solvendam per pontem, vel viam incessuris, ex qua exsurgat magna summa. Peccat similiter graviter mercator, qui longo tempore justo minoribus ulnis utitur, vel ponderibus, aut mensurâ, etsi singulis apud ipsum ementibus tantùm leve damnum inferret.

Dixi 1. *Siquidem advertat attingi quantitatem gravem*: si enim invincibiliter in postremo parvo furto non cogitaret de ea, vel omninò nesciret, parva illa in unum grave coalescere, jam per accidens excusaretur à mortali, ratione talis ignorantiæ, vel inadvertentiæ. Quòd tamen adhuc teneretur probabiliùs sub mortali ad restitutionem, habetur N. 326.

Dixi 2. *Ubi materiam gravem attingit*: ad quam, ubi à pluribus successivè pauca auferuntur, jam plus, jam minus ad mortale requiritur: nam quò plures sunt damnificati, eò plus requiritur; quia damnum, in plures divisum, censetur minus, ideoque domini minùs sunt inviti, ùt rectè Sanch. Less. & alii. Hinc Molina & alii requirunt saltem duplum. Putant Sanch. & Cardenas, si eripiatur ab illis, qui unam communitatem constituunt, ad materiam gravem semper sufficere unum aureum: sed probabiliter, si communitas sit magna, potest ulterius quandoque extendi, modò non excedat duos ducatos. Si singuli, à quibus parva auferuntur, non constituant unam communitatem, nec intendatur magna quantitas, censent Esparsa & La Croix, probabiliter vix peccari mortaliter; quia nullum damnum grave sentitur, neque singuli, aut omnes illi, qui invicem nullam communionem

nionem habent, videntur posse esse graviter inviti. Sed probabilius est oppositum ob rationes datas, & universitas generis humani debet esse invita. Communitatem autem hîc constituunt, qui simul debent ferre onera, ità ut, si unus minùs ferat, alter debeat plus ferre, sicque, quando uni nocetur, inchoativè noceatur & alteri. Putant aliqui, si pauca à diversis auferantur separatim, longo tempore interpolata, quòd non uniantur in unam materiam gravem, sic tenet Diana, si interpolentur per mensem, Sanch. & Dicast. si per annum separentur singula. Negant id alii, etsi per quatuor annos separentur; quia damnum posterius auget antecedens. Quanquam tunc plus requiratur ad materiam gravem v. g. dimidio, vel duplo plus. La Croix N. 1011. *Ex his deduco*

441. *Corollaria.* 1. Peccant graviter, per se loquendo, singulis vicibus, qui, etiamsi singulis parum defraudent proximos, injusto pondere, mensurâ, vel ulnâ vendunt; quia singulæ defraudationes fiunt ordinariè cum intentione habendi notabilem summam. Idem est de caupone, qui solet modicum aquæ vino commiscere; nisi id ex bonitate vini compensetur, secundùm dicta N. 220.

2. Qui per levia furta complet materiam gravem, etsi non possit restituere priora, peccat nihilominus graviter; quia non tantùm peccat graviter, qui, cùm potest, non vult restituere materiam gravem; sed etiam, qui damnum grave complet, & nisi hoc verum esset, pauper, & Religiosus, non potens restituere, furando successivè parva, nunquam peccaret graviter. Sic &, qui multas parvas partes

tes in Horis, vel Missa die festo omittit, aut ponit multa opera servilia, actu comedit in die Jejunii interruptim multa parva, peccat mortaliter complendo materiam gravem, etsi priora non possit infecta reddere.

3. Qui, postquam complevit materiam gravem, furatur quid leve, probabiliùs peccat singulis vicibus mortaliter, si advertat ad materiam gravem: tum quia habet voluntatem, saltem implicitam, augendi prius damnum grave, quòd constituunt posteriora, & augent cum prioribus, sicut parva priora constituebant materiam gravem, tum etiam, quia complet toties voluntatem habendi materiam gravem alienam. Hinc docet Dicast. quòd, qui, omittendo in Horis parva, pervenit ad materiam gravem, toties peccet mortaliter, quoties leve quid iterum omittit, nisi adsit voluntas priora repetendi. Sed hìc spectanda sunt simul, quæ requiruntur ad numericam peccatorum multiplicationem. Salas & Molina docent, ultimum parvum furtum esse tantùm veniale, aut eo tantùm aggravari priùs mortale, eò quòd non addatur notabile damnum, quæ sententia à Bonacina vocatur valde probabilis, videturque vera, si furtum subsequens procedat à priore voluntate, moraliter non interruptâ.

4. Qui, dum furatur quid leve, quod materiam gravem compleret, habet animum statim priora restituendi, vel hoc ultimum; excusatur à mortali, dummodo seriò velit: quod non vult, qui scit, se non posse restituere.

5. Qui aufert quid exiguum, domino valde charum, v.g. florem rarum, & singularem, primos fructus ex arbore, à domino destina-

tos ad honorandum Principem, & ideo valde charos, prævidirque, dominum graviter affligendum ex amiſſione, peccat graviter, non quidem contra Juſtitiam; niſi damnum aliud ſequatur, vel bonum impediatur; attamen contra charitatem. Idem eſt de eo, qui artifici auferret inſtrumentum, etſi levis pretii, ex cujus uſu viveret. Imò ſi ſic hic impediretur à victu, vel lucro acquirendo, peccaretur contra Juſtitiam graviter, non tam peccato furti, quàm injuſtæ damnificationis.

6. Filii peccant mortaliter, ſi notabile quid etiam ſucceſſivè ſubducant de parentum bonis abſque eorum conſenſu expreſſo, tacito, vel prudenter præſumpto, tenenturque reſtituere ex bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, ſi quæ habent, vel in diviſione hæreditatis cum fratribus computare in partem ſuæ legitimæ, niſi fortè tantundem & iſti ſubduxerint patri, vel hic condonaverit, vel ſaltem rationabiliter exiſtimatum fuerit, quòd fuiſſet condonaturus, ſi ſciviſſet. *Ratio eſt*; quia verè lædunt jus parentum, & fratres defraudant. Idem dicendum de famulantibus, ſi de bonis dominorum abſque conſenſu, ſaltem tacito, ſucceſſivè, vel ſimul notabile quid ſubducant. *Ratio eſt eadem.* Regulariter tamen in eſculentis & poculentis ordinariis, quæ ab ipſis famulantibus abſumuntur, requiritur major quantitas ad mortale reſpectu eorum, quàm reſpectu extraneorum; quin & in aliis reculis, quas indies contrectant; quia in iis Heri cenſentur minùs inviti. In ſtatuenda autem quantitate gravi conſiderandæ ſunt circumſtantiæ, qualitas materiæ acceptæ, an pecunia, an eſculenta, vel poculenta ordinaria,

& iis apponi solita, an extraordinaria; an in proprios, vel alienos usus; divesne sit dominus, an pauper; liberalis in suos, an parcus; an famulus sit charus, vel valde utilis, aut contrà. Considerari quoque potest, an præsumpta Domini voluntas non excuset à restitutione, & culpâ gravi. Quanquam rectè monet Molina, quòd fures domestici, famulus, uxor, filius sint obligandi ad restitutionem, vel petendam remissionem, etsi certò sibi persuadeant, rei dominum fore contentum, ut non restituant: sic enim absterrentur à repetendis furtis.

7. Famuli sartorum, & ipsi magistri regulariter peccant, etiam graviter, ubi materiam gravem attingunt, retinendo, vel vendendo panni fragmenta, quæ supersunt, dominis adhuc utilia: nam imprimis nulla adest ratio, famulos excusans: ordinariè enim accipiunt justam mercedem à suis magistris; aliàs passim non locarent ipsis suam operam pro ea: neque ordinariè spectant fragmenta illa ad ipsos magistros. Deinde certum non est, quòd magistri mercedem justam non accipiant, aut injuriam patiantur irreparabilem, & domini in his regionibus fragmenta sollicitè repetunt. Aliud esset, si alicubi consuetudo obtineret, ut minùs solvatur, & fragmenta sartoribus maneant; aut constaret, dominos opulentos non velle sibi fragmenta restitui.

442. *Si ex multis singuli inferant damnũ leve, & consurgat grave?*

Resp. 3. Si plures furta levia committant, non moventes se mutuò, probabilius non peccant graviter quid leve auferendo, etsi advertant, ab aliis jam esse ablata, aut auferenda, quæ simul grave damnum constituant, adeoque nec sub mortali tenentur ex Justitia ad restitutionem.

Ità Sanch. Lugo, & alii multi contra Suar. Vasq. & alios multos probabiliter docentes, à singulis peccari graviter, eò quòd scienter concurrant ad grave damnum, & in illud consentiant. *Ratio prioris est* 1. Quia singuli immediatè per se tantùm nocent in re levi; in nocumenta autem, ab aliis facta, non influunt, nec, ùt suppono, tenentur ex Justitia impedire, adeoque iis non imputantur. *Ratio est* 2. Si sententia opposita esset vera, sequeretur abyssus inextricabilis scrupulorum tam in Confessariis, quàm in pœnitentibus: nam quisquis alicui diviti furaretur minimum, meritò timere deberet se exponi periculo peccandi mortaliter; quia moraliter certum est, alios eidem multas similes injurias fecisse. Imò qui post vineam magnâ ex parte direptam, unicam uvam furaretur, peccaret mortaliter, longeque graviùs, quàm cæteri priores: jam enim in totum prius damnum censetur influere. V. La Croix L. 3. P. 1. N. 1010.

Dixi: *Non moventes se mutuò*: nam aliud est, si se consilio, suasione, &c. invicem moveant: tunc enim essent causa totalis totalitate effectûs. Secùs est in casu nostro.

Si dicas 1. Qui vulnerato addit leve vulnus, ex quo moritur, qui bene poto addit ultimum haustum, ex quo plenè inebriatur; qui alicui, multis levibus infamato, ab aliis, vel à se, addit labem levem, ex qua consurgit gravis infamia; peccat mortaliter: ergo similiter, qui damnificato ab aliis leviter, addit damnum leve, ex quo, prioribus juncto, consurgit damnum grave, peccat mortaliter. Resp. Conc. Antec. Neg. Consequentiam: nam mors, ebrietas, fama, simpliciter adhuc bona, infamia gravis consistit in indivisibili; mors quidem in privatione vitæ, ebrie-

ebrietas in privatione rationis, infamia in judicio indivisibili de gravi labe proximi. Hæc autem velut novus effectus gravis causantur per actus illos leves: ante hos enim adhuc erat vita, usus rationis, fama simpliciter bona. Econtra damnum grave in bonis fortunæ non consistit in indivisibili, & ultimum damnum leve inferens, non causat novum damnum grave; nec priora complet, cùm ab ipso non dependeant.

Si dicas 2. Si casu effusæ pecuniæ ex loculis mercatoris, colligerentur à multis, omnes peccarent mortaliter, etsi singuli levem summam auferrent. Idem est, si multi vineam diriperent; ergo à pari. Resp. Neg. Conseq. Singuli tacitè se animarent confidentiâ impunitatis ad diripiendam pecuniam. Sed id tantùm videtur verum, si duo vel plures se mutuò ad id moveant; non autem si alteri mera occasio ad furandum sit unus suo exemplo. Uti dictum N. 343.

Colliges. Si famulæ, vel famulo cura domûs, vel cellæ sit commissa, & videat alium famulum successivè parva furari, tenetur impedire, aut domino dicere; secùs peccat contra Justitiam, & tenebitur ad restitutionem etiam sub gravi, si grave damnum sit domino illatum. Si autem ei cura non sit specialiter commissa, tenebitur quidem ex charitate, si commodè possit, impedire, vel dominum monere, non tamen ex Justitia, uti tenent, teste La Croix L. 3. P. 2. N. 46. communiter omnes. At si extraneus furaretur; velut probabilius tenet La Croix cum Less, & Lug. quòd teneatur famulus restituere, etsi illi cura non sit specialiter commissa; quia videtur esse tacitus contractus, & de jure gentium, ut cuivis famulo res domini sint commissæ, contra injurias 445.

Quid, si famulus domino non manifestat furta domesticorum vel externorũ.

externorum. Negat id Molina, Bonac. & alii. Denique si dominus singulis famulis mandaret leve damnum inferre, ex quibus multiplicatis consurgeret grave; dominus peccaret graviter, & teneretur sub gravi ad restitutionem, etsi singuli famuli tantùm peccâssent leviter.

QUÆSTIO IV.

An, & quæ necessitas excuset à Furto?

444. *Sola extrema.* Resp. Nec necessitas communis, nec gravis, sed sola extrema, vel quasi extrema excusat à furto, id est: nec in communi, & vulgari, nec in gravi licet propriâ authoritate alienum quid usurpare, vel subducere sine consensu, saltem tacito, vel prudenter præsumpto domini; licet tamen ex bonis proximi, ad naturam ipsi simpliciter non necessariis, sibi providere de mediis saltem ordinariis ad extremam necessitatem sublevandam: est communis omnium, teste Cardenâ.

Ratio 1mæ partis est: quia licentia illa magnam in Remp. induceret confusionem: est enim necessitas communis, quâ laborant plerique pauperes publicè, vel occultè mendicantes, quæque importat defectum quidem aliquem in necessariis ad vitam & statum; non reddit tamen vitam nimis miseram & molestam juxta statum & conditionem patientis: in hac autem, si liceret aliena subducere, confunderentur omnia.

Ratio 2dæ partis est; quia necessitas gravis est, quando quis ex defectu necessariorum, est in periculo incidendi in magnam miseriam, quæ reddat vitam notabiliter

ter molestam, non tamen miserrimam, & morti æquivalenter acerbam; vel ex qua imminet periculum notabilis damni: in hac auferre rem aliena auferre, ut non liceat, exigit rectus ordo in Rep. humana: nam 1. Cùm necessitas illa sit frequens, multiplicarentur furta & rapinæ cum perpetuâ pacis communis perturbatione. 2. Homines non satis abstinerent à bonorum dilapidatione, otio, & inertiâ; quia possent sibi providere ex alienis, casu quo laberentur in gravem necessitatem. 3. Gravi necessitati satis succurritur per obligationem dandi eleëmosynam, quam dare ex charitate tenentur divites proximo, in gravi necessitate existenti, secundùm dicta P. 2. Hinc domini sunt meritò rationabiliter inviti, in tali necessitate sibi sua clam, vel vi auferri; nec bona fiunt communia: non enim eo fine producta sunt bona inferiora, ut omnes essent æquales in dignitate, honore, opibus, deliciis. Imò connaturalius est, ut sint inæquales, ideoque bonorum divisio introducta est, ut per industriam, aut fortunam alii aliis sint excellentiores: proinde ex eo, quòd unus homo casu, aut culpâ suâ statum pristinæ excellentiæ amittat, non est causa sufficiens divisioni bonorum derogandi; cùm natura non produxerit hominem, ut in statu superiori viveret, sed ut viveret, atque ad hoc solum necessaria ei providit.

Ob has rationes meritò damnata est ab Innoc. XI hæc ordine 36. Propositio: *Permissum est furari non tantùm in extrema necessitate, sed etiam gravi*, ubi per furtum intelligitur occulta subductio rei alienæ: nam nemo docuit, quòd liceat auferre rem alienam,

invito rationabiliter Domino, quod propriè furari est. *Si dicas*: Gravis necessitas excusat à restitutione, ergo & à furto. R. N. consequentiam; quia obligatio restituendi tantùm suspenditur. Dein utraque licentia non exponit paribus periculis: hinc Dominus non potest esse in uno, in altero potest meritò esse invitus rationabiliter. Vide N. 362. §. *Nu.* 5.

Ratio 3tiæ partis est; quia extrema necessitas est defectus, vi cujus quis est in periculo mortis, vel certo, vel probabiliter secuturæ, nisi succurratur. Dico vel probabiliter: nam irrationabile foret exspectare usque, dum quis incidat in periculum proximum ejus, aut jam de vita desperatum sit. Sicut autem quilibet habet jus, imò obligationem conservandi vitam suam; ità in tali necessitate competit ei jus ad media eò necessaria: hinc tum omnia bona, in ordine ad illam necessitatem sublevandam necessaria, sunt ipsi cum aliis communia saltem quoad usum: omnia enim bona inferiora ad tuendam hominis vitam, & æternam felicitatem consequendam condita sunt, & ordinata, cui ordinationi divisio bonorum, jure gentium introducta, præjudicare non potuit: alioquin enim esset irrationabiliter introducta: quare, incidente extremâ necessitate, habent se bona, ac si divisa non essent, fiuntque primo occupantis, quatenus ad illam necessitatem sublevandam sunt necessaria: unde talis non furatur, cùm Dominus non possit esse rationabiliter invitus.

Dixi 1. *De bonis proximi, non necessariis simpliciter ad naturam*: Nam si Dominus in pari tecum esset necessitate, non posses subdu-

ducere, quæ ipsi ad vitam sunt necessaria; quia in pari causa melior est conditio possidentis.

Dixi 2. *Potest sibi providere*; id est necessaria subducere clam, si petendo non obtineat, vel prævideat se non obtenturum: secùs tenetur petere, quia revera non est in necessitate extrema surripiendi; idque videtur verum etiam de viro nobili, si possit convenire virum nobilem, aut petere per litteras, quæ non erubescunt. Aliud esset, si hæc non posset, foretque nimis durum ostiatim mendicare.

Dixi 3. *De mediis saltem ordinariis*: quia, an possit rem valde pretiosam, v. g. ter mille aureos, ad vitam tuendam necessarios, subducere, probabiliter utrimque controvertitur. Negat Lugo, præsertim, si summa illa esset necessaria alteri ad suum statum sustinendum, aut alter ideo in gravia mala esset lapsurus: tum quia charitas non obligat cum tanto suo dispendio; tum quia nulla virtus obligat ad vitam suam, vel proximi conservandam per media tam extraordinaria: unde nec hoc in divisione bonorum videtur exceptum. Affirmant alii; quia bona tunc sunt communia saltem ad usum pro necessitate, hoc sensu, quòd pauper in ordine ad id habeat jus accipiendi, & acquirendi necessaria; non habet tamen dominium bonorum: unde dives abscondens sine vi, & dolo bona sua, ne pauper in extrema necessitate ea accipiat, peccat secundùm Viva tantùm contra charitatem, & probabiliùs dives non tenetur tunc succurrere ex justitia, sed ex charitate ad eleëmosynam. V. n. 331.

Dixi 4. *Necessaria ad extremam necessitatem sublevandam*: nam plus auferre non licet quàm eò sit necessarium. Unde 1mò. Si sufficiat

ficiat solus usus rei, v. g. equi, manet obligatio eum restituendi cessante necessitate. 2. Si extremè indigens habeat alibi in re, vel in spe probabili, unde solvere possit, non potest rem alienam subducere, nisi cum onere restituendi; quia necessitas tum non exigit rem permitti gratìs, si sufficiat mutuò, vel commodatò accepta. 3. Qui rem alienam extremè egens consumit, si nec in spe habeat, quò compenset, non tenetur postea compensare, etsi apud ipsum fuisset deposita, vel ipsi commodata, & ipse ad meliorem fortunam perveniret. Idem probabiliter dicitur, si rem furto haberet; quia, si res apud Dominum extitisset, potuisset sine obligatione restituendi auferre. Nec obstat, quòd obligatio ex contractu, & furto sit personalis, cohærens personæ; quia Dominus in casu extremæ necessitatis tenetur illam obligationem remittere, cùm aliàs obligatus fuisset gratìs dare. Aliud foret, si rem habuisset mutuam, aut furto sublatam, per mixtionem fecisset suam: tunc enim rem propriam consumpsisset, & maneret prior obligatio, redeunte potentiâ restituendi.

Quæ dixi de extrema necessitate, idem dic de quasi extrema; quia, hâc incidente, extrema est moraliter præsens: est enim necessitas quasi extrema defectus, ex quo adest proximum periculum incidendi in malum, morti æquivalens, quod ex circumstantiis æstimandum est: quale censetur privatio oculorum, vel membri principalis, perpetuus carcer innocentis, infirmitas magna, perpetua amentia, &c. Necessitatem quasi extremam aliqui vocant valde gravem; & de hac locuti sunt Less. Con. Tamb. Vasq. Bonac. docentes, licitum esse

esse in gravi necessitate rem alienam, ad illam sublevandam necessariam, subducere.

QUÆSTIO V.

An, & quando occulta compensatio excusetur à furto?

Resp. Occulta compensatio, quæ est tanti 445.
de bonis debitoris, quantum hic ex justitia debet, acceptio, vel detentio, facta inscio ipso, excusatur à furto, & per se licita est, si fiat ex bonis creditoris in eadem specie, sine damno, & præjudicio tertii, cumque minimo, quo fieri commodè potest, damno debitoris; debitumque sit strictum, seu justitiæ; idque certum, & præsens; & alia via aut omninò non, aut non nisi cum magna difficultate obtineri possit. Est communissima contra Elizalda L. 8. Q. 7. §. 4. *Ratio est*; 1mò. Quia debet esse medium moraliter possibile ad obtinenda, debita sibi jure stricto; atqui nisi liceret in casu occulta compensatio, non superesset medium: ergo.... 2. Debitor, nec quò ad substantiam, nec quò ad modum potest esse rationabiliter invitus, quòd creditor in iis circumstantiis utatur occultâ compensatione: non quoad substantiam; quia creditor accepit rem æquivalenter suam: non quoad modum; quia excusat necessitas, & impotentia aliâ viâ debitum accipiendi, nimisque durum est sic privari sibi debito, & cogi ad sustinendam diuturniorem injuriam. Nec sic creditor est Judex in propria causa: non enim sibi jus dicit dubium in propria causa; sed exequitur jus suum, aliunde liquidum, & ulteriorem inju-

Si *certæ servantur, ad sint conditiones.*

riam propulsat : sicut, qui rem suam invenit apud furem, & clam privatâ authoritate recipit.

Nec juvat, quòd nemo possit licitè propriâ authoritate ulcisci injuriam, sibi illatam; quia justitia vindicativa, ad quam ultio spectat, est in solo superiore, cujus est pœnas commensurare culpis : subducere autem debitum non est ulcisci, sed ulteriorem injuriam avertere, quod justitia commutativa permittit.

Nec juvat iterum, quòd forum externum non approbet occultam compensationem; quia id præsumit eam fieri, aut periculum esse, ne fiat sine justo titulo : quem, si sciret cum cæteris conditionibus adesse, improbare non posset occultam compensationem. Sic si fur rei tibi subductæ jam haberet civilem possessionem, forum externum improbaret, si eam authoritate privatâ eriperes, & tamen id licitè faceres.

Dixi 1. *Per se loquendo* : nam per accidens potest in iis etiam circumstantiis esse illicita; ùt, si accepisses rem mutuam à tuo debitore, & jurâsses te redditurum : tunc enim ob reverentiam juramenti retinere non posses in compensationem tui debiti.

Dixi 2. *Si fiat ex bonis creditoris sine præjudicio 3tii, &c.* nam ad licitam occultam compensationem requiruntur hæ conditiones:

Conditiones requisitæ. 1ma Debitum debet esse justitiæ, & non tantùm convenientiæ, vel charitatis, aut gratitudinis : aliàs enim utens compensatione ne quidem jus ad rem habet. Ità omnes.

2da. Debitum illud justitiæ debet esse certum ; quia nemo potest re legitimè possessâ

ob

ob solam probabilitatem ab alio propriâ authoritate spoliari: legitima enim possessio tribuit jus certum rem retinendi. Unde receptum est axioma: *In dubio melior est conditio possidentis.* Cujus ratio est; quia, si mera probabilitas sufficeret ad deturbandum aliquem legitimâ, & bonæ fidei possessione, nimis facilè quilibet posset spoliari rebus suis, dum homines lucri avidi quærerent sibi rationes, & conjecturas judicii probabilis de eo, quòd hoc vel illud sibi debeatur. Sufficit tamen certitudo moralis ità, ut viri prudentes nec dubitent, nec putent, dubitari posse de debito justitiæ.

3tia. Debitum regulariter debet esse præsens: aliàs enim jus & debitum non est, sed erit. Dixi: *Regulariter*; nam juxta Illsung, Sporer, & alios licet prævenire, si alter post mensem sit tibi certò debiturus, & tunc non sis accepturus; quia licet periculum rebus suis imminens removere, & se servare indemnem, citra damnum tamen debitoris ex anticipata solutione; quod, si sequeretur, compensandum esset.

4ta. Res, in compensationem accipienda, debet esse debitoris, & non tantùm apud ipsum deposita, vel ipsi commodata. Aliud juxta multos esset, si res apud creditorem esset deposita; & leges, quæ contrarium statuunt, intelligunt de foro externo. Alii putant, quòd depositarius vi contractûs specialiter se obliget ad rem depositam in specie reddendam. Sed hoc incertum est: unde videtur standum jure naturæ, quod compensationem permittit.

5ta.

5ta. Res debita non debet facilè alio modo posse obtineri, v. g. coram Judice, ùt ordinariè non potest; vel quia debitum probari non potest, vel impensæ, incommoda, jactura amicitiæ, aut gratiæ multùm utilis, subeunda sunt. Si tamen Judicem non adires, cùm facilè posses per eum obtinere debitum, communiter non censetur mortale; quia occultè compensans sibi, non agit contra justitiam commutativam; sed tantùm contra leges, quæ modum tantùm, sine authoritate Judicis, debitum subducendi improbant, & graviter non obligant: imò nullo modo peccas, si rem tuam, in se existentem apud malæ fidei possessorem, subducas; modò sine scandalo, & alteriùs incommodo fiat.

6ta. Debet, quoad fieri commodè potest, non accipi res, nisi ejusdem speciei, v. g. pecunia pro pecunia, frumentum pro frumento debito; aliàs injustè cogeretur debitor rem non debitam commutare cum alia debita. Si tamen in re simili compensatio fieri non possit, erit licita in aliis debitoris bonis; quia hic non potest esse rationabiliter invitus, modò sine alio fiat incommodo. Dominium tamen firmum rei alterius speciei non acquiritur; sed debitor, si dein solveret, posset eam repetere.

7ma. Fieri debet cum minimo, quo potest, debitoris damno, quodque non tenearis ex justitia, vel charitate impedire. Hinc cavendum, ne debitor ignorans solutionem iterum tibi, vel hæredibus tuis solvat, vel perseveret in peccato, si sit in mora culpabili; sed monendus, quòd ultra ab ipso nihil exigatur, ità tamen; ut non inducatur ad antidoralem alicujus

cujus donationem: hoc enim, utpote ex errore procedens, restituendum esset. Si tamen sine gravi incommodo hoc recusare non posses, licitè quid admitteres; sed tenereris restituere.

8va. Fieri debet sine damno, & præjudicio tertii innocentis, v. g. cavendo, ne aliis creditoribus, jus prælationis habentibus, præjudicetur; ne fiat ex bonis debitoris, quorum administrationem, & usumfructum non habet; ne alius putetur furatus, & cogatur restituere. Quia tamen hoc ultimum tantùm per accidens sequitur ex occulta compensatione: hinc si hanc sine notabili incommodo omittere non posses, licitè eam faceres; si autem posses, compensando peccares, non quidem contra justitiam; attamen contra charitatem. *Ex his deduces.*

1. Famuli, & famulæ (idem est de aliis servientibus pro salario, ùt sunt operarii diurni, Opifices, Secretarii, Quæstores, &c.) non possunt licitè heris suis, vel dominis surripere occultè ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt. Constat ex opposita damnata ab Innoc. XI. ordine 37. *Ratio est*; quia, quòd ipsi ità judicent, non ideò certum est, suntque ipsi raro apti ad judicandum, etiam esse probabiliùs salarium minùs justo: nam sicut pretium mercium, ità & salarium justum non consistit in indivisibili; sed aliud est justum infimum, aliud medium, aliud summum: & quamvis sit evidenter infra infimum, si famulo, totâ die laboranti, non dentur sufficientia ad victum secundùm alios suæ conditionis; attamen ut discernatur, quando opera famuli exigat majus

446. *Corollaria. Famulantibus non facile permittenda.*

jus ſtipendium, ad plurima attendendum eſt: atque imprimis, an non alii paſſim reperiantur, qui citra ſimilem neceſſitatem tali ſtipendio contenti ſint: quod ſi ità ſit, ſtipendium certò juſtum eſt. Item an multi repeiantur, qui velint operam ſuam locare: ex multitudine enim eorum decreſcit pretium operæ, dein, an ultro offeratur famulatus hero non indigenti: tum enim magis vileſcit, ſicut vileſcunt merces ultroneè oblatæ: denique, an non opera ſimul per alia compenſetur, v. g. per favores, inſtructionem ſpem promotionis, aliave emolumenta pretio æſtimabilia. Quæ omnia ritè ponderare non poſſunt famulantes; imò nec Confeſſarius, niſi valde doctus: & benè verſatus in morali, habenſque ſimul notitiam communis æſtimationis, & praxeos in regione, in qua ſervitur. Unde non ſufficit, quòd famulus judicet, ſibi evidentem fieri injuriam; quia amor proprius non rarò facit, credi evidens, quod ſæpè vix eſt probabile. Si tamen famulus occupetur in aliis pluribus, ad quæ certò non eſt conductus, pro his poteſt augmentum ſtipendii petere, ſique aliter obtinere non poſſit juxta La Croix N. 976. poteſt occultâ compenſatione uti; modò faciendo, ad quæ conductus non eſt, non ſit liber ab aliis æquè difficilibus, & æſtimabilibus, & non voluerit opera facere gratuita.

2. Si famulus acceperit pecuniam mutuam à Domino, v. g. pro emenda nova veſte, judicetque probabiliter ſalarium ſuum eſſe minus juſto, & Dominus moriatur; non poteſt quidquam in compenſationem occultare hæredibus: quia jus Domini ad recipiendum mutuum

an-

antecedenter est in certa possessione, & sic ad hæredes transiit; consequenter elidit jus incertum famuli, nec possessio juvat famulum Lugo D. 18. N. 10. La Croix L. cit. Sic inquit Lugo: Si debueris, & dubites, an solveris; si votum reale feceris, & dubites, an impleveris; teneris adhuc solvere, & implere non obstante, quòd sis in certa bonorum tuorum possessione. Econtra, si famulus vi, vel metu injusto sit compulsus ad serviendum pro stipendio certò minore, quàm justum sit, potest occultâ compensatione supplere defectum non tantùm ad stipendium justum infimum, sed etiam usque ad medium, modò serventur reliquæ conditiones; quia injuriam passus esset, & Dominus debet ei stipendium justum, facilèque famulus invenisset, qui ei medium justum dedisset. Si verò propriâ indigentiâ compulsus id fecerit, juxta Less. hic cap. 12. Suar. Disp. 8. de Sacram. S. 4. & alios, teste Viva, communissimè potest sine injuria compensare sibi ad pretium infimum justum; quia conducens famulum tenetur consentire in leges conductionis, quæ exigunt pretium saltem infimum justum. Unde si conductor in id non consentiat, facit injuriam: sicut emens tenetur consentire in pretium justum, sique à paupere, indigentiâ ad vendendum compulso, emat justo minoris, injuriam facit, & tenetur restituere defectum.

3. Non potes hæredi necessario subducere clam rem tibi legatam in testamento, destituto solennitate civili; quia probabile tantùm est, eam tibi deberi. Aliud tamen est de legato pio. Econtra quando in contractu in se quidem valido, attamen per sententiam Judicis irritabili

passus es, si aliâ viâ non possis rem recuperare, & ante sententiam Judicis alter teneatur restituere, potes occultâ compensatione uti; quia jus tuum certum est. Lugo D. 22. N. 116. La Croix N. 962. in fine. Universim attendendum, an jus strictum sit, & certum: An is, cui Princeps debet, à quo debitum obtinere non potest, possit occultâ compensatione uti, defraudando gabellas, vel vectigalia ab alio conducta, vel empta, utrimque probabiliter controvertitur, de quo videri potest La Croix N. 970.

Solvuntur opposita. *Dices* 1*mò.* Potest Princeps exigere tributa, quando causa probabiliùs est justa: potest Rex bello occupare provinciam ab alio possessam, quam probabiliùs judicat esse suam: possum intendere, per Judicem rem ab alio possessam recuperare, quam probabiliter judico, mihi deberi: ergo à pari possum mihi rem subducere clam, quam probabiliùs judico esse meam, vel mihi deberi. R. T. anteced. N. conseq. nam 1. Tributa imponuntur in bonum communitatis, unde in iis imponendis Princeps agit velut administrator illius, & Judex ex consensu communitatis, ex quo sufficit causa probabiliùs justa. 2. Rex in eo casu agit velut Judex, nec aliud medium est dirimendi dubium. At ne hallucinetur in propria causa, debet adhibere consiliarios pios, & doctos, qui de probabilitate judicent. 3. Judex, tanquam legum peritus, ex communi consensu à Republica constitutus est, ut in controversis, sic exigente bono communi, jus suum cuique tribuat, & judicet pro eo, pro quo jus est probabilius, ne dominia maneant incerta, ut discordiæ tollantur, quod vel maximè con-

ducit

ducit ad bonum Reipublicæ : unde, quandò mihi est jus probabilius, estque spes victoriæ, possum agere apud Judicem, ut ille discernat, cui probabiliùs res, vel jus conveniat. At licentia occultè subducendi, quod probabiliùs judicat privatus esse suum, vel sibi deberi, vergeret in perturbationem Reip. Privati enim temporalium avidi facilè aberrant in causis propriis, & rarò sunt apti ad rectè judicandum in ejusmodi : quare licentia illà concedenda non est privatis, etsi aliquis re ipsâ aptus esset ; quia universim debet esse prohibitum, cujus licentia vergeret in perniciem Reip. Dixi : *Transeat* ; quia multi ad bellum offensivum requirunt moralem certitudinem ; cùm Judex propter jus incertum non possit legitimè rem possidenti, eam abjudicare. Eapropter non potest judicare secundùm probabiliorem, & possidentem legitimè re suâ spoliare, dum in solo petitorio agitur ; sed tum requiritur moralis certitudo, aut priùs evacuanda est possessio.

Dices 2. In compensatione intervenire debet contractus ; aliàs creditor erit Judex in propria causa : atqui in compensatione occultà nequit intervenire contractus : hic enim est duorum, vel plurium in idem consensus ; debitor autem, inscius compensationis occultæ, non consentit ; ergo compensatio occultà in quocunque casu est illicita. Hoc est fundamentum Theseos vigesimæ tertiæ inter reliquas pro doctoratu in utroque jure publicæ disputationi propositæ Anno 1749. die 13. Augusti : quà negabatur unquam esse licitam authoritate privatâ occultam compensationem. Sed facilis est responsio : nam cùm jus credi-

toris sit certum, nec aliâ viâ, uti supponitur, sibi debitum possit obtinere, tam parum requiritur contractus, quàm requiratur, ut rem meam, apud alium existentem, clam recipiam, si alio modo recuperare nequeam; sed satis est, quòd debitor non possit in casu nostro esse rationabiliter invitus, etsi positivè non consentiat. Neque ideo creditor est Judex in propria causa: non enim inter partes, ùt solet Judex humanus in foro externo, controversiam dirimit; sed utitur jure suo certo, &, ùt dixi, ulteriorem injuriam propulsat. Unde liquet, an probabile, an verò tantùm umbratile sit relatæ Thesis fundamentum contra communem omnium, teste Lugone, Theologorum sententiam, si Henricum, & Elizaldam excipias, cujus infirma argumenta jam suprà dissoluta sunt.

Dices 3. Debito certo potest satisfieri per solutionem probabilem: ùt, si quis probabiliter judicet, se certam Horam Canonicam jam dixisse, non tenetur eam repetere; ergo, ut rem ab alio possessam subducam, sufficit me probabiliter judicare, rem esse meam. R. Debito purè legali potest satisfieri per solutionem probabilem. Transeat. Debito justitiæ. N. ant. & conseq. Quando agitur de satisfaciendo debito legali, faciliùs præsumitur, saltem aliquando, Legislator esse contentus satisfactione probabili: id enim petit regiminis suavitas: at ubi quæritur de debito rigoroso justitiæ, non præsumitur possessor, vel creditor contentus solutione, aut opinione solùm probabili. Quisque se ipsum consulat, an foret contentus, si alius rem ab ipso possessam ei eriperet; eò quòd

quòd hic probabiliter, imò probabiliùs judicet, esse suam. Vide dicta P. 1. N. 188.

QUÆSTIO VI.

Quid tenendum in variis dubiis de obligatione restituendi?

In dubiis de præsenti materia attendendum 447.
1mò, pro quo stet possessio, de quo regulas dedi P. 1. N. 83. 2. An res possideatur bonâ, dubiâ, vel malâ fide. His conformiter

Ad quid teneatur possessor dubiæ fidei.

Resp. 1. Possessori dubiæ fidei serviunt sequentes Regulæ;

1. Qui accepit rem ab alio, vel primus eam occupavit, dubitans, an spectet ad aliquem tertium, vel aliquos in particulari, si, factâ inquisitione debitâ, dubium maneat, tenetur pro qualitate dubii restituere; quia, cùm rem necdum habuerit bonâ fide, possessio ei non favet.

2. Qui accepit rem à bonæ fidei possessore, dubitans, an ejus sit, potest, si adhibitâ diligenti inquisitione dubium maneat, retinere; quia juri possessoris bonæ fidei potest insistere. Si acceperit, dubitans in communi, & facta inquisitione dubium maneat, an res spectet ad aliquem, sed in communi tantùm, & nesciat ad quem, probabiliter potest incipere possessionem bonæ fidei; quia neminem novit, cui injuriam faceret, Vasq. Turr. Lugo. At probabiliùs pro ratione dubii dandum aliquid pauperibus, sicut dictum de debitis incertis ex delicto.

3. Si quis rem, bonâ fide hactenus possessam, probabiliter putat esse alienam, & factâ debi-

debitâ inquisitione maneat dubium, potest eam retinere, si probabiliter sit sua, etsi probabiliùs sit aliena. Ità Vasq. Tamb. Diana, Lugo, Castrop. Laym. Dicast. apud La Croix L. 3. P. 2. N. 563. contra Valentiam Con. & alios, contendentes tunc rem esse restituendam, eò quòd non sit æquale dubium; possidentis autem conditionem tantùm esse meliorem in dubio æquali. Sed ratio aliorum est; quia titulus possessionis prævalet omnibus aliis, quæ non convincunt certò: nam in possessione est verum, certumque jus; definitur enim possessio: *Jus insistendi rei non prohibitæ possideri*; ergo, quamvis dubium sit de rei proprietate, possidens tamen habet jus certum rei insistendi, donec sit moraliter certus, rem esse alienam, consequenter poterit incipere præscriptionem, & elapso tempore absolutè retinere. La Croix suprà. Quodsi neglexit inquirere, & ideo nunc nequeat veritatem invenire, tenetur pro ratione dubii ad restitutionem; quia injuriam fecit, quam tenetur compensare secundùm rationem spei, quam habebat is, de quo dubium erat, an res esset illius: neque postea manet bona fides, nec possessio favere pergit; in quo tamen contradicunt Rebellus, Bonac. Castrop. apud La Croix N. 564. eò quòd adhuc faveat possessio certa, & facta nunc inquisitione redeat bona fides.

4. Si quis rem bonâ fide possederit, & factâ inquisitione debitâ manens dubius eam consumpserit; Domino comparenti tenetur saltem ex re accepta, quantum inde factus est ditior: quamvis enim consumere, ut tenet communior, potuerit, & dubio speculativo manente, se practicè resolvere; quia in dubio

præ-

prævalet possessio; attamen non potest ditescere ex re aliena. Idem probabiliter Laym. & multi alii dicunt, si rem vendiderit; quia sive vendat, sive consumat, videtur esse par ratio, cùm pretium succedat loco rei. Lugo tamen, & alii dicunt, si vendiderit, teneri ad totum pretium Domino comparenti reddendum, etsi non sit factus ditior; quia tenebatur non impedire Dominum à recuperanda re sua; proinde debebat esse paratus restituere totum rei valorem. Similiter dicit Dicastillo, teneri ad rei valorem totum, & fructus perceptos, si consumpserit, etsi non sit factus ditior; quia jus ità dubium non faciebat illi potestatem aliquid ex re aliena consequendi sine obligatione restituendi. Non tenetur tamen ad id, quod non percepit, nec quod casu apud ipsum periit.

5. Qui rem, bonâ fide, & sine dubio etiam speculativo possessam, consumpsit, postea autem, sciens fuisse alienam, dubitat, an ex ea factus sit ditior, juxta La Croix N. 568. Sanch. Tamb. & alios ad nihil tenetur; quia, cùm debeat esse obligatio ex re accepta, tam diu possessio est pro libertate, donec constet, rem in æquivalenti apud ipsum esse. Similiter dubius, an debeat plùs, vel minùs, tenetur tantùm ad minus; quia possessio est pro illo, & in dubiis minimum est amplectendum, utì ex utroque jure probat Dicastillo. Contra primum videtur esse: pro priori ad consumptionem re ipsâ erat certa obligatio ex re aliena, non est autem nunc certum, illam esse extinctam. Nec juvat, quòd quis sit in certa possessione suorum bonorum, & certus non sit in illis esse quid alienum: nam certúm est in ejus bonis

bonis fuisse alienum, & certum non est, modò non esse; ergo tenetur restituere pro ratione dubii.

6ta. In dubio, an bonâ, an malâ fide possessionem quis cœperit, præsumitur cœpisse bonâ fide; quia delicta non præsumuntur. Si tamen quis actu sit in mala fide, & dubitet, an sic inceperit, præsumitur, mala fides fuisse ab initio; quia semel malus semper præsumitur esse malus secundùm *Regulam* 8. *Juris in* 6.

7ma. Quando nullus eorum, de quibus dubitatur, an sint domini rei, rem possidet; res pro ratione dubii est dividenda, nempe æqualiter, si dubium sit æquale, inæqualiter, si sit inæquale. Si res sit indivisibilis, sorte agendum est, aut ex consensu partium uni res applicanda, & aliis pro ratione dubii satisfaciendum.

448. *Ad quid teneatur dubius, an fuerit injustus dãnificator?*

Resp. 2. In dubio, an quis fuerit injustus damnificator, servandæ sunt regulæ sequentes.

1ma. Dubitans, an sit cooperatus alieno damno, non tenetur restituere; quia melior est conditio rem suam, & libertatem possidentis. Unde nec tenetur, qui consilium dedit, sed dubitat, an alter re ipsâ damnum intulerit; dubiumque vincere non potest. Si autem sciat, damnum esse illatum, & dubitet, an consilium suum in id influxerit, aut alter ex propria malitia, aut aliunde motus, damnum intulerit, probabiliùs tenetur pro ratione saltem dubii; quia delictum alteriùs sine consilio non debet præsumi, & ex facto secuto est præsumptio pro efficacia consilii, cùm soleat ordinariè tunc esse efficax, & in foro externo talis condemnaretur ad restitutionem in defectu damnificatoris. Oppositum tenet Lessius,

Lessius; eò quòd possessio videatur stare pro libertate, & rebus ejus.

2da. Dubius an grave, an leve damnum intulerit, tenetur tantùm ad reparandum leve. Dubius autem, an res aliena, quam quis tenetur restituere, sit gravis, vel levis, peccat graviter, si non restituat; quia exponit se periculo continuandi gravem injuriam, quam non evacuat ipsius error. *Nec juvat*, quòd in dubiis minimum sit sequendum: nam hìc prævalet possessio domini, qui jure repetit rem suam, uti in se est. Aliud est in casu priore; quia dubitans habet certum jus rei suæ, quo se non tenetur privare ob dubium jus alterius.

3tia. In dubio, an res apud te deposita, elocata, tibi commodata apud te perierit casu, an culpâ tuâ probabiliùs spectato jure naturæ, ad nihil teneris; quia es in possessione innocentiæ, & delicta non præsumuntur. Ità Lugo, La Croix & alii contra alios dissentientes, eò quòd in dubio damnum potiùs ferre debeat, qui beneficium accepit, quàm qui illud contulit. In foro autem externo depositario, locatario incumbit probatio, & quòd res perierit, & quòd sine ejus culpa perierit, ùt habet communis; quia, quæ sunt facti, non creduntur, si non probentur ab illo, cui res per contractum tradita est custodienda, quia possessio est pro domino, qui rem integram tradidit cum jure eam recuperandi, nisi probetur sine culpa periisse. Excipe cum communi, nisi graves sint conjecturæ pro innocentia, aut ejusmodi soleant casu perire sine culpa, ùt, si ovis periit ex grege, vel discus argenteus ex aula Principis, in ejusmodi præsumptio stat pro custode gregis, & œconomo:

 unde,

unde, si juret sine culpa periisse, absolvitur. Similiter in dubio, an incendium ortum sit casu, an ex culpa conductoris, præsumitur, quòd casu, nisi locator culpam ostendat, ùt ex communi Juristarum docet Laym. L. 3. Tr. 4. C. 22. N. 6. Quamvis enim communiter oriatur ex culpa alicujus domestici, tamen non tenetur omnem eorum culpam præstare pater-familias, ùt habetur *L. 11. ff. De Periculo & Commodo.*

4ta. In dubio, quanti res fuisset valitura, an apud furem sit deteriorata, an dominus eam fuisset servaturus, donec pluris, vel minoris valuisset, probabiliùs restitutio est facienda tantùm pro ratione dubii, secundùm judicium prudentum, supra valorem, quem habuit, dum erepta, vel consumpta fuit à possessore malæ fidei: nam nulla ulterior favet possessio, cùm major valor necdum extiterit, & dubietas imminuat æstimationem lucri, & damni.Ità Lugo D. 18. N. 133. Less. Dicastillo, & alii contra Azor, Rebellum, & Vasquez. *Nec juvat,* quòd in dubio potiùs favendum sit innocenti, quàm nocenti; quia hoc solùm obtinet, quando possessio est pro innocente, vel res dividi non potest, nec utrique parti satisfieri. Quodsi dominus diceret, quòd rem illo, vel isto tempore venditurus fuisset, vel in illud servaturus, rectè dicunt Lugo, Less. &c. te non teneri credere, nisi accedant aliæ conjecturæ: hinc, stante dubio, restitutio facienda erit secundùm proportionem tantùm compertæ veritatis, aut perseverantis dubii.

449. *Quid in dubio positivo agendū?*

Resp. 3. In dubio positivo, in quo quis opinatur, rem, quam bonâ fide alter possidet, esse suam, serviunt hæ regulæ.

1ma. Rem, bonâ fide ab altero possessam, nemo potest eripere illi, etsi probabiliùs sit sua, utì dictum suprà; quia alteri favet certa possessio. Secùs, si quis esset certus esse suam, & aliâ viâ non posset obtinere, secundùm dicta.

2da. Opinans probabiliter, rem esse suam, si nequit alio modo obtinere, potest eam occultè subducere possessori malæ fidei; quia huic nec legitima possessio, nec jus favet; sed tenetur eam extradere: ergo subducendo illi injuriam non facit.

3tia. Si putans, se teneri ex voto dubiè valido, solverit aliquid; juxta La Croix non poterit postea sibi compensare, etsi postea sciat, se potuisse non solvere; quia illi, quibus solvit, jam habent possessionem, jusque probabile illis favet; pro ipso autem nulla est certitudo. Verùm videtur exsolventis, quòd ex voto se debere existimavit, etiam spectanda intentio: cùm enim homines ordinariè sic constituti habitualiter sint, ut, dum solvunt, quæ putant se debere, nolint transferre dominium, nisi verè debeant; considerandum, an non fuerit sic constitutus, ut noluerit soluti transferre dominium, nisi debeat, adeoque annon fuerit error in substantia, nempe in motivo solvendi. Si supponamus, quòd tali voto dubiè obstrictus, potuerit non solvere, & verè in dominii translationem non consenserit; tenetur is, cui solvit, restituere. Idem videtur dicendum, si tibi probabile fuisset, quòd debeas Petro 100. & probabile fuisset, quòd non debeas; solvisses autem putans, te teneri, cùm revera non tenereris; quia eras in possessione tuæ pecuniæ. Dicit quidem Viva, quòd non possis compensare occultè, eò quòd Petrus jam

sit

sit in possessione bonæ fidei; at est in possessione rei alienæ, si non consenseris in translationem dominii. Sicut, si tibi Titius subduxisset occultè rem tuam, putans bonâ fide, esse suam, & nunc bonâ fide possideret, non ideo posset eam retinere; sed tu posses occultâ compensatione eam recuperare, si alius modus non suppeteret.

4ta. Si certus fueris de debito, & probabiliter opineris, quòd restitueris, vel solveris; probabiliùs adhuc teneris ad solvendum totum. Itâ Sanch. Vasq Rebellus, Lugo Disp. 18. N. 12. Dicast. La Croix hìc N. 571. etsi oppositam sententiam defenderit velut probabilem L. 1. N. 600. *Ratio est* 1. Factum in dubio non præsumitur. 2. Debito certo non satisfit per solutionem incertam; quia non ponitur æqualitas. 3. Ex parte creditoris est certa possessio juris ad solutionem totius à te faciendam; possessio autem prævalet omni probabilitati pro opposito.

Oppositam sententiam tenent non pauci, Viva, Schild. & alii putant, ad nihil teneri; quia in dubio probabili juris licet sequi sententiam probabilem, & jam non est certa possessio pro creditore. Admittit hoc Tannerus, si debitor, & creditor dubitent. Laym. Diana, Tamb. aliique obligant tantùm ad partem pro qualitate dubii, & hæc sententia probabilis est. *Respondent* autem *ad 1mum*, hoc verum esse in dubio negativo, non verò in positivo, ubi factum probabiliter ostenditur. *Ad 2dum dicunt*, debitum non esse ampliùs certum, nec jus unquam fuisse certum pro casu, quo stat probabilitas pro solutione factâ. *Ad 3. dicunt*, sicut possessio juris ad solutionem

est

est penes creditorem; sic possessio rei solvendæ est penes debitorem: quare non apparet, cur debitor debeat se spoliare certâ possessione rei suæ. Sed hæc non satisfaciunt omninò. Vide P. 1. à N. 188. His conformiter dicendum, hæredes Titii teneri vel debitum totum solvere; vel debere petere compositionem judicio viri prudentis in casu, quo Titius accepit à Cajo centum mutuos, dato in testimonium obligationis chirographo; utroque autem mortuo, hæredes Titii inveniunt in libro rationum scriptum, debitum esse solutum; hæredes autem Caji adhuc inveniunt chirographum Titii, & debitum nondum expunctum in suo libro. *Ratio est;* quia debitum fuit certum, solutio autem est incerta. Neutri tamen licet occulta compensatio; quia pro neutra parte est jus certum. Less. in *Auctario. V. Contractus Casu* 8. docet, hæredes Titii ad nihil teneri, nisi compellantur in foro externo, quò confugere possint hæredes Caji. *Ratio est;* quia, cùm delicta non præsumantur, præsumi non debet, quòd Titius in libro suo scripserit, debitum esse solutum, si ità non esset; sed potiùs præsumi debet, Cajum ex oblivione retinuisse chirographum, & oblitum esse, debitum in libro suo extinguere. Similiter in dubio, an conductor pensionem solverit, adhuc tenetur solvere; quia locator est in possessione juris ad creditum. Si tamen tribus annis proximis solverit, in foro externo præsumitur etiam solvisse annis antecedentibus: nisi clarè probetur contrarium. Ità statuitur *L. Quicunque. C, de apochis publicis.*

5ta. In dubio, an res, quæ apud injustum detentorem periit, peritura fuisset apud dominum,

num, censetur non fuisse peritura; quia possessio est pro existentia rei: unde restituenda est tota. At verò, si dubium sit de damnis, vel lucris secuturis, restitui tantùm debet pro rata dubii; quia, cùm lucra necdum existant, pro iis non est possessio, sed injustus detentor est in possessione rerum suarum; spes tamen lucri, & periculum damni est in possessione; adeoque secundùm proportionem talis spei, & periculi restitutio facienda est. La Croix N. 218.

6ta. In dubio, an fructus rei sit naturalis, an mixtus, standum est judicio Judicis, vel prudentum. Si determinari non possit, præsumitur naturalis; natura enim censetur semper plus operari, cùm sit fundamentum industriæ.

Ex dictis colliges, quomodo limitanda sit doctrina aliquorum, qui dicunt, in dubiis de restitutione, Confessarium stare debere pro benigniore parte non restituendi: nam standum est pro illo, pro quo est possessio, & restitutio facienda est secundùm mensuram assignatam N. 301. In dubio, pro quo stet possessio, judicandum est pro eo, pro quo est præsumptio secundùm dicta P. 1. N. 83.

450. *Fundamenta præsumptionis.* Fundamenta autem præsumptionis sunt hæc:

1mum. Qualitates naturales, quæ, si solent inesse suo tempore, præsumuntur inesse; secùs, inesse non præsumuntur. Sic parentes præsumuntur amare liberos, & liberi suos parentes; in minoribus præsumitur inconsideratio, vel ignorantia; in personis sanguine proximè conjunctis præsumitur abesse turpis, & venereus actus &c.

2dum. Qualitates, quæ quidem aliunde pro-

proveniunt, sunt tamen plerumque conjunctæ cum eo, de quo dubitatur. Sic Medicus, & Chirurgus præsumitur scire, an vulnus aliquod sit lethale; Judex præsumitur bene functus suo officio; quilibet in particulari, si antè vitam duxit honestam, præsumitur bonus, nisi probetur oppositum. Econtra, qui semel fecit perjurium; præsumitur adhuc semel facturus. Unde ei non defertur juramentum suppletorium.

3*tium*. Tempus, vel locus. Sic qui hodie scitur esse pauper, continens &c. præsumitur anteà fuisse talis. Item præsumitur quis scire, quæ geruntur in vicinia; aut edictum in loco publico affixum, vel promulgatum.

4*tum*. Non dicta, non facta. Sic, qui ex duobus criminibus sibi objectis unum negat, & de altero tacet; fateri non præsumitur.

5*tum*. Favor juris specialiter assistens certis causis, vel personis. Sic præsumitur pro Matrimonio; pro libertate; pro valore actûs, pro exclusione peccati; in partem benigniorem.

6*tum*. Præterita v. g. gesta in adolescentia ad tempus præsens, & futurum; & præteritum præsumuntur.

7*mum*. Communiter contingentia. Sic, qui alteri damnum intulit, præsumitur id fecisse malo animo: unde præsumptio definitur: *Anticipata de re dubia opinio, ex argumentis, & indiciis, per rerum circumstantias frequenter evenientibus, desumpta.* Quæ si exprimatur in lege, dicitur præsumptio juris: ùt, si Lex, vel Canon præsumendo dicat: Videtur, intelligitur, creditur: arbitror; conjectura est. Tales extant in Jure *Canone finali. De restit. spoliat.*

Spoliat. in 6. Can. finali. de Presbyt. non baptiz. Can. unico. de Desponsatione imp. in 6. v. g. decimas spectare ad Ecclesiam Parochialem; baptizatum esse, qui inter Christianos natus, & educatus est; habere usum rationis, qui annum ætatis septimum implevit; debitorem liberari à debito, si chirographum sit cancellatum &c. Si autem formetur tantùm à Judice, vel viro prudenti, dicitur præsumptio hominis, uti dixi P. 1. N. 83.



TRACTATUS IV.

De Justitia in Judiciis fori externi servanda.

451. *Forum externum, & internũ.* NOta 1. Fori varia est significatio: nam forum in neutro genere aliquando significat territorium, seu locum publicum, in quo res venales exponuntur; forus autem in masculino significat locum Judicii. Derivatur in utraque significatione à *Fero*; quia illuc feruntur tum res venales, tum lites. Sæpe autem nomine fori venit judicium, jurisdictio, seu potestas judicandi, sive jus dicendi subditis, & in hoc sensu dicitur causa aliqua pertinere ad forum Ecclesiasticum, vel Sæculare, vel esse fori mixti, si pertineat ad utramque jurisdictionem. Forum in hoc sensu aliud dicitur externum, sive forum fori, in quo tractantur causæ in ordine ad externam Reip. seu Ecclesiasticæ, seu Civilis gubernationem; aliud internum, quod dicitur forum poli, seu con-

scien-

ſcientiæ, quod intus in mente hominis, ubi conſcientia eſt, exercetur. Hocque aliud eſt ſacramentale, in quo aliquid geritur interveniente abſolutione à peccatis; aliud non ſacramentale, in quo non intervenit Sacramentum Pœnitentiæ: uti, ſi quis extra hoc abſolvatur à cenſura occulta, & non deducta ad forum contentioſum.

2. Judicium, à Jure dicendo dictum, eſt legitima cauſæ, inter Actorem & Reum controverſæ, per Judicem facta diſcuſſio, & definitio. Variè autem dividitur. *Judicium fori externi, & ejus divisio.*

Ac 1mò quidem ex parte Judicis in Eccleſiaſticum, & Sæculare: Primum eſt, quod ad Judicem Eccleſiaſticum pertinet: ùt, ſi controverſia ſit vel de cauſis Eccleſiaſticis v. g. de Matrimonio, Beneficiis, Decimis &c. vel de perſonis Eccleſiaſticis; alterum ad Judicem Sæcularem pertinet, ùt, ſi contentio ſit de re ſæculari, & inter Laicos, vel ſaltem Reus ſit Laicus.

2. Ex parte materiæ dividitur in poſſeſſorium, cùm de ſola poſſeſſione; & petitorium, cùm de rei proprietate, aliove jure à poſſeſſione diſtincto agitur. Poteſt etiam ſimul cumulari, conſultiùs tamen primò agitur in poſſeſſorio.

3. Ex parte formæ dividitur in ordinarium, & extraordinarium ſeu ſummarium. Ordinarium eſt, in quo ordo Juris, ſeu forma ſervatur, nempe citatur Reus in Jus, libellus, ſeu intentio actoris in ſcripto porrigitur, fit litis conteſtatio, ſeu in litem conſentitur, Reo Actori contradicente, præſtatur, ſi petatur, juramentum calumniæ, proferuntur probationes, & demum ſententia Judicis in ſcripto. Hæc forma ſi non ſerve- *Ordo juris.*

tur, acta sunt irrita. Judicium extraordinarium est, in quo simpliciter de plano, sine solenni strepitu, & forma, inspectâ solâ facti veritate, proceditur. Debet tamen & in hoc Reus citari, & dari ei copia se defendendi, nisi causa sit notoria; & pateat, quòd nulla parti absenti defensio competat.

4. Ex parte finis dividitur in civile, in quo Actor suum, vel alterius commodum privatum prosequitur, sive causa ex contractu, sive ex delicto descendat; & in criminale, in quo agitur in causa criminis ad pœnam publicè infligendam, sive ea sit corporalis, sive pecuniaria, Fisco applicanda, aut publici officii privatio. Quodsi crimen tantùm sit contra Justitiam publicam, ùt: v. g. blasphemia, simonia, hæresis, oritur actio tantùm criminalis; si verò simul particularis persona per id sit læsa, ùt fit per homicidium, furtum, contumeliam, oritur actio criminalis simul, & civilis. Porro personæ, quæ ad judicium concurrunt, sunt Judex, Reus, Testes, Advocatus, Procurator, Assessor, Tabellio, de quibus hìc agendum, quantum ad Theologum pertinet.

CAPUT I.

De Judice.

QUÆSTIO I.

Quænam prærequirantur in Judice?

452. 2. Scientia. RESp. In Judice (qui est persona publica, ad id constituta, ùt secundùm leges, vel consuetudinem populo Jus dicat) prærequiritur

1mò. Scientia eorum, quæ pertinent ad ipsius officium, & sine quorum cognitione illud, ut oportet, exercere non potest. Quare scire debet leges, consuetudines, ordinem juris, casus ordinarios, in officio suo occurrentes, pro extraordinariis autem recurrere ad libros, & peritos. *Ratio est*; quia ex Justitia tenetur cuique tribuere jus suum, ferreque sententiam justam, utpote debitam tum communitati, tum parti. ad hoc enim se obligavit suscipiendo officium; obligatio autem faciendi includit obligationem sciendi: hinc petens, vel admittens officium Judicis, non instructus sufficiente scientiâ, peccat mortaliter, quia exponit se periculo graviter nocendi Reip. quapropter non est capax absolutionis, nisi paratus sit renuntiare officio, aut saltem per se illud non exercere, donec scientiam necessariam habeat. Sique ex defectu scientiæ damna causaverit aliis, sive in substantia litis, sive in superfluis sumptibus, tenetur compensare. Imò, si errorem etiam sine culpa â se commissum in præjudicium litigantis agnoscat, tenetur eum, si possit, corrigere v. g. suadendo parti læsæ, ut per appellationem, vel aliter sibi consulat. Hæc cum proportione valent etiam de Advocato, aliisque ad judicium concurrentibus.

2. Prærequiritur in Judice jurisdictio, tum in personas, tum in causam judicandam: aliàs sententia irrita est; quia procedens à non habente potestatem eam ferendi, ultra quam actus se non extendit: unde Judex injuriam facit, invalidè se ingerendo partium causis, & injustè usurpando alienam jurisdictionem, peccatque, per se loquendo, mortaliter. Potest *2. Jurisdictio.*

autem quinque modis alicui competere jurisdictio.

Quot modis alicui possit competere? 1. Ex officio, cui annexa est potestas authoritativa subditos judicandi, & hæc dicitur jurisdictio ordinaria, qualem habet Papa in omnes Baptizatos, Episcopus in omnes suos Diœcesanos, Princeps sæcularis in suos subditos. 2. Ex concessione ordinariam habentis, & hæc dicitur delegata. 3. Ex consensu Partium: ùt, cùm Partes se subjiciunt alicui, velut arbitro, vel Judici, modò de cætero potestatem habeat in similes, etsi non in illos. 4. Ratione delicti, in eo loco ab extraneo commissi, vel ratione domicilii, vel contractûs ibi celebrati, vel rei, de qua agitur, in suo territorio sitæ. 5. Ratione injuriæ, illatæ subdito alterius Principis, in defectu proprii, ad satisfactionem præstandam interpellati.

453. *Corollaria.* Hinc peccat graviter imò, & excommunicationem incurrit Judex sæcularis, si Clericum ad judicium suum citet, pertrahat, aut judicet; quia Clericus ab ejus jurisdictione Jure Divino, & Ecclesiastico exemptus est, ità, ut Clericus suæ exemptioni renuntiare non possit, etsi possit in civilibus se Judici sæculari subjicere, ùt arbitro, atque ùt Actor Laicum ad eum pertrahere, quo casu, si Reus eum conveniat, juxta multos judicari potest à Judice sæculari, quod tamen Juri Canonico negat Laym. esse conforme.

2. Si ad se pertrahat causas merè Ecclesiasticas. Si autem causa sit mixti fori, v. g. persona sit sæcularis, & pœna statuta à Jure Canonico, datur locus præventioni, potestque tam Judex sæcularis, quàm Ecclesiasticus præveniens judicare. Si verò causa sit mixta, id est,

est, ab utroque jure prohibita, Judex Ecclesiasticus procedere debet contra Ecclesiasticos, & Sæcularis contra Sæculares.

Exemptio Clericorum a sæculari jurisdictione.

Dixi: *Per se loquendo;* nam, licèt personæ Ecclesiasticæ non solùm Jure positivo Ecclesiastico, sed etiam Divino sint exemptæ à foro, & jurisdictione sæculari, non tantùm in causis, & actionibus personalibus; sed etiam in causis, & actionibus realibus quoad res Ecclesiasticas, & sacras, ùt sunt Sacramenta, Professio Religiosa, Juramentum, Officia, & Jurisdictio Ecclesiastica, Prælatura, Beneficia, Jus Patronatûs, Jus eligendi ad Prælaturas, Jus decimandi, res consecratæ, & benedictæ crimen hæresis, & probabiliter etiam simoniæ; imò etiam quoad res temporales, dicente *Conc. Lateranensi* sub Leone X. *Sess 9. in Bulla Reform. cùm a Jure tam divino, quàm humano Laicis nulla potestas in Ecclesiasticas personas attributa sit: & Trid. Sess. 25. C. 20. de Reform. Ecclesiæ*, personarum Ecclesiasticarum immunitatem Dei ordinatione, & Canonicis sanctionibus statutam esse: licèt, inquam, ità sit; viget tamen consuetudo in Gallia, & multis Germaniæ locis, præsertim apud Cameram Imperialem, ut Clerici, & Religiosi in causis realibus, seu quando intentatur actio realis, conveniri possint in foro sæculari, seu coram Judice Laico.

Quid de consuetudine contraria?

Atque hanc consuetudinem non improbant plures Canonistæ apud, & cum Pichler L. 2. T. 2. N. 10. modò de ea constet, &, utpote strictæ interpretationis, non extendatur ad casus, de quibus non constat, eam vigere, conanturque illam justificare, vel per tacitum consensum Pontificis, vel per jurisdictionem,

vel onus reale antè impositum bonis, & cum iis ad Ecclesias translatum, & per Jus sæcularibus, tanquam Advocatis Ecclesiarum, reservatum; putantque Jus Divinum, & privilegium, Clericis à Christo concessum, spectare immunitatem secundùm rationem genericam, abstractam à circumstantiis particularibus, relictumque esse Ecclesiæ Capiti determinare, in quibus locum habeat, vel non habeat. Similiter, teste Pichler N. 18. multi tenent, ubi viget consuetudo, posse circa rem spiritualem tractari coram Judice sæculari ubi agitur de nuda possessione, de mero facto. Videri potest La Croix L. 4. N. 140. ubi dicit, non posse per consuetudinem præscribi contra exemptionem Clericorum à jurisdictione sæculari.

454. *Nemo judex in propria causa.* *Petes.* Quis sit sensus axiomatis: *Nemo potest esse Judex in propria causa.* Resp. Sensus est, quòd nemo in propriam utilitatem directè ferre possit sententiam; quia Judex debet esse medius, & quasi diremptor inter Partes.

Dixi: *Directè*: nam 1mò potest Prælatus esse Judex in causâ suæ Ecclesiæ. 2. Si Judex à Parte requisitus sit, & dubitetur, an cognoscendi, & judicandi potestas ipsi competat; potest idipsum ante omnia decernere; quia sic judicat de potestate publica, non de bono privato. 3. Si causa sit notoria, quòd Judex ratione officii publici injuriam passus sit, posset Reum sine processu in continenti punire, ut publica potestas stet inconcussa. 4. Potest supremus Princeps lites inter se, & suos subditos cum suis Consiliariis cognoscere, & definire; quia cogi à subditis non potest, ut alterius arbi-

arbitrio se submittat, censeturque à Legum Conditore nihil injusti promanare. Layman L. 3. T. 6. C. 2. N. 11.

QUÆSTIO II.

Quot modis Judex juridicè procedat adversùs crimina, & quæ observanda?

Resp. 1. Procedere potest tribus modis: 1. Via accusationis, cùm Actor aliquis assumit in se onus probandi crimen, & dicitur accusator. 2. Viâ denuntiationis juridicæ, seu tendentis ad punitionem, cùm deferens crimen non vult suscipere onus probandi, & in hoc differt ab accusatore. 3. Viâ inquisitionis, cùm, nullo accusatore, vel denuntiatore viam aperiente, Judex capit informationes. 455. *Tribus modis.*

Est autem inquisitio triplex. 1ma est: Generalis, quâ Judex vi officii generatim inquirit, an Leges serventur. 2da est: Specialis, quâ inquiritur de crimine determinato, & personâ determinatâ: v. g. an Petrus commiserit homicidium hoc? 3tia est: Mixta ex utraque, cùm vel de solo crimine, vel solâ personâ determinatâ inquiritur: ùt, si constet, homicidium esse commissum, & inquiratur, quis illud commiserit, vel inquiratur in vitam Titii. Viam denuntiationis & inquisitionis Layman putat non distingui; quia denuntians tantùm dat occasionem inquirendi, sicut infamia. *Inquisitio triplex.*

Resp. 2. Judex, vel Magistratus, sine ulla data occasione, ex solo suo officio potest instituere inquisitionem generalem, & quandoque debet. In hac tamen ei non licet elicere crimina 456. *Inquisitio generalis licet.*

mina occulta, de quibus nulla est infamia. *Ratio 1mæ partis est*; quia id necessarium est ad bonum Reip. cui tenetur prospicere, nec ulli fit injuria. Quodsi occasione illius aliqua scelera occulta detegantur, id per accidens est, & præter intentionem Judicis, qui intendit bono communi consulere, quod prævalet famæ privati. *Ratio 2dæ partis est*; quia officium Judicis tantùm est, hocque regulariter solùm exigit bonum commune, ut crimina publica, & notoria, quibus Reus amisit jus ad famam, pro meritis puniantur: sique passim occulta proderentur, gravia inde orirentur incommoda: nempe perturbatio pacis, vilipensio bonæ famæ, cujus conservatio à peccatis retrahit; & consequens inde ruina in scelera; unde Judicis potestas ad id non debet esse concessa. Hinc subditus interrogatus etiam sub juramento nec tenetur, nec potest prodere crimen occultum alterius, nisi esset tale, quod vergeret in grave malum Reip. vel in perniciem animarum, & ejus manifestatio esset necessaria ad hæc certò avertenda: tum enim Superiori, saltem ut patri aperiri debet, ut mala avertat. Si quis per duos testes, etiam illicitè testantes, deprehenderetur author criminis, Judex eum punire posset; quia sine injuria, à se commissa, haberet notitiam.

457. *Specialis, nisi infamia præcesserit, vel æquivalens ordinariè non licet*

Resp. 3. Regulariter non potest licitè Judex specialem, vel mixtam de particulari persona facere inquisitionem, tendentem ad punitionem, nisi præcesserit infamia, vel aliquid æquivalens, quod justam det causam: tum quia Justitiæ vindicativæ, & Jurisdictionis punitivæ finis unicus est, ut publica & notoria crimina puniantur, ne scelera ex impunitate multiplicen-

plicentur in ruinam Reip. hic autem finis cessat, quando crimen adhuc est occultum, adeoque infamaretur sine justa causa proximus adhuc integræ famæ; tum quia Judex procedere debet ex scientia publica; hanc autem non habet, nisi per accusationem, vel Rei confessionem, vel infamiam, quæ non habetur per duos testes etiam juratos, & oculatos; quia crimen adhuc manet occultum; sed debet esse publica, probataque per duos saltem testes, qui nominent personas, à quibus id publicè audiverint: neque infamia de uno crimine dat Jus interrogandi de alio occulto, nisi sit crimen ordinariè connexum. Nec sufficit infamia orta à malevolis, sed requiritur, ut sit orta à bonis, & fide dignis.

Dixi 1. *Regulariter*: nam ut fiat inquisitio circa crimina excepta, quæ vergunt in perniciem Reip. ùt sunt hæresis, crimen læsæ Majestatis, proditionis, conjurationis, falsæ monetæ, latrocinii; non requiritur præcedens infamia, sed sufficit ex indiciis non levibus prudens suspicio.

Dixi 2. *Vel aliquid æquivalens*: ùt habetur, si adsit notoreitas, vel confessio criminis in judicio, etiam coram paucis, vel coram Judice, & Notario. Vide Less. cap. 19. N. 124.

Dixi 3. *Tendentem ad punitionem*: quia, quando agitur de malo impediendo, v. g. de beneficiorum, & officiorum collatione, vel de Matrimonio contrahendo, conferendis sacris ordinibus, licitum est de impedimentis, & delictis personarum particularium in genere inquirere, etsi nullus sit rumor. Omnia enim alioquin essent plena incestis, sacrilegis, vel nefariis conjugiis, & pravis rerum sacratum, & profanarum

narum ministris : hinc bonum commune præferendum est privato ; debent tamen delicta aperiri secretò, & minimâ, quâ fieri potest, læsione famæ. Quomodo excusentur judices sæculares, qui in criminibus, non exceptis, ex denuntiatione publici officialis ad id deputati, vel privati, aut partis læsæ, non suscipientis onus probandi, procedunt ad capiendas informationes, & indicia, & ex his libellum specialis inquisitionis formant, habet Less. L. 2. Cap. 29. Dub. 5. n. 132. De denuntiatione occulti hæretici Dixi P. 1. in A. N. 81. & erudite agit Sua. De fide Disp. 20. L. 4.

QUÆSTIO III.

Quid Judici liceat circa capturam, examen, & torturam Rei?

458. *Indicia levia, gravia, vehementia, maxima* — *Nota.* Indicia dicuntur, ex quibus colligi potest factum. Sunt autem alia levia, quæ dubitationem, vel levem suspicionem movent; alia sunt gravia, seu magna, quæ movent suspicionem gravem, seu reddunt factum valde credibile; unde generant præsumptionem, & credulitatem; alia sunt graviora, seu majora, quæ reddunt factum ferè, vel quasi moraliter certum, & hæc Less. Cap. 19. N. 151. vocat vehementia, ità, ut ad plenam certitudinem nihil deesse videatur, nisi sola Confessio; vel quæ ità probant, ut licèt non planè convincant, valde tamen ad plenam probationem accedant; alia maxima, quæ undequaque convincunt, & plenam probationem faciunt. Hæc ad condemnationem sufficiunt. Indicia magna ge-

generant præsumptionem probabilem, majora vehementem. Præsumptio enim est cognitio ex circumstantiis resultans, sive probabilis conjectura ex signis proveniens, quæ alio non adducto pro veritate habetur. Neutra illa sufficit ad condemnationem, sed requiritur vel moraliter certa, vel violenta. Vide La Croix N. 1438. Hoc notato.

Resp. 1. ad capturam Rei requiruntur in 459. dicia magna; quia capi tanquam Reum affert gravem infamiam, & magna incommoda. Unde charitas & Justitia exigit ad id non procedi, nisi ex magnis indiciis; & quidem quò persona est dignior, & captivitas futura ignominiosior, aut damnosior, eò majora requiruntur indicia. Idem dicendum de speciali inquisitione.

Captura praerequirit indicia magna.

Resp. 2. Tortura adhiberi potest in criminibus gravibus ad subsidium probationis, quæ nempe pœnam corporalem, vel triremium, non verò in iis, quæ pœnam exilii, vel pecuniariam tantùm merentur. *Ratio 1mæ partis est*; quia aliàs scelera gravissima passim impunè patrari possent in perniciem Reip. ab hominibus callidis, & audacibus, modò curarent, ut testes, aliaque indicia removerentur. *Ratio 2dæ partis est*, quia aliàs major pœna ad eliciendam confessionem criminis adhiberetur, quàm ex confessione infligeretur. 460.

Tortura semiplenam probationem.

Dixi: *In subsidium probationis*: hinc adhiberi non debet, si Reus sit convictus, ut de crimine condemnari possit. Ut autem licitè subjiciatur torturæ, requiritur semiplena probatio, quam faciunt 1mò. Testis unus omni exceptione major. 2. Rei confessio extra Judicium. 3. Fama publica à viris honestis orta, ac per testes

pro-

probata cum alterius indicii adminiculo, quod addo; quia fama sola non probat, sed habet se instar accusatoris. 4. Indicia magna, seu quæ faciunt factum ferè moraliter certum. *Ratio responsi est*, quia tortura est instituta in subsidium probationis, ut, quando argumenta, & indicia sunt valde magna, necdum tamen sufficientia, sic plena probatio eliciatur: nam confessio Rei in tortura extra hanc ratificata & permanens ad diem sequentem, ex semiplena probatione facit plenam.

461. *Ante sunt viæ mitiores adhibendæ.* Resp. 3. Ut Reum Judex licitè subjiciat torturæ, non debet tantùm adesse semiplena probatio, sed antequam procedat ad torturam, debet adhibere omnes vias mitiores deregendæ veritatis: est enim hoc medium postremum in defectu aliorum, damnosum, valdeque periculosum, & fragile, uti constat ex *L.* 1. *ff. de quæstione.* §. 23. & ex S. Aug. L. 19. *de Civitate.* C. 6. apud La Croix N. 1455. Innocentes enim sæpè coguntur vi tormentorum se fateri reos, & nocentes toleratâ torturâ probant se innocentes. Proinde Judex peccat graviter contra Justitiam, si secùs faciat; uti & si ità torqueat, ut spectatis viribus, & complexione sustinere, reo sit moraliter impossibile; estque tum confessio nulla, ac proinde ex ea non potest Judex procedere, etsi tortus eam ratificet metu novæ torturæ. Quòd si Reus semel tortus nihil sit falsus, non potest iterum torqueri, nisi nova accedant indicia; quia per torturam priora elisit. Si tamen crimen fassus in tortura, extra eam id revocet, potest iterum torqueri; quia indicia manent in suo vigore, si verò tertiò tortus, ac confessus, tertiò revocet, absolvendus est; quia præsumitur vi tormen-

torum

torum confessio extorta, adeoque involuntaria, & nulla.

Nota. Torqueri prohibentur (nisi in criminibus exceptis,) viri in magna dignitate constituti, ùt Officiales Principum, urbium Gubernatores, Nobiles equestris ordinis, &c. impuberes, senes, qui memoriâ vacillant, prægnantes, & nondum confirmatæ à partu.

Resp. 4. Peccat graviter contra Justitiam 462.
Judex, si metu tormentorum sine sufficienti- *Peccata*
bus ad torquendum indiciis eliciat confessio- *Judicis.*
nem. Si promissione impunitatis non obligatum fateri inducat ad fatendum, & hâc nocitiâ utatur ad puniendum; hâc enim confessione uti non potest, etsi ratificata, utpote nullâ cum sua ratificatione. Si tamen reus interrogatus teneretur fateri, promissio esset de re illicita, teneretur que Judex eum punire, nisi promisisset supremus Princeps. Hic enim, utpote potens in lege dispensare, tenetur stare promissione. Similiter peccat, si Reum interroget de suo crimine, dum nec infamia publica, nec semiplena probatio per testem, nec sufficientia indicia præcedunt. Item si ex levibus indiciis imponat Juramentum veritatis; quia Judex non potest procedere, nisi ex scientia publica, quam non habet per levia indicia. Vide dicenda de Reo.

QUÆSTIO IV.


An liceat Judici acceptare munera? 463.

Lege di-
Resp. Non licet acceptare non levia: vel *vinâ, &*
enim acceptaret pro sententia justa, & jam *humanâ*
venderet, quod suum non est, sed alteri ex *prohibe-*
Justi- *tur.*

Justitia debitum; consequenter tenetur restituere: neque enim sic dantur liberaliter. Vel acceptaret pro sententia injusta, & jam alteri parti facit injuriam: & quamvis tunc, si non excedant laborem, & periculum, secundùm dicta, non teneatur restituere ante sententiam declaratoriam criminis; non desunt tamen, qui tenent oppositum. Vel denique munera fuerunt liberaliter oblata, & sine onere; & jam ea acceptare jure positivo, divino, & humano, tam civili, quàm Ecclesiastico, in conscientia obligante, prohibetur. Nam Exod. 23. dicitur: *Nec accipies munera, quæ etiam excœcant prudentes, & subvertunt verba Justorum.* *Item Cap.* 10. *de vita, & honestate Cleric. & L.* 18. *de officio præf.* expressis verbis interdicitur: estque prorsus irrita sententia, lata pro pretio illicito. Hinc Judices, violantes hæc præcepta, peccant per se loquendo graviter. *Ratio autem est*; quia munera bene afficiunt Judicem erga dantem, affectus autem facit, ut intellectus magis attendat ad rationes dantis, magisque placeant, sicque paulatim totus animus in eum deflectat, & Judicium corrumpatur, quod maximè verum est de iis Judicibus, qui ad hoc perversionis periculum non reflectunt. Ob hanc rationem putat Lugo, jure naturæ prohibitum esse acceptare munera, quæ de se apta sunt inducere ùt plurimum corruptionem Judicis; quia licentia uni permissa præjudicaret bono communi, & saltem non aberit scandalum; quia subditi vel credent, vel meritò timebunt, muneribus flecti Judices. Et quamvis abessent ista, non tamen sat securi sunt Judices, munera

acceptantes; quia donatio sæpè non est satis voluntaria ad transferendum dominium: non rarò enim dant ea litigantes; quia timent, ne Judex plùs faveat parti adversæ, ne moras trahat, sicque non dant spontè, sed ad redimendam vexam, & pro actu ex Justitia debito: hinc quamvis probabiliter Judex non teneatur restituere; quæ accepit per donationem jure naturæ validam, nisi accedat sententia Judicis, declaratoria criminis; rectè tamen faciet Confessarius, eum obligando ad restitutionem, aut injungendo pro pœnitentia, ut det pauperibus, sicque, carens commodo, deinceps caveat legum transgressionem; quia Doctores de obligatione restituendi non conveniunt, & sæpè dona non sunt merè gratuita, sed pro avertenda vexa.

Dixi: *Non levia*: nam excipiuntur leviora munuscula, ex quibus perversionis periculum non est, & cessat ratio legis prohibentis, præsertim si offerantur, ut Judex excitetur ad diligentiam exactiorem, quàm debeat impendere, aut ut aliud onus indebitum subeat. Sic *Cap.* 11. *de Rescriptis.* Judici permittitur acceptare esculentum, & poculentum merè liberaliter oblatum, quod paucis diebus consumi potest; sed cavendum est scandalum. Vide La Croix L. 4. N. 1499.



QUÆS-

QUÆSTIO V.

An Judex, si advertat, unum ex litigantibus, vel Advocatum ejus, omittere aliquid, quo allegato evinceret litem, teneatur, vel possit illi id suggerere?

464. *Juxta multos non potest.* Resp. 1. Juxta multos nec tenetur, nec licitè potest. *Ratio est*; quia sustinet personam publicam, & procedere non potest, nisi ex scientia publica, adeoque tenetur judicare secundùm allegata, & probata per partes litigantes, & esse indifferens, nec agere Advocatum unius partis. Juxta hanc sententiam suggerendo id parti, peccat graviter. Econtra Baldus tenet, posse suggerere, non tamen teneri. At Dicast. *de Justitia.* L. 2. Tr. 1. D. 5. N. 285. & nonnulli apud Dianam, qui hanc sententiam vocat probabilissimam, teneri asserunt suggerere. Ratio hujus sententiæ est 1. Quia hoc ipso, quòd Judici causa proponitur, tenetur ex officio examinare omnia, quæ necessaria sunt ad cognitionem causæ, tum circa factum, tum circa jus, & curare, ut omnes Officiales ritè sua peragant; ergo, si advertat, quòd Advocatus unius omittat, quo allegato veritas causæ appareret, potest, & tenetur id suggerere. 2. Quando litigans venit ad Judicem, & justitiam petit, censetur petere, ut causæ suæ, & juris curam habeat, idque examinet, aut examinari faciat, & secundùm id examinatum pronuntiet, non verò censetur esse contentus, ut agere alios sinat ex negligentia, inscientia, aut malitia, quod volunt, & secundùm allegata pronuntiet ipse, sciens

sciens sententiam ex objecto esse injustam. 3. Si Judici satis esset sic pronuntiare secundùm allegata, & probata, innumeris periculis injustæ sententiæ, & ipse, & litigantes essent expositi. Unde judicare debet secundùm allegata, & probata, sed non quomodocunque, verùm, quantùm ipse scire potest, sufficienter: aliàs posset & dissimulare probationes ex jure, omissas ex negligentia, vel malitia Advocati. 4. Licèt juxta S. Th. aliósque multos Judex teneatur juridicè probatum reum mortis ad eam condemnare, quem scit privatâ scientiâ innocentem, quando non potest eum ostendere innocentem; tamen debet omnia adhibere, ut, si possit, eum liberet; ergo obligatio judicandi secundùm allegata, & probata, non est tanta, ut Judex sciens ea esse falsa, non possit curare, ut detegantur. Cujus ratio à priori est; quia lex obligans Judicem, ad judicandùm secundùm allegata, & probata, lata est, tùm ut vitetur acceptio personarum, & scandala, quæ ex suspicione ejus orirentur, si Judici liceret judicare secundùm privatam scientiam; tum ut veritas securiùs attingatur. Hic autem finis illius legis cessat; nam & publicè proponuntur suggesta, & veritas locum habebit.

Resp. 2. Cum distinctione: Judex tenetur supplere, vel suggerere ea, quæ juris sunt, & ab Advocato, vel partibus omissa; non autem quæ sunt facti. Pars 1ma sumitur ex textu *in L. unic. C. ut quæ sunt Advocatis.* Et *Ratio est*; quia debet administrare justitiam secundum jura: Juris autem sunt 1mò examinare libellum, & ineptum rejicere. 2. Deferre juramentum calumniæ, ubi necesse est, 3. Dilationes concedere. 4. Testes non le- 465.

Tenetur supplere, quæ juris sunt, non quæ facti.

gales repellere. 5. Exceptionem præſcriptionis, & ſenatûs conſulti Vellejani ſuggerere. 6. Præſcriptionem illegitimam, inſtrumentum falſum, &c. rejicere, & ſimilia, quæ ſi pars vel Advocatus non advertat, tenetur Judex ſuggerere, vel ſupplere. Ratio *2dæ partis eſt*; quia, ſi ſuggereret, quæ ſunt facti, ſe ſuſpectum redderet de ſtudio partium. Facti autem ſunt. 1. Producere teſtes, inſtrumenta, vel alias probationes. 2. Exceptiones opponere, quæ non ſunt juris. 3. Allegare privilegium ſpeciale &c. Excipe tamen, niſi factum ſit notorium, vel reluceat ex actis, v. g. quòd Reus jam præſcripſerit, quòd habeat privilegium. Item ubi verſatur periculum animæ, vel agitur de bono publico, aut de cauſa pia. Ità Pichler de officio Judicis Tit. 32. N. 6. & alii.

QUÆSTIO VI.

Quæ Judex obſervare debeat in ferenda ſententia?

466. *Servandus ordo juris, leges, & conſuetudo loci*

Reſp. Sequentia: 1. Tenetur ſervare ordinem juris, & judicare ſecundùm leges, & loci conſuetudinem, tempore, & modo debito. *Ratio eſt*; quia id exigit ejus officium, quod ſuſcipiendo, ad ea ſe obligavit.

Quare peccat, regulariter loquendo, primò ſi condemnet non citatum, nec auditum; quia ſic arma eriperet Reo ſe defendendi, quòd repugnat juri gentium, ſi non naturali. Dixi: *Regulariter loquendo*: Nam 1. poteſt condemnare citra ordinem juris, ſi crimen ſit ità publicum, ut nullum relinquat Reo locum ſe defendendi in

in judicio. Sic latrones in crimine deprehensi quandoque è vestigio suspenduntur ; id quod & fit quandoque in bello, militibus peccantibus contra mandata Regis, vel Ducis : Factum enim notorium vicem subit accusatoris, & testium. 2. Si ex processu juridico immineat periculum rebellionis, vel alterius gravis perturbationis in Republica. Quo tamen casu debet causa privatim discuti, nisi sit omninò evidens. 3. Si crimen sit Principi, vel aliis tribus, omni exceptione majoribus, notum, ità, ut juridicè probari possit, & Reus nequeat sine gravi incommodo publicè puniri : hoc enim casu reus mortis occultè poterit interfici sine citatione, & probationibus publicis; quia tum constat Reo nullum esse in judicio defensionis locum, & Judex agit, ut defensor suî, vel Reip. potiùs, quàm ut Judex. Idem dicit Less. si crimen esset enorme, & ob infamiam non expediret vulgari, v. g. si quis Reginæ vim intulisset, & Rex solus id sciret. Hoc casu putat Lessius Rempublicam consentire.

2. Peccat Judex, si delicta non puniat, & pœnas statutas non exequatur : quamvis enim Judex supremus ob justam causam possit pœnas relaxare, vel mitigare, non potest tamen id sine proportionata causa ; Judex verò inferior id nequit, nisi ob bonum commune Reip. aliud necessarium esse declaret Epiikia, & non sit recursus ad superiorem, vel de privata injuria actoris agatur, & is consentiat.

3. Peccat, si sine justa causa sententiam differat, & non maturè, ùt par est, expediat. Hæc enim est Reip. voluntas. Quare tenetur compensare damna, ex injusta dilatione secuta, & multò magis, si sententiam injustam

ſcienter, vel ex negligentia graviter culpabili ferat.

467. *In diſpoſitionibus piis ſecundùm Canones judicare debet.* II. Tenetur Judex in cauſis piis judicare ſecundùm Canones, & non ſecundùm Jus civile: Unde Judex etiam ſæcularis tenetur ſtare pro teſtamento ad cauſam piam ſignato tantùm manu teſtatoris defuncti, aut condito ſine inſtitutione hæredis. Idem eſt de legatis piis, inſertis teſtamento profano, deſtituto ſolennitate Juris.

468. *Non niſi ex ſcientia publica, per ſe loquendo.* III. Niſi ſcientia privata obſtet, tenetur judicare ex ſcientia publica: non enim habet poteſtatem judicandi, niſi ùt perſona publica, proinde nec niſi ex ſcientia publica, quæ habetur per teſtes, legitimaque inſtrumenta, & acta: ſic enim bonum commune exigit, ne Judicibus detur occaſio judicandi pro ſua libidine, exercendique tyrannidem, ſupprimendi innocentes, eiſque eripiendi arma ſe defendendi.

469. *Et ſecundùm probabiliorem in cauſis civilibus.* IV. In cauſis civilibus tenetur judicare ſecundùm probabiliorem juris & facti; ubi verò eſt æqualis probabilitas, tenetur dividere ſecundùm dicta P. 1. N. 103. quia tenetur judicare ſecundùm allegata, & probata, ſaltem niſi ſcientia privata obſtet; ergo, quando hæc ſunt fortiora, tenetur pro iis; ſi verò ſint æqualia, pro utraque parte iis conformiter judicare: Judex enim eſt, & dicitur ex eo, quod populo Jus dicat. In criminalibus autem gravioribus, ùt causâ mortis mutilationis, perpetui carceris, &c. quando pro Reo eſt probabilitas etiam minor, illi favendum eſt conformiter dictis P. 1. N. citato.

470. *Nocentē ſciens* V. Quem Judex privatâ ſcientiâ ſcit nocentem, ſi juridicè ſit probatus innocens, eum con-

condemnare non potest; quia cum sustineat personam publicam, non potest judicare, nisi ex scientiâ publicâ: non enim concessa est alia judicandi potestas, ne detur ei occasio pro arbitrio suo judicandi: unde nec potest quidquam suggerere contra reum mortis, vel mutilationis, &c. cùm nulli fiat injuria, secùs ac in casu. N. 465.

condemnare non potest, si probetur innocens.

QUÆSTIO VII.

An Judex licitè possit condemnare Reum, quem privatâ scientiâ scit esse innocentem, si juridicè probatus sit nocens?

Resp. Condemnare licitè non potest, saltem 471.
in causis criminalibus gravioribus, ut est causa mortis, mutilationis, &c. Ità multi, & graves Doctores contra S. Thom. ejusque sequaces, præsertim antiquos Theologos.

Non potest in causis criminalibus gravioribus.

Probatur 1. Ex Jure naturali: nam intrinsecè malum est, directè occidere illum, quem quis scit innocentem; atqui Judex directè occideret, quem sciret innocentem; Ergo. Major constat. Neque Respublica potest Judici ad id dare facultatem, neque Deus illi eam concessit: nam Exod. 23. jubet Deus: *Non suscipies vocem mendacii, nec in judicio plurimorum* (testium) *acquiesces sententiæ, ut à vero devies: .... Insontem, & justum non occides.* Minor quoque constat. Confirmatur. Judex sciens privatim alicujus matrimonium esse nullum, etsi juridicè probetur validum, non potest eum obligare ad usum matrimonii, nec is eo uti potest, etsi Judex imperaret.

Probatur 2. Ex Jure Canonico, quod *Cap. 1. de sententia, & re judicata* jubet Judices procedere *secundùm conscientiam, & justitiam, solumque Deum præ oculis habere, cùm æterni tribunal Judicis illum reum non habeat, quem injuste Judex condemnat*: Atqui talis Judex non procederet secundùm conscientiam, cùm innocentem sciat: nec secundùm Justitiam; quia hæc exigit æqualitatem, & proportionem inter pœnam, & delictum; delictum autem hic non est. Confirmatur. Secundùm jam dicta ex sententia damnata, Judex non potest judicare juxta opinionem minùs probabilem; ergo multò minùs juxta opinionem, vel testimonium certò falsum.

Probatur 3. Ex Jure civili. Nam hoc quidem jubet, Judicem procedere secundùm allegata, & probata: at unicè ideo, ut illi innotescat certiùs veritas, utque minùs sit expositus periculo errandi circa merita causæ: non verò quando illi aliunde certò constat veritas causæ. Constat ex *L. 6. ff. de officio præs.* ubi dicitur: *Præses Provinciæ id sequatur, quod convenit cum fide eorum, quæ probabuntur, ne veritas vitietur erroribus.* Sed, quod falsum esse, Judex certò cognoscit, id ùt verum nequit probari, & nullius fidei sunt testes, quos constat falsum testari. Præterea, quando veritas, quam per testes obtineri volunt Jura, jam aliunde certò cognoscitur, cessant testimonia, velut medium inutile detegendæ veritatis. Denique Jus civile prohibet fidem haberi testi suspecto; ergo nec vult credi certè falso, sed vult judicem procedere secundùm suam, non aliorum sententiam, & judicium. Per *Legem 1. §. 6. C. de vet. jure enucl.* Vult tot cautelas quoad testes, & probationes adhi-

adhiberi ideo præcisè, ne innocens opprimatur; ergo credibile non eſt, quòd velit condemnari, & ſic opprimi innocentem per teſtimonia, & probationes Judici certò falſas, & ſic detorqueri in diſpendium, quod in innocentis favorem introductum eſt. *Reg. Juris* 61. *in* 6.

Dixi in reſponſione: *Saltem in criminalibus gravioribus*: nam, an id quoque ſervare teneatur, dum agitur in cauſis civilibus, vel aliis criminalibus, v. g. pecuniaria mulcta, aut carcere non perpetuo, privatione officii, beneficii, &c. non convenit inter Patronos ſententiæ noſtræ. Negant Leſſius, Layman, Lugo, Haun. Pirrhing, & alii, qui etſi teneant, Judicem obligari ad conandum omni induſtriâ, ut veritas detegatur, vel proceſſus impediatur; id tamen ſi non poſſit efficere, putant, licere Judici ſententiam ferre ſecundùm allegata, & probata; tum quòd Reſp. ex dominio alto poſſit dominium bonorum fortunæ de uno in alterum transferre juſta de cauſa, qualis hic ipſis videtur eſſe, ne forma Judicii cum ſcandalo perturbetur; tum quòd nemo civium poſſit eſſe rationabiliter invitus, tunc contra ſe ferri ſententiam, cùm videat Judicem juvare non poſſe, nec par ſit, ut hic officium dimittat; cùm fortè nihilominus Reus ab alio ſit condemnandus; tum quòd bona iſta aliis modis facilè recuperari, aut compenſari etiam occultè poſſint: neque enim mens Reip. eſt, aut eſſe poteſt, ut per ſententiam, falſis probationibus nixam, quis re ſuâ privetur: id enim eſſet abſque neceſſitate calumniatoribus favere. Verùm, etſi hæc quoad bona fortunæ faciliùs admitti poſſe videantur, dura

An idê dicendum in cauſis civilibus?

tamen sunt quoad reliqua: ùt, si quis innocens, cùm jactura famæ, quæ evitari hìc non posset, privaretur honorabili officio, vel Beneficio Ecclesiastico, aut ad carcerem condemnaretur. Unde alii universim negant, posse Judicem, quem scit innocentem, scientiâ privatâ condemnare etiam in causis Civilibus, etsi juridicè probatus sit nocens. 1. Quia id repugnat juri naturali, & justitiæ, tam commutativæ, quàm vindicativæ, quæ exigit æqualitatem & proportionem inter obligationem & solutionem, inter pœnam & delictum; at inter solutionem & obligationem nullam, inter delictum duntaxat apparens, & reipsâ nullum, & pœnam, nulla datur proportio, vel æqualitas; ergo, cùm non sufficienter probetur, quòd jura humana recesserint à jure naturæ, fundato in justitia commutativa, & vindicativa, id asserendum non est. 2. Probationes desumptæ ex Jure Canonico, & Civili pro innocente ex causa criminali graviore, eodem modo procedunt pro innocente in causis civilibus, & criminalibus levioribus. Ità Pichler & alii multi.

Quæ Adversarii opponunt, non convincunt.

Nam 1. Licèt ad probandum sufficiant duo testes, non tamen, quando scitur, eos testari falsum: tum enim iis credi non potest.

2. Judex in tali casu non habet scientiam publicam contra Reum; cùm sciat esse errorem, vel calumniam, quam utique sequi non tenetur.

3. Executor, si sciret privatim, sententiam mortis esse injustam, velùt loquitur S. Thom. intolerabilem continere errorem, non potest eam

eam exequi ob rationem datam, & aliàs excusari possent carnifices, qui SS. Martyres, & Judæi, qui Christum occiderunt. Imò nec in aliis exequi potest sententiam notoriè injustam, cùm sit nulla. Dein, etsi detur, quòd in Civilibus sententiam non notoriè injustam, quam privatim scit injustam, teneatur exequi per *Cap. 28. §. Quia verò. de officio Judicis delegati.* si ità Judex mandet; cùm ipsi non concedatur, sic bono communi exigente, examinare sententiam: non tamen tenetur Judex ex ullo juris præcepto obsequi testibus, sed debet eorum fidem examinare, & iniquos repellere.

4. Probatus nocens, etsi apparenter aliis non sit innocens, est tamen reipsâ, & Judici innocens, qui veram innocentiam attendere debet. Si falsi testes facerent nocentem, & ob eorum testimonium quis condemnari posset; nec Christus fuisset innocens, sed justè condemnatus.

Petes. Quid ergo faciet Judex in casu, in quo scit, innocentem esse eum, qui juridicè probatus est nocens? R. Debet tentare omnia, ut eum liberet, scilicet, sæpe, & per intervalla resumere examen testium, an non varient, eos increpare, repellere Actorem, vel accusatorem, dicendo, sibi constare Rei innocentiam, differre sententiam, ut interim veritas detegatur magis, aperire carcerem, si sine scandalo fieri possit. Si omnia attentata non juvent, Judex inferior debet causam deferre ad Judicem superiorem, depositâque personâ Judicis, apud illum testem agere pro innocente. Si nec hoc juvet, debet potiùs cedere officio, quàm proferre in eum sententiam mortis, vel mutilationis.

Quid in eo casu faciendum judici?

nis. In civilibus tamen non tenetur cedere potiùs officio cum majori detrimento tum dignitatis ſuæ, tum bonorum fortunæ, quàm paſſurus ſit Reus; hic enim tunc rationabiliter invitus eſſe non poteſt, ſed debet id ſiniſtris caſibus annumerare, poteritque deinde Judex aliis modis indemnitati ejus conſulere, quod & charitas ab eo poſtulabit.

CAPUT II.

De Accuſatore, Denuntiatore, & Teſtibus.

QUÆSTIO I.

Quis poſſit, & teneatur accuſare, vel denuntiare?

472. *Quid ſit accuſatio, & denuntiatio?* NOta. Accuſare eſt delictum Rei deferre, vel manifeſtare Superiori, tanquàm Judici ad vindictam publicam, vel, ſi minùs ſtrictè accipiatur, etiam ad ſatisfactionem debitam obtinendam, quam accuſator velut actor exigit, & Judex ex officio præſtare debet, ſervato juris ordine. Unde accuſatio propriè dicta eſt delatio Rei de crimine ad vindictam publicam, quæ finis ejus eſt ad exemplum populi, ut omnes ab ejuſmodi criminibus ſibi caveant. Debet autem fieri in ſcripto, & in hoc exprimi dies, & annus, quo intentatur, nomen accuſatoris & accuſati, ſpecies delicti, menſis & annus delicti commiſſi, ne accuſatio reddatur incerta & lubrica, Reoque eripiatur facultas ſe defendendi, probando negativam,

tivam, & testes convincendo falsi. Non est tamen opus, in libello exprimere diem delicti commissi; quia alioquin potestas probandi nimis restringeretur: facilè enim posset fieri, ut quis diei vel etiam hebdomadæ oblivisceretur; quia non ità cadit sub sensum, utì locus; si tamen Reus petat exprimi diem & horam, cogendus est actor juxta Lessium L. 2. Cap. 30. sub Num. 4. quia aliàs intercluderetur Reo locus defensionis, cùm aliter probare non posset, se non fecisse, quàm ostendendo, se eo tempore non potuisse facere, eò quòd fuerit alibi, vel infirmus. Si tamen accusator non meminit diei & horæ, potest jurando se non recordari, defungi. Si meminerit & dicat diem & horam, non tamen tenetur probare; quia ad hoc se non obstrinxit. Si sponte posuit diem & horam, & non possit probare, poterit nihilominus Reus condemnari, si per testes, omni exceptione majores, sit probatum, delictum esse commissum tali tempore & loco: tunc enim parum refert, quòd erratum sit in die, vel horâ, & loco particulari: nam delictum punitur; quia commissum esse constat, non verò, quia hoc vel illo loco vel die commissum est; nisi pendeat delictum à circumstantia loci vel temporis: ùt, si quis tempore, die vel loco prohibito piscatus, venatus, vel pastus esset. Similiter, si qualitas vel conditio, delictum tantùm aggravans, sit posita in libello, & probari non possit, probetur autem substantia delicti, ad proportionatam pœnam Reus condemnari debet; quia interest boni communis delicta puniri. Accedit, quòd in libellis soleat apponi clausula, quâ accusator testa-

testatur, se nolle obligari, nisi ad probandum id, quod necessarium & principale est.

2. Denuntiare est deferre, vel legitimè manifestare delictum Superiori, ut suo munere fungatur, & providentiâ utatur ad aliquod damnum impediendum, vel emendandum. Unde denuntiatio est legitima manifestatio, facta Superiori ad prædictum finem. Differt ab accusatione, quòd possit fieri ordinariè sine inscriptione, & solis verbis, nec importet obligationem probandi, utì importat accusatio. Denuntiatio dividitur in Judicialem, & Evangelicam; quia exponitur in Evangelio à Christo Matthæi 18. quæ enim fraterna dicitur. Hæc est, quâ delictum proximi defertur ad Superiorem, ut patrem, ad id jam commissum emendandum, vel in periculo avertendum. Judicialis est, quâ defertur delictum ad Superiorem, velut Judicem in ordine ad vindictam publicam pro bono communi, ne delicta maneant impunita. Ad hanc reducitur etiam denuntiatio, quâ delictum, fraternâ correctione sine fructu adhibitâ, defertur ad Superiorem, ut is vel paternâ correctione utatur, vel si hæc non proficiat, judicialem processum instituat ad damna à proximo vel communitate avertenda, vel subditum efficaciùs corrigendum. *His notatis*

473. Resp. Accusare, vel denuntiare tenentur

1. Ad id constituti. 1. Qui ad hoc à Republ. vel Dominis sunt constituti, quales sunt Fiscalis, vigiles, & custodes agrorum, vinearum, sylvarum &c. saltem quoad necessarium est ad avertenda damna alioquin tenentur ad ea compensanda: suscipiendo enim officium, ad hoc se obligârunt ex Justitia.

2. Pri-

2. Privati tenentur accusare, vel denuntiare, quando crimen est contra bonum publicum, & pendet adhuc in futurum, vel continuandum putatur. Talia crimina sunt hæresis, proditio, significatio consiliorum Principis facta, vel facienda hosti, cusio falsæ monetæ, veneficium, latrocinium; quia quisque tenetur, etiam cum suo damno, consulere bono publico, utpote prævalenti bono privato. 2. *Quandoque alit.*

3. Est obligatio quandoque accusandi, vel denuntiandi, si grave damnum immineat proximo innocenti ex crimine, quod aliter averti non potest; quia charitas postulat, ut innocenti succurratur contra iniquum. Si tamen gravius hic damnum pati deberet, quàm alius privatus, juxta La Croix L. 2. N. 217. non est semper obligatio accusandi, vel denuntiandi; quia, cùm uterque sit proximus, non est, unde nascatur obligatio unum gravius damnificandi in gratiam alterius. Est autem obligatio, si innocens sit valde conjunctus v. g. si sit parens vel filius, si damnum redundet in Communitatem, si damnificatus teneatur damnum illud subire ad liberandum innocentem.

4. Non teneris, imò nec licitè potes, etiam posito Superioris præcepto, denuntiare crimen; si delinquens emendatus est sine periculo recidendi, & Parti læsæ satisfactum sit, & crimen sit occultum, nec in judicio probabile, nec periculum immineat aliis; quia sine causa proximi infamia sequeretur, vel: si inde immineret grave tibi periculum honoris, vel vitæ, aut rerum tuarum, & crimen non vergat in perniciem Reipubl. Item si cogereris probare, & non posses.

5. Accusare prohibentur imò excommunicati, proditores, infames, idque in pœnam cri-

criminis. 2. Filii suos parentes, servi dominos ob reverentiam. Clerici in causa sanguinis ob indecentiam. *Excipe*, nisi bonum commune aliud exigeret.

QUÆSTIO II.

An, & quando Accusationi vel denuntiationi præmittenda sit secreta correctio, juxta illud Christi Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus* &c.?

474. *Non accusationi.* Resp. Quando crimen est probabile in judicio, non tenetur accusator, & denuntians juridicè, regulariter loquendo, præmittere secretam monitionem, seu correctionem fraternam, v.g. ut Reus desistat, vel satisfactionem præstet; sed potest sine injuria accusationem instituere. *Ratio est;* quia, sicut Judex potest delictum licitè punire; ità potest alius licitè id procurare ex amore boni communis: idem enim bonum utrimque intenditur, ut scilicet, timore pœnæ, homines à delictis deterreantur; & quamvis privatus non teneatur ex officio, uti Judex; potest tamen famam proximi bono communi postponere. Dixi: *Regulariter:* nam licèt Judex possit punire ad exemplum publicum, crimen jam plenè emendatum, & de eo etiam accusare privatus sine injuria; hoc tamen videtur minùs conforme charitati, præsertim, si persona habeatur honesta, estque periculum affectûs sinistri, si nihil ultra incommodi timendum sit.

Sed denuntiationi Evan- Econtra denuntiaturus denuntiatione Evangelicâ, tenetur priùs monere peccatorem, si putet emendatum iri; quia finis hujus denun-

tiatio-

tiationis est emendatio fratris : quæ si privatâ monitione æquè obtineri possit , sine causa læditur fama proximi. Finis autem denuntiationis judicialis, est vindicta publica, ad bonum publicum ordinata , quæ privatâ monitione non obtinetur. Vide dicta de Charitate P. 2. N. 102. & Lug. Disp. 37. N. 79. Item L. 4. Mor. D. 46.

gelicæ præmittenda est.

Controvertitur , quomodo verba Christi : *Si peccaverit in te frater tuus* &c. intelligenda sint ? Putant aliqui , esse hunc sensum : Si peccaverit in te , id est , contra te , inferendo tibi injuriam : in patientia & spiritu lenitatis corrige eum privatim. Si audierit te, præsterque, quod debet, lucratus es fratrem tuum ; si te non audierit , adhibe tecum unum vel duos , ut sit admonitio efficacior , iique sint testes privatæ tuæ correptionis ; sicque nec horum monitis obtemperet , dic Ecclesiæ seu Prælato , cui si non obediat , sit tibi tanquam extraneus Ecclesiæ. Hi tenent, verbis Christi tantùm contineri consilium istius ordinis. Alii contrà tenent, verba esse præceptiva , sensumque esse : *Si peccârit in te*, id est, coram te, tibique ità , quantum est de se , dederit scandalum , atque ità peccârit in te ; corripe eum inter te , & ipsum solum. Utraque sententia habet pro se testimonia Patrum apud Suar. Tom. 4. L. 10. C. 7. N. 7. sed juxta Suarez ibidem N. 10. reipsâ non est, nec esse potest controversia quoad doctrinam moralem ; eò quòd Christus non tulerit nova præcepta , nisi de Sacramentis , ibique explicaverit tantùm præceptum naturale charitatis erga proximum , vi cujus, & corrigendus est proximus, & famæ ejus consulendum.

Verba Christi de correctione fraterna exponuntur.

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quot, & quales ad legitimum Judicium Testes requirantur, & sufficiant?

475. *Requiruntur saltem duo.* Resp. Ordinariè ad plenam probationem in judicio requiruntur, & sufficiunt duo testes, omni exceptione majores, & jurati: nam Matthæi 18. dixit Christus Dominus: *In ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum.* Debent autem testes sensu externo percepisse, & non tantùm ab aliis audivisse id, quod testantur, & de eodem facto cùm iisdem circumstantiis deponere; aliàs erunt tantùm testes, ùt vocant, singulares, & plenam probationem non facient.

Dixi: *Ordinariè*: nam aliquandò unus sufficit, nempe ad impediendum Matrimonium ex Cap. 27. *De Sponsalibus*, & ad leviores pœnas. Sic ad testimonium publici custodis puniri solent furantes ligna in sylva communi: hoc enim expedit ad bonum commune; aliquandò verò plures requiruntur v. g. ad testamentum solenne.

Dixi 2. *Omni exceptione majores*, id est, tales, contra quos jure nihil opponi potest.

Qui testes esse non possint; Unde regulariter non possunt testari legitimè sequentes: 1. Servus, seu mancipium. 2. Mulier vi juris Canonici in Criminalibus, quæ tamen Jure Civili in omni causâ ad testandum admittitur, utì & Jure Canonico in causâ, quæ non nisi per mulieres cognosci potest. 3. Minor 20. annis in Criminalibus, & impubes in Civilibus, qui tamen factus pubes, testari potest de iis, quæ vidit impubes.

bes. 4. Furiosi & amentes, qui tamen, si habeant lucida intervalla, quandoque admittuntur ad testandum ea, quæ in iis viderunt. 5. Infames infamiâ juris, vel facti, qui ob notitiam publici criminis apud prudentes amiserunt existimationem. 6. Personæ inopes, & viles: pauper tamen admittitur, si sit bonæ famæ, nec prudenter timeatur fidem habere venalem. 7. Inimici. 8. Sanguine juncti, & domestici actoris; quia in his fides potest esse suspecta. Quando tamen crimen est tale, ut non soleat committi, nisi inter domesticos, domesticum testimonium admittitur, dum crimen aliter probari non potest. Valet quoque testimonium domestici pro domestico contra domesticum; quia non subest suspicio affectionis. Domestici autem ii soli dicuntur, qui cohabitant, & aliquo modo subsunt potestati ejus, à quo tanquam testes producuntur. 9. Perjuri. 10. Socii criminis. Denique idem nequit esse accusator, & testis, nisi in rebus levis momenti. Porrò qui solo jure positivo excluduntur, possunt esse testes in criminibus exceptis. Item quando delictum est commissum eo tempore, & loco, ut alii testes haberi non possint v. g. in campo, sylvâ, cubiculo, nocturno tempore; quia bono communi debet posse consuli. Qui ordinariè testes esse non possunt, his verbis exprimi solent:

Conditio, Sexus, Ætas, Discretio, Fama,
Et Fortuna Fides; in testibus ista requiras.

Videri potest La Croix L. 4. N. 1515. ubi varias affert circa testes exclusos exceptiones.

QUÆSTIO IV.

An citatus ad teſtandum, & interrogatus à Judice, teneatur reſpondere, & veritatem dicere?

476. *Tenetur interrogatus legitimè niſi cauſa juſta excuſet.* Reſp. Si legitimè, ſeu juridicè à competente Judice citatus, interrogetur, tenetur veritatem ſibi cognitam edicere, niſi legitima cauſa excuſet. *Ratio eſt;* quia tunc adeſt præceptum Superioris juſtum, cui obediendum eſt, niſi legitima cauſa excuſet, poſtulatque bonum commune, ut pareat: aliàs enim Judex ſuo officio fungi non poſſet.

Dixi 1. *Si citatus interrogetur*: nam nemo tenetur ſe ſpontè offerre ad teſtandum, niſi immineat damnum publicum, vel grave malum proximo ab authore criminis, quod aliter, quàm per Judicem impediri non poſſit; aut aliquis denuntiâſſet, vel accusâſſet ex obligatione ſub peccato, & propter negatum teſtimonium pateretur: in his enim caſibus teneretur ſe offerre ad teſtandum, ſi videret ſuum teſtimonium eſſe neceſſarium.

Dixi 2. *Si legitimè interrogetur*: aliàs enim teſtari non tenetur: ut autem legitimè interrogetur, requiritur, tum ut Judex ſit competens, tum ut author criminis vel laboret publicâ infamiâ, vel anteceſſerit juſta denuntiatio, vel accuſatio, & crimen plenè probari, ſi teſtis accedat, poſſit, vel ſemiplena probatio, aut alia indicia ſufficientia ad inquirendum & teſtes examinandos. Unde ſi crimen ſit notorium, author tamen occultus, teſtari non tenetur contra eum, niſi aliud exigat bonum commune,

mune, vel proximi, conformiter jam dictis. Quodsi interrogatus respondeat, non debet tacere, quæ sunt in favorem Rei, aliàs testimonium vitiosum, & injuriosum erit. Si testi opponatur defectus ad infirmandum ejus testimonium, is à Judice interrogatus, tenetur eum fateri, si turpitudinem non contineat, v.g. si sit consanguineus: secùs, si turpitudinem contineat; nisi adesset semiplena probatio ejus, quam non facit sola infamia. Lugo D. 37. N. 23.

Dixi 3. *Nisi legitima causa excuset*: hæc enim si adsit, non tenetur testificari, etiam juridicè interrogatus; quia præceptum humanum non obligat cum gravi incommodo, nisi aliud postulet bonum commune, vel salus proximi.

QUÆSTIO V.

Quibus casibus Testis, etiam legitimè interrogatus, non teneatur respondere?

Resp. In sequentibus: 1. Si delictum novit ex Confessione Sacramentali. 477. *Si notitiam habeat ex confessione sacramentali, vel aliunde non revelabilem.*

2. Si accepit ejus notitiam sub sigillo secreti naturalis, vel si consilii, aut remedii accipiendi causâ, sit illi à delinquente communicata: hoc enim casu nec tenetur, nec potest testari, vel denuntiare, etsi de authore criminis esset infamia, aut etiam semiplena probatio; quia bonum commune exigit, ut sic communicata sileantur: aliàs enim peccatores à consilio petendo, & auxilio averterentur, agerentur in desperationem, malaque multa sequerentur. *Excipe* tamen, nisi testimonium vel denuntiatio

tiatio esset necessaria ad grave malum Reipublicæ avertendum: tunc enim Reus non potest esse rationabiliter invitus, licetque secretum detegere, etiam juramento firmatum; quia juramentum se non extendit ad illum casum, in quo licitè servari non potest.

Dices. Quando adest infamia, vel semiplena probatio, Judex habet jus interrogandi; ergo qui crimen novit, etiam sub secreto naturali &c. tenetur revelare Judici: juri enim interrogandi correspondet obligatio revelandi. Resp. Habet jus interrogandi, ut revelet quoad notitiam aliunde, quàm sub secreto, vel consilii causâ communicatam C. Secùs N. Antec. Si Judex sciret, testem aliunde non habere notitiam, interrogare non posset. Judex tantùm inquirit, ut satisfaciat suo officio, & alius testetur de crimine, quatenus hic licitè potest; aliud intendere non potest. Quodsi testis novisset crimen tantùm sub secreto promisso, teneretur Judici interroganti respondere; quia promissio facta fuit sub hac conditione, nisi Superior præcipiat.

3. Si testis ex testimonio suo meritò timeat sibi, vel suis grave malum, vel damnum in honore, fama, bonis fortunæ, amicitiâ, pace, concordiâ; quia præceptum humanum cum gravi detrimento non obligat, nisi damno Reip. vel proximi secundùm leges prudentiæ, & charitatis sit postponendum.

4. Si habeat delicti, alteriusque secreti notitiam per injuriam: ùt, si litteras aperuit, vel per vim coëgit ad revelandum: tunc enim nec Judici aperire potest; aliàs injuriam damnosam extenderet.

5. Si

5. Si notitiam facti accepit ab hominibus non satis fide dignis; tunc enim nec de auditu testari tenetur.

6. Si sciat, aut probabiliter judicet, quòd author facti coram Deo non peccârit, utì, si ex ignorantia inculpabili pro fera occidit hominem; si rem alienam abstulit crediti compensandi gratiâ, aut gravissimâ necessitate adactus; quia interrogatio Judicis procedit ex præsumptione culpæ commissæ, secundùm quam Judicis intentionem negari rectè potest factum sibi esse cognitum: sicut author ejus id rectè negare potest, etiam juramento interposito. Lessius L. 2. Cap. 31. N. 14.

7. Si interrogetur testis de jure inhabilis. Sic parentes ad testandum contra liberos provocati, respondere non tenentur, fatendo crimen; nec liberi contra parentes; nec frater contra fratrem; nec gener contra socerum &c. nisi in criminibus exceptis; sed dicere possunt, se nescire, intelligendo, se id non scire notitiâ, quam communicare teneantur.

QUÆSTIO VI.

An peccet, & ad quid teneatur, qui se occultat, ne ad testandum citetur, aut, qui citatus non comparet, vel interrogatus veritatem dicere dissimulat, vel falsum testatur?

Resp. 1. Peccat, qui se occultat, dum se offerre tenebatur ad testificandum ob damnum imminens; quia tunc Charitas, vel Justitia legalis obligat ad testificandum: non tenetur tamen ad restitutionem; quia non tenebatur ex 478. *Se occultans, dum se offerre*

teneba-tur, pec-cat contra cha-ritatem vel ju-stitiam legalem. ex justitia commutativa se offerre. Si autem nullum damnum immineat, sed ejus testimonium tantùm requiratur ad aliquem condemnandum, faciliùs excusabitur; quia tunc nemo se tenetur ad testificandum offerre. Quodsi damnum immineret accusatori, eò quòd probare non posset, sibi imputare debet, quòd illi se periculo commiserit; nisi accusârit ob mali Reipublicæ, vel proximo imminentis periculum. Imò juxta Lugonem N. 1. si ex testificatione æquale damnum sequatur tertio innocenti, etiam non teneor ei succurrere cum æquali alterius malo: utì, si Titius condemnetur ob homicidium, quod scio esse à Cajo commissum, non teneor hunc prodere, ad Titium liberandum; quia, licèt unus sit innocens, alter tamen nunc non est causa damni injusti; & sicut ille potest se licitè liberare, ità & ego possum silere, & permittere malum alterius. Uterque enim est proximus. Ità Lugo.

479. *Citatus, non compa-rens sine justa causa, peccat contra obedien-tiam.* Resp. 2. Citatus ad testandum, si non compareat, aut interrogatus veritatem artificio aliquo dissimulet, peccat contra obedientiam, nisi adsit causa à testando excusans; quia justo Superioris præcepto tenetur obedire. An peccet contra justitiam, & teneatur damna compensare secuta ex negatione testimonii, controvertitur. Affirmat Navarr. Sotus, & alii apud Less. quia Judex citans, vel interrogans imponit officium testis: proinde utì Judex ex officio, adeoque ex justitia tenetur administrare justitiam; sic testis tenetur ex justitia ad id concurrere, postquam citatus, vel interrogatus est. Negant probabiliùs Molina, Less. L. 2. Cap. 30. N. 59. Lugo Disp. 39 sub N. 5. Et *Ratio est*; tum quia citatio, & Judicis præ-

ceptum

ceptum non imponit obligationem juſtitiæ, ſed tantùm obligationem obedientiæ; nec citatus tenetur ex officio, niſi id acceptet; nec illud recuſando injuſtus eſt, ſed inobediens non comparendo, vel veritatem diſſimulando. Sic, ſi quis juſſus à Magiſtratu ſuſcipere tutelam pupilli, vel curatoris officium, id recuſaret, vel falſis prætextibus ab eo ſe excuſaret, non eſſet injuſtus, ſed inobediens. Nam obligatio, quâ quis tenetur ex juſtitia obire aliquam functionem erga proximum, non oritur præcisè ex præcepto Superioris. ſed ex acceptatione ejus, qui eam obit. Sic enim, acceptando functionem illam, vel officium, tacitè promittit, & ad illam ſe ex juſtitia obligat, alterique Jus tribuit eam exigendi: ſi autem nolit acceptare, ex juſtitia non obligabitur: nemo enim poteſt alicui dare Jus ad functiones alterius liberas, niſi ſit illarum Dominus. Quare cùm nemo ſit Dominus functionum mearum liberarum præter me; nemo quoque ſine meo conſenſu ad illas Jus alteri dare poteſt. Hinc, etſi jurâſſem, me dicturum veritatem, non peccarem contra juſtitiam non teſtando, niſi parti juſtam cauſam habenti, ſimul promiſiſſem.

Dices. Si Judex præciperet, ut proferres ſcripturam aliquam, quæ ad cauſam pertineret, & eam lacerares, vel occultares, peccares contra juſtitiam, & tenereris damna inde ſecuta compenſare; ergo à pari. R. Tranſeat Ant. N. C. Non enim eſt paritas; quia de ſcriptura, utpote re externâ, Reſpub. poteſt diſponere, ſicut de aliis bonis, ejuſque uſum alteri concedere; quod ſi faceret, contra agens peccaret contra juſtitiam. Secùs eſt de actio-

nibus liberis, quas præcipere poteſt; ſed jus alteri ad alienas dare non poteſt ſine conſenſu Domini, aut ſaltem non conſtat, quòd det. Dixi: *Tranſeat*: quia poteſt Reſpubl. præcipere, ut proferatur ſcriptura in gratiam alterius abſque eo, quod alteri jus ad eam conferat.

480. *Teſtis falſi tenetur ad reſtitutionẽ.* Reſp. 5. Qui ſciens, vel ex craſſa ignorantia falſum teſtatus eſt, fuitque alteri cauſa efficax damni, tenetur totum id reparare; ſique damnum, necdum ſecutum, immineat, v. g. mors, vel mutilatio, tenetur ſua dicta retractare, ſi id putet profuturum, idque cum periculo vitæ, ſi alter de ea periclitetur; quia damni cauſa injuſta fuit, & à nocente par damnum ſubeundum eſt pro avertendo damno pari, quod innocenti ex ejus culpa imminet.

Dixi 1. *Qui ſciens*: nam ſi ex ignorantia, inadvertentia, vel ex oblivione inculpabili falſum ſit teſtatus, etſi teneatur impedire damna adhuc impendentia; ſi poſſit; non tenetur tamen, abſque ejus culpa jam ſecuta, compenſare; quia nec rem habet alienam, nec formalem fecit injuriam.*

Dixi 2. *Fuitque cauſa efficax*: nam ſi Reus jam per alios teſtes fuit convictus, & ejus teſtimonium ſuperveniens nullum effectum habuit, eò quòd pœna ob illud nec ſimul inflicta, nec aucta fuit, non tenetur ad reſtitutionem; quia injuriam non intulit efficaciter damnoſam.



CAPUT III.

De Reo.

QUÆSTIO I.

An, & quando Reus, à Judice interrogatus teneatur fateri veritatem?

Nota. Sicut qui apud Judicem contra alium agit in criminalibus, dicitur accusator, in civilibus verò actor; ità contra quem agitur, dicitur Reus, & in criminalibus quidem, qui criminis accusatur, vel defertur, sive jam nocens, sive re ipsâ sit innocens: in civilibus autem, contra quem Actor Jus suum prosequitur in judicio. Hoc notato

481. *Non tenetur, si non interrogetur juridicè.*

Resp. 1. Reus criminis, si non interrogetur juridicè, seu secundùm ordinem Juris, non tenetur fateri crimen, sed potest Judicem eludere, vel verbis ambiguis, vel etiam negando cum aliqua restrictione non purè mentali in sensu vero secundùm dicta P. 2. N. 244. *Ratio est;* quia tunc Judex non habet Jus interrogandi, vel obligationem Reo imponendi; unde potest Reus dicere, se nihil scire de interrogatis, subintelligendo scientiâ ex debito communicandâ; se esse innocentem, nempe innocentiâ publicâ &c.

Juridica interrogatio.

Ut autem Judex interroget juridicè, debet 1mò esse Judex legitimus, seu habens Jurisdictionem non impeditam. 2. Non debet litis processum à se ipso incipere. 3. Debet adesse semiplena probatio vel per testem legitimum, vel per indicia æquivalentia, vel per infa-

infamiam probatam cum indicio aliquo. Ità Lugo Disp. 40. N. 1. *Ratio hujus est* ; quia ut Reo possit imponi obligatio suum crimen fatendi, debet hoc jam esse aliquo modo deductum in notitiam publicam ; ità, ut Reo non suppetat probabilis ratio id celandi, seque defendendi : quamdiu enim ei illa suppetit, Juri naturæ repugnat illi imponere obligationem in conscientia illud aperiendi, seque armis spoliandi, quibus videtur posse se, suaque tueri. Tale enim mandatum non est accommodatum conditioni hominum ; cùm nemo, aut non nisi paucissimi illud essent servaturi : unde nec illi imponi tunc potest juramentum calumniæ, id est, quo juret se in omni parte processûs veritatem dicturum.

482. *Nec si dubitet, an interrogetur juridicè.* Resp. 2. Nec tenetur fateri crimen, quando dubitat, an Judex interrog.t juridicè ; quia nemo tenetur parere Superiori cum gravi suo incommodo, vel alterius, nisi constet, quòd legitimè præcipiat sub pe:cato : cur enim teneretur tantum onus in se suscipere in dubio, an Superior id possit imponere, cùm in dubio favendum sit Reo. Secùs est, si nullum notabile incommodum sit timendum : tunc enim standum est pro Superiore. Hinc tenetur Judex, priusquam interroget, aperire Reo statum causæ, probationes, indicia, & testes, ut intelligat contra se procedi juridicè, seque interrogari posse, utque, si quid habeat contrà, possit opponere, & excipere.

483. *Secùs, si juridicè certò interrogetur.* Resp. 3. Si Reus interrogetur juridicè hocque illi constet, tenetur ad mentem interrogantis veritatem fateri, idque juxta communiorem, etsi capite plectendus esset. *Ratio est* ; quia ob bonum publicum tum Judex præ-

cipit

cipit justè: justè autem præcipienti obtemperandum est, & quidem sub mortali in materia gravi: aliàs enim scelera puniri non possent, nisi Reus esset crimen confessus, & apertissimis documentis convictus, id quod sæpè haberi non potest, sicque in perniciem Reip. scelera impunè committerentur.

Dixi: *Ad mentem interrogantis*: hinc si factum, de quo interrogat, vacaret culpâ lethali; v g. si hominem occidisses, putans inculpabiliter esse feram, posses negare factum; quia Judex interrogat de facto criminoso; sique factum fatereris, & non posses probare, quòd culpâ vaces, punireris. Similiter non teneris fateri circumstantiam, ex qua vehemens suspicio oriretur, te esse authorem criminis, v. g. si quis esset occisus in domo, in qua quidem fuisses, sed non occidisses, negare potes te in illa fuisse; quia Judex interrogat, an fueris occidendo.

Resp. 4. Non est tamen improbabile, quòd Reus non peccet mortaliter, si interrogatus etiam juridicè, neget crimen in causis capitalibus, quando est spes evadendi, & nullum Reip. malum timendum est, ità Sylv. Less. Lugo, & alii. *Ratio est* 1*mò*; quia, quamdiu est spes evadendi, eò quòd crimen nondum sit plenè probatum, præceptum illud fatendi videtur nimis durum, & non satis accommodatum humanæ fragilitati, vixque observandum, cùm jubeat Reum præbere arma ad se occidendum. 2. Lex humana non obligat cum periculo mortis, nisi aliud exigat bonum Reip. ergo nec præceptum. 3. Nemo potest cogi ad testandum contra sanguine junctos, vel quando sibi inde grave malum imminet; quis- 484. *Sed quid si agere-tur de vita?*

quisque autem sibi vel maximè conjunctus est. Idem tenet Lessius in causis criminalibus aliis, in quibus valde gravis pœna imminet, ùt damnatio ad triremes, vel carcerem perpetuum, & confiscatio bonorum omnium: secùs est, si pœna sit spiritualis, v. g. excommunicatio; quia est simul medicinalis, & facilè tollitur. Juxta hanc sententiam Reus non tenetur jurare ad mentem Judicis, ubi in causa capitali est spes evadendi, sed potest æquivocatione, vel restrictione non purè mentali uti, & negare crimen. Secùs tamen esset, si non foret spes evadendi, sed crimen certò plenè probandum esset.

485. *Solvitur ratio opposita sententia.* *Dices.* Judex habet jus præcipiendi Confessionem, & imponendi juramentum dicendi veritatem: ergo Reus tenetur fateri veritatem, & jurare ad mentem Judicis: non enim potest esse jus præcipiendi, ubi non est obligatio obediendi. Resp. 1. Judex habet jus interrogandi testem, nec tamen testis semper tenetur testari, ùt constat ex dictis. R. 2. Tr. Ant. N. consequentiam: Judex non intendit obligare absolutè, & sub culpa, ut fateatur crimen, nec id potest; sed sub pœna v. g. torturæ, intenditque suo officio satisfacere, & explorare, an sit se nocentem confessurus, ut sic homines à sceleribus deterreantur. Item ut, si teneatur, videns spem evadendi non esse, respondeat, quo etiam sensu testem interrogat Judex. Itaque juri interrogandi respondet obligatio fatendi veritatem sub pœna, non sub culpa in dicto casu. Quodsi Judex imponat juramentum calumniæ, ubi sine mendacio negare potest crimen, etiam sine perjurio jurare potest se reum non esse:

Neque

neque enim alio sensu jurare tenetur, quàm quò Judex præcipere potest. Huic sententiæ poterit se accommodare Confessarius Rei, & obligationem fatendi crimen, quàm communior sententia astruit, dissimulare.

Cæterùm notat Lessius hìc N. 15. ut Reo possit imponi juramentum fatendi crimen, requiri ea indicia, vel probationes, quæ sufficiant ad torturam; quia juramentum est quædam tortura spiritualis, cùm mentem non pessimam non minùs urgeat ad dicendam veritatem, quàm tortura corporis. Idem dicit de præcepto fatendi crimen; cùm non minus sit obligationem in conscientia, quàm juramentum imponere: hinc ex simplici infamia, ubi nullum aliud est indicium, non potest imponi obligatio fatendi crimen; quia sola infamia non facit semiplenam probationem, sed tantùm subit vicem accusatoris. Neque convictus, fassus unum crimen, potest obligari ad fatendum aliud occultum, nisi sit cum priore communiter conjunctum, aut prudenter judicetur fuisse conjunctum. 486. *Quandò Reo possit imponi juramentum.*

Resp. 5. Reus convictus, si interrogetur de sociis in crimine excepto, seu vergente in perniciem Reip. vel tertii, ùt est hæresis, latrocinium, conspiratio in necem tertii &c. tenetur eos prodere; imò ad id tenetur etiam non interrogatus; quia sic exigit bonum commune. Tenetur quoque in aliis, quando fas est Judici specialiter de iis inquirere, ut si jam laborent infamiâ, vel contra eos sint sufficientia indicia, aut testimonium unius legitimum; quia tunc legitimè interrogatur, postulatque bonum commune, ut eos prodat. Quodsi crimen esset tale, quod sine socio non committi- 487. *An teneatur fateri socios criminis?*

mittitur, socius autem omninò esset occultus, non posset eum prodere; nisi esset crimen exceptum vergens in detrimentum Reip. neque tunc Judex posset specialiter inquirere, nisi adsit infamia, vel æquivalens de certa persona. Putat Sanchez peccare Judicem interrogando generatim de sociis, si Reum non præmoneat, ne manifestet omninò occultum, nisi Reus sit prudens, & sciat, quos possit, & quos non possit manifestare; alioquin datur causa scandali, & graviter errandi. Si tamen Reus tormentis adactus aperiret socios, ubi aperiendi non erant, putat Layman excusandum à mortali; quia consors criminis jus tam rigorosum non habet ad famam, ut sub mortali cum tantis tormentis ei teneatur tortus consulere, estque manifestatio involuntaria. V. Less. L. 2. C. 29. N. 162. Lugo Disp. 37. N. 66. Laym. L. 3. Tr. 6. C. 5.

488. *An post sententiam Judicis teneatur fateri, quòd antè tacuit.* Resp. 6. Post sententiam à Judice latam non tenetur Reus fateri crimen, quod injustè negavit; quia finito judicio finitur obligatio Rei: imò probabile est, nec ante sententiam ad id teneri, etsi adhuc sit in potestate Judicis, donec iterum interrogetur; quia obligatio respondendi erat pro tempore tantùm, quo interrogabatur: sicut si jussus juraveris falsum, non teneris revocare, quando inde nullum alteri damnum timetur, aut secutum est, quod aliàs recuperari non possit.



QUÆS-

QUÆSTIO II.

An peccet mortaliter Reus, si, ut tormentis liberetur, imponit sibi falsum crimen, falsò se fatendo nocentem, unde morte perimetur?

Resp. Affirmat sententia communis, eò quòd moveat Judicem ad ferendam sententiam injustam mortis, & causa sit per se occisionis sui innocentis, non secùs, ac si imponeret alteri falsum crimen, ob quod occideretur. Negant probabiliter Sylv. Lessius L. 2. C. 11. Disp. 7. Lugo Disp. 14. N. 174. Dicastillo, dicentes, hoc practice teneri posse. *Ratio hujus sententiæ est*; quia homo non tenetur cum tanto cruciatu tueri vitam suam, ne eripiatur, nec videtur esse causa moralis per se mortis suæ; sed hanc ex justa causa permittere: non enim intendit, ut à Judice occidatur sed ut se ex mat, Judicique da occasionem occidendi, qui & causam ulterius examinare potest; cùm constet non raró in tortura confessionem fieri falsam. Sic ajunt, qui exponit se hostium telis ex justa causa, non censetur se occidere: utì nec qui judicem rogat, ut potiùs se occidat, quàm ità torqueat, nec honesta persona, quæ rogat lenonem, qui tentat illâ abuti nefando modo, ut potiùs mortem sibi inferat, quàm illam corporis corruptelam, & animæ periculum. 489. *Dubium est.*

Juxta hanc sententiam non tenetur talis postea revocare crimen, etsi Juramento affirmatum, si meritò timeret, ne ad torturam revocetur; quia perjurium, & confessio jam transiit, & non revocando nemini injuriam facit. Aliud

Aliud est, si alteri imponeret falsum crimen; aut ex falsa confessione sequeretur illi per se grave malum, v. g. bonum Reipub. fama religionis graviter læderetur: tunc enim potiùs quævis tormenta subeunda essent. Nunquam enim licet, falso crimine imposito, alteri nocere habenti jus ad sua; & bonum commune privato præferendum est. Posse Reum se judici plectendum sistere, dictum est suprà: tunc enim non nisi ad justam suî occisionem judici dat occasionem.

QUÆSTIO III.

An Reo, verè etiam nocenti, liceat fugere ex carcere.

490. *Licet.* Resp. Reo etsi verè nocenti non solùm ante, sed etiam post sententiam justam licet fugere si, ad mortem, vel mutilationem, vel carcerem perpetuum, vel triremes sit damnatus; secùs, si ad carcerem non perpetuum. *Ratio 1mæ partis est*; quia Reus non conjicitur in carcerem, ut ibi spontè mortem, mutilationem, triremes exspectare, aut perpetuò manere teneatur. Illud enim præceptum esset nimis durum ob summam hominis inclinationem pro vita conservanda; nec est necessarium bono communi, cùm facilè aliter detineri Reus possit: unde Judex id præcipere non potest. *Ratio 2dæ partis est*; quia talis pœna justa non est supra vires humanas.

491. *Corollaria.* Hinc 1mò ad mortem, vel mutilationem, &c. damnatus potest citra vim custodes carceris decipere, v. g. procurando, ut absint, dando potum, ut indormiant, vincula, & car-

carcerem effringere; quia, cui licitus est finis, etiam licita sunt media ad eum necessaria de se non mala, quale non est effractio carceris; quia præceptum id vetans esset nimis durum. Non licet tamen vim inferre custodibus; quia hoc esset vim inferre potestati publicæ, quæ in Judice & ministris residet, non verò in vinculis, & parietibus, vel foribus carceris. Si Reus sic fugiat, & custodes patiantur damnum, id per accidens est; uti & si alii captivi simul fugiant. *Nec obstat*, quòd leges vetent graviter effractionem carceris: nam sunt leges tantùm pœnales in bonum Reipub. latæ, ut vel Rei non fugiant, vel si fugitivi retrahantur, pœnam incurrant: quæ tamen non est capitis, nec propriè dicta.

2. Illis, quibus licita est fuga, possunt alii, qui non sunt publicæ potestatis ministri, eam suadere, viam ostendere, instrumentum vincula incidendi, carcerem effringendi subministrare; quia, quod alteri licet, id ei suadere possum, atque ad id juvare, nisi aliunde prohibeatur. Id autem prohiberi hìc non constat; quanquam prohiberi posset. Non licet tamen aliis vincula disrumpere, carcerem effringere, ut captivi elabantur: tum quia id Reis licet propter maximum incommodum imminens, & summum jus, vitam suam conservandi, ad quod aliis talis actio non est necessaria: tum quia alioquin magistratui nihil esset satis tutum, & firmum pro Reis custodiendis, quod cederet in maximum Reipub. damnum. Dicast. apud La Croix L. 4. N. 1527. putat proximè junctis, ut patri, conjugi, fratri fas esse juvare Reum in effringendo carcere; quia censentur una cum illo persona. Idem dicit

An alii possint cooperari ad fugam.

de eo, qui certissimè timet, ne à Reo examinando prodatur, & incarceretur simul; quia liberando Reum censetur liberare se ipsum.

Dixi: *Qui non sunt publicæ potestatis ministri*; quia, cùm hi teneantur ex officio curare, ne Rei fugiant, fugam non possunt suadere sine violatione justitiæ.

QUÆSTIO IV.

An, & quando Reus condemnatus teneatur sententiæ Judicis obedire?

492. *Tenetur justè condemnatus.* Resp. 1. Reus justè condemnatus ad mortem, si nequeat fugere, tenetur sententiæ obedire, & ea præstare, sine quibus illa executioni commodè dari non potest à ministro justitiæ; v. g. ad locum destinatum ire, manus ligandas porrigere, scalas ascendere, &c. hæ enim actiones censentur simul à Judice præcipi, & non sunt ex natura sua connexæ cum morte. Non licet tamen Reo exequi in se ipsum pœnam mortis, vel mutilationis, v. g. venenum haurire, pectus gladio transfodere: hoc enim crudelitatem saperet: neque inferre vim ministris, ut elabatur, vel defendere se contra Judicem: sic enim resisteret potestati publicæ, ordinatæ à Deo.

493. *Non autem certò injustè condemnatus contra juris ordinem.* Resp. 2. Qui certò injustè, & non servato juris ordine ad mortem, vel mutilationem condemnatus est, potest etiam per vim ministris illatam fugere, & vi contra eos se defendere. *Ratio est*; quia Judex non egit ùt judex, sed ùt persona privata, estque sententia injusta, etiam in foro externo: utì si quis condem-

demnatus esset per testes notoriè inidoneos, per documenta, & probationes notoriè falsas &c.

Resp. 3. Reus condemnatus in civilibus per sententiam, secundùm allegata, & probata, servato juris ordine latam, etsi tantùm probabiliter ex objecto justam, tenetur obedire, nisi locus sit appellationi. *Ratio est*; quia sententia præsumitur justa, exigitque bonum Reip. ut obediat: si enim liceret tunc non obedire, plerumque supervacanea essent judicia, & Resp. multis, & magnis perturbationibus confunderetur. 494. *In civilibus tenetur obedire, etsi sententia objectivè justa tantùm probabiliter esset.*

Dixi: *Nisi locus sit appellationi*: nam si prudenter judicet sententiam esse injustam, appellare potest ad Superiorem Judicem; quia cuique licet justum præsidium contra injuriam sibi quærere, nec per hoc arguit Judicem priorem; quia hic potuit materialiter errâsse, suntque diversa hominum judicia; jura non eodem ab omnibus modo intelliguntur; sequuntur judices non nunquam prudentiale, ùt vocant, suum judicium; quod non est idem in omnibus. Si tamen Reus sciret sententiam esse justam, vel sibi spem non esse evincendi litem contra eam probabiliter injustam, non liceret appellare: si enim sciret justam, appellando faceret injuriam judici, & parti adversæ; si solùm probabiliter esset injusta, & spes non esset victoriæ, sine justa causa vexaret adversarium. Porrò appellatio fieri debet intra 10. dies à die cognitionis latæ sententiæ: aliàs locum non habet. Potest serius introduci.

Resp. 4. Reus in causâ civili, servato juris ordine secundùm allegata, & probata condemnatus per sententiam, quàm certò scit esse ex 495. *Secùs est; secùs*

scandalo, si sententia sit certò injusta. ex parte materiæ injustam, v. g. quia falsis probationibus, vel præsumptione falsâ nititur; in conscientia, secluso scandalo, non tenetur obedire; sed potest rem suam alteri adjudicatam retinere, aut uti occultâ compensatione. Non tamen potest se per vim contra judicem, vel ministros, quamdiu est in judicis potestate, defendere, ne talem sententiam exequantur. *Ratio 1mæ partis est:* tum quia finis sententiæ est jus suum cuique tribuere: proinde non obligat, quando ex ejus observatione sequitur contrarium: uti fieret, si obsequeretur sic condemnatus, quia cogeretur carere jure suo; tum quia talis sententia nec jus tribuit, nec aufert. Neque enim est intentio judicis, innocentem spoliare re sua, ut pluribus dicetur infrà. *Ratio 2dæ partis est;* quia judex, ferendo sententiam secundùm allegata, & probata, legitimè utitur potestate publicâ, cui per vim resisti non potest, exigente sic bono communi, rectâque ordinatione, ne ministri publici dum suâ potestate legitimè utuntur, inde patiantur; sic enim omnes meritò à talibus officiis averterentur in detrimentum Reipub.

496. *Corollaria.* Hinc 1mò, si per sententiam, falsâ præsumptione nixam, sis condemnatus ad pendendam mulctam pecuniariam, non teneris, si sine scandalo declinare possis, eam solvere, sique solveris, potes, modò certus sis sententiam fuisse injustam, occultâ compensatione uti, saltem antequam sententia transiret in rem judicatam.

2. Si per sententiam, etsi legitimam, re ipsâ tamen materialiter certò injustam, Cajus condemnatus sit ad solvendum iteratò debitum, jam antè

antè solutum Titio, non tenetur in conscientia, secluso scandalo, Cajus iterum solvere; sique solverit, Titius sciens sententiam fuisse injustam, tenetur restituere, sique renuat, potest Cajus, nisi legitima præscriptio fortè obstet, juxta La Croix L. 4. N. 1479. Lugonem, Lessium, aliosque occultâ compensatione uti.

CAPUT IV.

De Advocato, Procuratore, Referente, & Notario &c.

QUÆSTIO I.

Quæ sint obligationes Advocati?

Resp. Advocati, qui describitur: Patronus litiganti in judicio assistens, ejusque causam secundùm jura deducens; obligationes sunt sequentes. 497. *Advocatus.*

1ma. Debet habere scientiam suo officio convenientem, ut possit merita causarum secundùm leges, consuetudines, praximque tribunalium loci expendere, & proponere.

2da. Causæ sui Clientis debet convenientem impendere diligentiam, quæ major esse debet pro causa difficiliori: & gravioris momenti.

3tia. Debet sincerè suo clienti indicare causæ suæ probabilitatem, spem vincendi, & periculum perdendi, abstinere à fraudibus, conviciis, injuriis contra partem adversam.

4ta. Debet acquiescere stipendio justo, nec majus exigere taxato; aut si nullum taxatum

sit, debet esse contentus illo, quod spectatâ qualitate negotii, laboris, &c. censetur justum; non licet autem de eo pacisci, lite jam cœptâ, ne cliens cogatur ad majus justo; nec licet pacisci de parte aliquota, v. g. mediâ, 3tiâ rei controversæ, si evincatur; quia sic suam rem agens facilè induceretur, ut per fas, & nefas conaretur litem evincere.

5ta. Quando in civilibus causæ sunt utrimque probabiles, etsi, quando est spes non levis justæ victoriæ, possit clientis sui causam, sibi minus etiam probabilem, tueri relinquendo judici decisionem, forte aliter judicaturo; debet tamen de eo priùs monere suum clientem, & ejus in id consensum habere: sicut enim cliens potest suas rationes judici per se proponere, sic licitum est per Advocatum eas proponere; quando autem causa est injusta, vel tenuiter tantum probabilis, aut solet ordinariè rejici à judice; tunc, sicut cliens, sic nec Advocatus potest licitè eam tueri.

6ta. In causa sanguinis non licet Advocato causam dubiam accusatoris contra Reum tueri; potest tamen Reum defendere etiam nocentem, ut mortem evadat; quia Reus non tenetur subire pœnam, nisi convictus. Proinde, sicut is se, sic & alius eum justè defendere potest. In his si deficiat Advocatus, peccat contra justitiam, & tenetur compensare damna.

7ma. Advocatus tenetur pauperibus non solùm in extrema, sed etiam gravi necessitate patrocinari gratis, si sine suo incommodo gravi possit; quia charitas exigit, ut quivis in gravi necessitate eâ re, vel actione, quâ proxi-

mus eget, succurrat, si sine gravi incommodo possit. Ergo Advocatus patrocinando tenetur succurrere, nec alii debent ei stipendium dare pro constituto in necessitate.

QUÆSTIO II.

Quid sit Procurator judicialis, & quod ejus officium?

Resp. Procurator est persona publica, quæ causas alienas in Judicio, mandato, & nomine Domini administrat. Convenit in multis cum Advocato; quia uterque causas alienas in judicio prosequitur: hinc non rarò confunduntur; imò hodiedum eadem persona Procurator, & Advocatus constituitur, ut sumptus, aliæque incommoditates evitentur. Differunt tamen per hoc, quod Procurator partes absentis sustineat, & per litis contestationem fiat Dominus litis, causamque in Judicio prosequatur ùt Dominus, non minùs, ac ipse principalis: Advocatus autem parti litiganti, in Judicio præsenti, assistit, causam secundùm Jura legitimè deducendo; unde & ferè easdem obligationes habent: uterque enim debet rem principalis fideliter agere cum diligentia, pro negotii gravitate requisita. 498. *Procurator.*



QUÆSTIO III.

Quid sit Assessor, Referens, & Notarius?

499. *Assessor.* Resp. 1. Assessor est, qui in judicio assidet, seu assistit Judici, eique jura, & consilia suggerit. Unde & Consiliarius dicitur. Hodierno jure Assessores, & Consiliarii non tantùm causas cognoscunt, sed etiam jurisdictionem habent, & sententias ferunt. Unde sunt veri judices; incumbuntque iis eædem obligationes, quas judici incumbere diximus.

500. *Referẽs.* Resp. 2. Referens est, cui committuntur acta litigantium, discutienda eo fine, ut postea causarum merita, & fundamenta judici referat, & Assessoribus, sicque eos instruat ad ferendam sententiam.

501. *Notarius.* Resp. 3. Notarius est, qui dicta & facta in, vel extra judicium publicâ authoritate conscribit, atque in acta, seu protocollum (sic vocatur Liber actorum) refert. Hinc etiam dicitur Actuarius, Protocollista, Scriba publicus, Tabellio, Secretarius. Hic tenetur 1mò conformiter suo juramento arcana non prodere, sententiam necdum publicatam non manifestare, testimonia testium sincerè, sine exaggeratione, & imminutione transcribere: alioquin peccat contra Religionem & justitiam, & tenetur de damnis. 2. Tenetur acta & protocolla diligenter custodire, non differre causæ expeditionem, curare, ut causæ veniant ad peritos judices, & cætera, quæ ejus officii sunt, fideliter, & sedulò curare.

QUÆSTIO IV.

Quæ Juramenta in Judicio soleant, vel possint exigi, vel præstari?

Resp. Sequentia. Juramentum calumniæ, malitiæ, veritatis, credulitatis, juramentum in litem, juramentum cautionis, judiciale, juramentum voluntarium, & necessarium. Explico singula. 502.

1. Juramentum calumniæ, puta, vitandæ, est juramentum à litigantibus super causâ bonâ fide susceptâ, & deinde prosequendâ præstitum. Per hoc tam Actor, quàm Reus jurare debet. 1. Quòd credat, se habere, & fovere causam justam. 2. Quòd in judicio interrogatus velit veritatem dicere de omnibus, de quibus ad causam pertinentibus, legitimè interrogabitur, ità ut respondere teneatur. 3. Quòd non utatur falsâ probatione, nec ab adversa parte exigat probationem superfluam, 4. Quòd nihil patrocinii causâ judicibus, vel aliis dederit, aut daturus sit præter salaria. 5. Quòd calumniosam dilationem non petat, animo scilicet judicii protrahendi. *Juramentum calumniæ.*

2. Juramentum malitiæ, nempe vitandæ, est, quo pars litigans jurat, quòd nihil malitiosè agere in causa velit. Differt à juramento calumniæ; quia hoc tantùm post contestationem litis, & ordinariè semel solùm præstatur, concernitque totum negotium: juramentum autem malitiæ ante, & post contestationem litis præstatur, & quoties est præsumptio de malitia, concernitque tantùm partem suspectam. *Malitiæ.*

Veritatis. 3. Juramentum veritatis est, quo quis jurat, quòd velit veritatem dicere: credulitatis verò, quo jurat se credere, id verum esse.

In litem. 4. Juramentum in litem est, quo lis, seu res, de qua in judicio agitur, æstimatur vel secundùm se, vel secundùm affectionem, seu interesse singulare.

Cautionis. 5. Juramentum cautionis, seu cautio juratoria est, cùm Partes sub initium litis jurant, quòd in judicio usque ad finem persistere, & sententiæ parere velint.

Judiciale. 6. Juramentum judiciale est, quod approbante judice Pars Parti defert in judicio eâ lege, ut, si jurare ausit, absque ulteriore processu victor existat; cui hoc defertur; præstare id vel debet, vel parti alteri præstandum deferre: utrique enim Parti deferri potest. Si tamen actor plenè probaverit, reus id actori deferre non potest; nec hic reo, nisi adsit semiplena probatio, vel saltem non levis præsumptio contra reum.

Necessarium. 7. Juramentum necessarium est quòd judex, cognitâ causâ, ob inopiam probationis plenæ uni Parti defert, vel ex officio ad indagandam veritatem, vel ad instantiam Partis petentis; estque aliud suppletorium, quod defert judex Parti, quæ semiplenè probavit, ut ejus adminiculo probatio compleatur. Aliud purgatorium, quòd judex imponit gravato suspicionibus ad se purgandum, & innocentiam suam ostendendam.

Voluntarium. 8. Juramentum voluntarium dicitur, quod ex conventione Pars Parti defert extra judicium, eâ conditione, quòd offerens velit ab ulteriori processu abstinere, & juramento stare, si id Pars, cui defertur, præstiterit; hoc Pars,

Pars, cui defertur, potest recusare, & procedere viâ juris. Vide Layman L. 4. Tr. 3. C. 11.

CAPUT V.

De Re Judicata.

QUÆSTIO I.

Quando Sententia transiisse in rem judicatam censeatur?

503. *Sententia judicis duplex.*

NOta 1. Sententia, quæ est judicis pronuntiatio, continens decisionem causæ controversæ, alia est principalis, & definitiva, quâ deciditur causa principalis, totique controversiæ finis imponitur per absolutionem, vel condemnationem, & sic terminatur prima instantia. Alia est interlocutoria, quâ tantùm deciditur aliquis articulus, vel quæstio incidens, sed summariè tantùm, ac inter initium, & finem causæ principalis, quæ interim manet suspensa, v. g. an testes sint legitimi, vel admittendi.

504. *Requisita ad justam, & validam.*

Nota 2. Ut sententia definitiva sit valida, 1. Non debet procedere à judice incompetente. 2. Non debet esse difformis juri claro. Sic non valet, quâ pronuntiatur valere alienationem rerum Ecclesiæ immobilium, sine solennitate factam. 3. Debet esse conformis libello. 4. Debet formaliter, vel æquivalenter esse absolutoria, vel condemnatoria. 5 Debet esse lata absolutè. 6. Non debet esse notoriè injusta, aut lata ex instrumentis notoriè falsis. 7. Non debet exprimere rationem motivam, quæ probatur esse falsa. Et hinc judices

dices inferiores non exprimunt rationem suæ sententiæ, sunt & præterea quædam conditiones extrinsecæ observandæ, quibus tamen in variis locis derogatum est, saltem ex parte.

505. *Effectus sententiæ.* *Nota* 3. Sententia definitiva hos habet effectus: 1. Terminat officium judicis respectu talis causæ. 2. Finit litem, & facit Jus inter Partes, non tamen firmiter, nisi absolutè transiens in rem judicatam. 3. Si condemnet ob delictum publicum, aut etiam propter delicta privata furti, rapinæ, injuriæ &c. irrogat infamiam. *His notatis*

506. *Si intra 10. dies non appelletur.* Resp. Sententia valida tam interlocutoria, quàm definitiva valida transit in rem judicatam, quando victus illi acquiescit vel expressè, vel tacitè, quod censetur in foro externo regulariter facere, si intra decendium, à die habitæ de sententia notitiæ, non appellet ad Judicem superiorem: tum enim sententia in foro externo habetur pro veritate; ità ut postea probatio in contrarium non admittatur. Quod statutum est, ut sit litium finis, & sua Judici stet authoritas, quæ facit, ut jus fiat, quod jus non erat.

Dixi 1. *Sententia valida*: nam sententia, ipso jure irrita, nihil operatur; sed de ejus nullitate agi usque ad 30. annos potest, retractarique debet. Nec appellatio eo casu est necessaria ad Judicem superiorem, sed retractatio fit ad querelam iniquè condemnati, vel à Judice superiore, qui, cognitâ summariè justitiâ querelæ, restituere debet in integrum querelantem, vel ab eodem, si ordinarius sit.

Dixi 2. *Regulariter*: nam sunt varii casus, quibus etsi intra 10. dies appellatum non sit, sententia tamen non transit in rem judica-

tam,

tam, sed & potest peti, ut causa iterum cognoscatur, & de ea pronuntietur. Imò potest Judex ex officio, invitâ etiam Parte, procedere & sententiam retractare, ubi errorem cognoverit; quia ad judicem pertinet peccata tollere. Vide Con. L. 2. Tr. 27.

QUÆSTIO II.

Quibus casibus non transeat Sententia Judicis in rem judicatam?

Resp. Variis. Præcipui sunt sequentes: 1. Si sententia lata sit in causa criminali capitali: nam, sicut in hac sententia ferri non potest in eum à Judice, quem privatâ scientiâ scit innocentem; sic nec executioni dari potest, si postea pateat condemnari innocentia. 507. *Præcipuè in sex casibus.*

2. In causa matrimoniali: hæc enim sive lata sit pro valore, sive contrà, si postea appareat fuisse falsam, executioni dari non potest; quia sententia Judicis matrimonio valorem nec dare, nec auferre potest. Et idem est, quoties sententia sine peccato servari non potest.

3. Si sententia sit lata, innixa juramento necessario, quod in supplementum probationum à Judice delatum fuit Parti: tale enim juramentum defertur alterâ Parte invitâ; hinc si probatio alia postmodum contrà afferatur, juramentum infirmatur. Aliud est de juramento judiciali, ex quo deciditur ex utriusque Partis consensu, atque ità intervenit transactio, quæ non retractatur per nova documenta postmodum reperta.

4. Si sententia sit lata ex instrumentis, vel testi-

testimoniis falsis, non tamen notoriè talibus, v. g. si testes fuerint pecuniâ corrupti.

5. Si lata fuit ex consilio Doctoris, vel periti in aliqua arte, vel ex depositione testium de credulitate, seu dicentium se credere ità esse; vel ex aliis probationibus merè præsumptivis; aut reprobatis à jure.

6. Quando causa, ob quam quis condemnatus est, transit in non causam, ùt si damnatus ad compensandam rem commodatam perditam, precium solvisset, & res dein reperiretur; in his casibus, si postea afferantur contra sententiam probationes certæ, & convenientes, aut pars victrix fateatur sibi jus non competiisse, vel detecta fuerit falsitas instrumenti, vel ejus, aut testium corruptio, sententia retractari potest, & debet, non quidem per appellationem, sed per querelam iniquè condemnati. Idem est, si dein nova documenta reperiantur, & producens ea juramento probet, quod illa fuerint sibi incognita; aut non potuerit producere: eò quòd fuerint perdita, aut non potuerint obtineri ab eo, penes quem erant. Idem quoque est, si contra sententiam noviter repertum sit testamentum, aut instrumentum; ex quo constet, quòd antè lata sit sententia contraria, quæ in rem judicatam transiit. Secunda enim sententia est invalida. Excipiuntur etiam causæ minorum, & Ecclesiarum; quæ gaudent privilegio restitutionis in integrum.

QUÆS-

QUÆSTIO III.

An transitus Sententiæ in rem judicatam locum quoque habeat in foro conscientiæ, dum postmodum Sententia scitur fuisse injusta ex parte objecti?

Quæritur, an, si verus debitor, bonâ fide litigans, fuit absolutus à debito, teneatur solvere, si, ubi intra decendium non fuit appellatum, postea cognoscat, se debuisse; aut, si quis exegerit debitum, & per sententiam Judicis id obtinuerit, postea autem cognoscat, sibi nullum jus competiisse, teneatur solutum restituere. Idem est in aliis casibus.

Resp. In foro conscientiæ locum non habet, sed per sententiam materialiter injustam absolutus à debito, postea resciens se verè debuisse, tenetur solvere, nisi præscripserit. Ità TT. communissimè, & multi Canonistæ, inter quos est Innocentius III. in cap. *Quia plerique.* 8. *De Immunitate.* Abb. Fel. &c. contra quosdam alios Juristas. 508. *Vera videtur sententia negativa.*

Probatur. Nam inprimis jure naturæ, præscindendo à lege positiva, jus transferente, vel auferente, est obligatio: Creditor enim non appellando non censetur liberaliter donâsse: quòd autem non appellaverit, ex eo esse potest, quòd aut documenta, quibus debitum probaret, non habuit, aut sumptus magìs horruit, quàm carentiam debiti. Deinde obligatio illa non est sublata per jus positivum. Nam

1. Innoc. III. Cap. *Significantibus*, 2. *De purgatione vulgari*, præcepit ei, qui furti in judi-

judicio damnatus fuerat, innocentia ejus post transitum sententiæ in rem judicatam cognitâ, restitui universa, quæ illius criminis prætextu ablata fuerant. Nec hoc præcepit Pontifex, ùt volunt Adversarii; quòd sententia lata fuerit contra juris ordinem sine legitima probatione ex sola purgatione vulgari per duellum: nam Pontif. pro motivo sui rescripti solam allegat innocentiam postea cognitam: nam ait: *Nunc verò furtum apud alios est inventum, & quòd ipsi fuerint innocentes, est, faciente Domino, revelatum: unde Consulibus ipsis dedimus in mandatis, ut ablata restituant universa.*

2. *L. Fullò 2. ff. de condicto sine causa*, & *L. commodato 17 ff. commodati*, permittitur repetitio solutionis; quam conductor de locato, vel commodatarius, ex commodato conventus, fecerat ob rem locatam, vel commodatam amissam; si postea fuerit inventa, & recuperata manifesto indicio, diciturque, victorem in causa per rem judicatam non fieri absolutè tutum.

Dicunt quidem Adversarii, quòd hìc non retractetur sententia, sed redeat ad non causam; quia pretium rei amissæ erat pro re amissa: hâc autem recuperatâ, à domino cessat ratio habendi ejus pretium: hinc hoc repeti à solvente potest, & ab accipiente restitui debet, ne cum re is habeat ejus pretium, & cum damno alterius locupletetur. Verum & id valet in casu nostro: nam si debitor inveniatur 2dò solvisse, & prius jam debitum fuisse extinctum. 2da solutio imperata, & facta est ob existimatum adhuc existens debitum; comperta autem ejus solutione factâ, jam causa

secun-

ſecundæ ſolutionis ceſſat : ergo pariter redire debebit ſententia ad non cauſam.

3. *L. Julianus. De condictione indebiti* dicitur : ſi verus debitor à creditore in judicio conventus abſolvatur, naturâ obligatum manere : quòd autem ibi ſit ſermo de debitore, agente malâ fide, dicitur ab Adverſariis, & non probatur.

4. Qui in venditione læſit ementem infra dimidium juſti pretii, etſi in foro externo abſolvatur, non liberatur tamen ab obligatione naturali ſupplendi defectum juſti pretii, vel diſſolvendi contractum. Et idem eſt de eo, qui actori ſe obligavit per pactum nudum, vel contractum levi metu extortum.

Reſpondent quidem Adverſarii, in his tantùm negari actionem; non tamen extingui obligationem. At quando tranſit ſententia in rem judicatam, tolli ex diſpoſitione juris obligationem, & jus transferri : verùm hoc ipſum eſt, de quo quæritur.

5. Sententia Judicis fundatur in præſumptione Juſtitiæ cauſæ ejus, pro quo pronuntiata eſt, eſtque ſuo modo, & implicitè conditionata, nempe ſi allegata, & probata ſubſiſtant; præſumptio autem cedit veritati cognitæ, præſertim pro foro interno, in quo ſuper omnia veritas eſt.

Reſpondent iterum Adverſarii, quòd, licèt ſententia nitatur præſumptione, non tamen ejus firmitas, & efficacia ; ſed hæc oriatur ex lege, transferente dominium, quando ſententia valida eſt, ob bonum commune, cui magìs expedit, ut res judicatæ firmæ ſint, quàm

ùt semper justæ : dominia enim essent incerta, & non esset finis litium.

Sed contra est 1. Probandum est efficaciter priùs, quòd leges transferant dominium, quàm recedatur à Jure naturali.

Contra est 2. Transferri per sententias injustas dominia, bono communi nec necessarium, nec utile est : non necessarium; quia, ut finis fiat litium, satis est, post decem dies in foro externo negari actionem, relictâ obligatione naturali, ùt sæpe in aliis contingit. Ut dominia non maneant incerta, satis est, victorem in foro externo haberi pro domino, posseque se tanquam talem, salvâ conscientiâ, quamdiu non constet de injustitia, gerere, sique tempore ad præscribendum requisito non appareat injustitia ejus, usucapione acquirere dominium. Nec est utile, tum quia, ùt dixi, lites æquè impedientur negando actionem, & dominia fiunt certa per præscriptionem; tum quia sic calumniis aperitur via, lexque transferens sic dominia ab eo, qui intra decem dies non appellaret, esset nimis dura : sic enim posset innocens damnari ad mulctam Fisco pendendam, & nulla esset ei via, sua recipiendi : item sciens se solvisse, si apocham amisisset, compelli posset ad iterum solvendum, sine spe, sua recuperandi &c.

Contra est 3. Sententia injusta, ùt omnes admittunt, in multis casibus non transfert dominium : ùt, si instrumenta probentur fuisse falsa &c. quæ igitur necessitas, aut utilitas suadet in aliis transferri?

Contra est 4. Non præsumitur Judex velle

le innocentem spoliare re suâ, nec præsumitur actor velle acquirere aliena.

Nec obstat 1. Quòd Jus sententiæ tribuat vim legis; illam habeat pro veritate; dicat, eam facere Jus inter litigantes: nam hæc procedunt in foro externo, & interno, quamdiu non constat certò de injustitia sententiæ. Jura proin loquuntur de Jure debili, & revocabili, vi cujus victor potest re adjudicatâ uti, frui, quamdiu non constat de sententiæ injustitia.

Nec obstat 2dò Textus *Innoc. III. L. 2. T. De sententia, & re judicata*, quo dicitur: *Quamvis fortè dicto donationis instrumento non sit plurimùm innitendum, nec confirmationibus, nec privilegiis, quæ ex ipso causam, & originem acceperunt; attendentes tamen, quòd, quantum ad litigantes ipsos, jus ex sententia factum fuit, postquam in rem transiit judicatam, etiamsi contra jus litigatoris lata fuisset, veritate gestorum sermonibus prævalente, definivimus &c.* nam ante sententiam fuit, & post eam mansit jus dubium, proinde standum erat sententiæ, quæ in rem transierat judicatam.

Nec obstat 3. Quòd *L. Cùm putarem 36, ff. familiæ eriscundæ.* decernatur, quòd, qui cohæredem, qui talis non erat, admisit ad divisionem hæreditatis, eique, Judicis authoritate, res quasdam hæreditarias dederat, nequeat datum repetere, licèt postea error detectus fuerit: nam, licèt in foro externo tali negetur actio, non ideo alter, si sciat, sibi nihil ex hæreditate competere, in conscientia retinere poterit. Imò, si id fateatur, po-

test sententia rescindi secundùm dicta, ùt do-cent etiam Adversarii.

Nec obstat denique, quodsi post transactio-nem detegatur error, nihilominus conventis standum sit: nam in ea consentiunt Partes ob periculum perdendi, & spem lucrandi ex utra-que parte. At, licèt partes litigantes in dubio præsumantur consentire; sæpe tamen reipsâ Pars sciens, sibi fieri injuriam, non consentit, nisi coacta. Ex his jam consurgit hoc argumentum reflexum; quando obligatio Juris naturæ est certa, & extinctio ejus, tanquam facta Jure po-sitivo non probatur, nisi dubiè; standum est pro Jure naturæ: Leges enim Jus naturæ re-stringentes sunt odiosæ, estque Jus naturæ in cer-ta possessione, ex qua per legum dispositionem dubiam dejici non debet.

QUÆSTIO IV.

An idem procedat in transactionibus, & fœderibus inter Reges, & supre-mos Principes; ità, ut injuriam pas-sus, salvâ conscientiâ, resilire possit, & priora sua vi armorum recupera-re?

Cùm Reges, & Principes supremi, seu superiorem non recognoscentes, Judicem non habeant, qui eorum controversias inter se ter-minet, & jus iis dicat; sed eas per transacti-ones, & fœdera, vel bella soleant dirimere: quæritur hìc, an si unus sit injuriam passus,

aut

aut vi armorum coactus suo jure cedere per pacis fœdera, possit dein salvâ conscientiâ, ubi vires collegerit, resumere bellum, & sua, quibus cedere coactus fuit, recuperare: sicut condemnatus per sententiam objectivè injustam, potest se indemnem reddere; vel an teneatur fidem publicè datam inviolabiliter servare?

Circa hanc quæstionem Anno 1749. die 18. Aprilis publicæ disceptationi pro Doctoratu, in utroque jure consequendo, subjectæ fuerunt hæ positiones ex jure naturali, & gentium.

1ma. *Ex injuria æquè parum nasci potest jus, aut vinculum juris, quàm ex iniquitate æquitas.* 509. *Theses ex jure.*

II. *Unde ex vi, metuque injustè incusso acquiri incutienti obligationem, chimæra est.*

III. *Proinde omnis contractus sic initus, quanquam sit voluntarius, effectu caret, & rescissione non indiget.*

IV. *Quòd ipsum de transactione tam privata, quam publica (qualis est Pax) obtinet, ità, ut pax vi armorum extorta non stringat; sed datâ occasione respirandi, queat belli, injustè moti, vindicta peti.*

Resp. Fides publica, data hosti, etsi bellum injustum gerenti, servanda est, modò fœdus non sit objectivè malum. Ità S. Th. 2. 2. q. 40. A. 3. O. Cæterique Theologi communissimè ex S. Augustino, & Ambrosio, quorum primus Epistola 205. ad Bonifacium Comitem, quæ refertur in *Cap. Noli.* 23 q. 1. ità scribit: *Fides, quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur*, Alter verò *L. 1. Offic. Cap.* 29. hæc habet, *Quanta sit* 510. *Fides publicè data servanda est hosti.*

sit justitia, *ex hoc intelligi potest*, *quod nec locis*, *nec personis*, *nec temporibus excipitur*, *quæ etiam hosti reservatur*. Hæc quomodo sint intelligenda, colligitur ex iis, quæ paulò pòst addit, inquiens : *Liquet igitur etiam in bello fidem*, *& justitiam servari oportere*, *nec ullum decorem esse posse*, *si violetur fides*. Ratio autem communis sententiæ est ; quia fœdera publica per jus gentium, omni humano generi commune C. *Jus gentium*. D. 1. §. *Jus gentium Instit. de Jure naturali gentium*, *& civili*, introducta sunt, sic exigente bono communi generis humani : nam nisi fœdera publica, seu inter diversos Principes, seu inter Magistratus, & subditos omnimodè servanda essent, nulla pax, aut societas in humano genere stabilis posset consistere ; sed via aperiretur perpetuis bellis, & cædibus.

Nec juvat 1. Quòd fortè altera pars per vim ad fœdus injustum, seu sibi perniciosum adacta fuerit, quod in bellis plerumque fit : nam cùm paciscentes tales superiorem Judicem non habeant, qui causâ cognitâ illis jus dicat, & quisque bellum gerens plerumque arbitretur, sibi jus bellandi competere, posset pars quælibet postea causari, & dicere, sibi vim illatam esse, adeoque fœdus à se rescindi posse, quod vergeret in maximam generis humani perniciem ; cùm nec pax iniri, nec bella perpetua vitari possent. Miratur Author positionum in positione IV, quòd Authores passim negent, belligerantes cognoscere posse de injustitia belli, extortæque pacis iniquitate, quos non latet, judicium de belli suscipiendi necessitate, ac justitia Principibus, Superiorem non

recog-

recognoscentibus, competere : verùm mirari desiisset, si expendisset, quid bonum commune exigat, ad quod tuendum, & promovendum Principibus est concessa potestas. Exigit illud, ut re bene examinatâ, & viris doctis in consilium vocatis, decidat Rex, an bellum hìc & nunc pro bono subditorum sit necessarium, justèque suscipi possit, ac debeat: exigit insuper, ut fides publica data; inviolabiliter servetur etiam hosti : unde ad primum, non ad secundum illi est potestas; quæ data ipsi est non ad destruendum, sed ad promovendum bonum commune. Mirum potiùs est, quòd Author Thesium tam leviter à communi sententia recedat.

Nec juvat 2. Quòd fœdus initum sit Principi, vel Reip. perniciosum : nam bonum unius Regni, Principatûs, vel Reip. cedere debet bono communi universali totius generis humani.

Nec juvat 3. Quòd ex injuria nec inferenti jus, nec obligatio eam patienti nascatur : & injuriam passus, hanc Authori positionum non videatur remisisse. Nam 1mò Jus, & obligatio non nascitur immediatè ex injuria, sed ex consensu, quem victa pars debilior præstat, eligens minus malum præ graviore. 2. Vel verè consentit in pacem, eamque sincerè juramento confirmat, vel non : si primum, remittere debet injuriam, si non absolutè, saltem sub conditione : *Nisi exurgat deinceps alia justa causa belli, seu offensivi, seu defensivi, atque ità nanciscar occasionem mea, quibus cogor cedere, recuperandi.* Si secundum; mendax, & perjurus fuit, nec à fœdere potest recedere ob rationem datam, sed adhuc debet

consensum universali bono communi. Vide dicta P. 2. sub N. 244.

Dixi in Assertione 1. *Fides publica*; nam si privatus aliquis alteri privato, injuriam inferenti, vi adactus se obligârit, rescindi contractus, si solubilis est, ex naturali æquitate potest: quia id non in perniciem, sed in bonum cedit generis humani. Idem est, si privatus alieno Principi, vel Reipublicæ se obligâsset, & id dein cederet in damnum proprii Principis, vel Reip. quia, cùm Juri Principis sui præjudicare non possit, subintelligitur; *Salvo jure Principis mei. Cap. Venientes. de jure jurando.*

Dixi 2. *Modo ex objecto fœdus malum non sit*: Ad hoc enim obligari non potest, etsi juramento confirmâsset: nam juramentum vinculum iniquitatis esse non potest.

QUÆSTIO V.

An saltem Summus Pontifex fœdera Catholicorum tum inter se, tum cum Acatholicis inita possit relaxare?

Resp. 1. Si à Christiano Principe, vel Re-
511. ge cum Infidelibus, seu non Baptizatis publi-
Fœdus cum fœdus ex objecto non malum sit initum,
cum in Summus Pontifex nec directè, nec indirectè
fidelibus id relaxare potest; quia id cederet in maxi-
nec in mum detrimentum, & contemptum Ecclesiæ
directè Christi. Nihil enim magis illi indecorum,
relaxa nihil Regibus, & Christiano populo magis no-
re potest xium esse potest, quàm si censeantur fidem publicam, seu fœdera violare. Quare, si à Catholico Principe fœdus, legitimâ potestate

cum

cum Infidelibus constitutum, postea videretur cedere in detrimentum Religionis Catholicæ; à Christo, supremo Rectore, & defensore Ecclesiæ, auxilium implorandum, & sperandum, & nunquam medium perfidiæ obnoxium adhibendum esset.

Resp. 2. Si fœdus publicum, inter partes Catholicas legitimâ potestate constitutum, successu temporis cedat in grave detrimentum Ecclesiæ; potest Summus Pontifex illud ex plenitudine potestatis suæ indirectè relaxare, præcipiendo nempe alteri parti, ut obligationem fœderis iniri remittat, vel illud, si pars illa recuset in favorem Ecclesiæ obligationem remittere, propriâ authoritate dissolvere; secùs, si non cedat in detrimentum Ecclesiæ. *Ratio 1mæ partis est*; quia omnis potestas, ad bonum Ecclesiæ regimen necessaria, competere debet Pontifici; ad hoc autem necessaria est potestas in casu ejusmodi dissolvendi Catholicorum fœdera: neque Reges, & Principes Catholici, utpote Ecclesiæ filii, & defensores à Deo constituti, aliâ conditione fœdera sua censentur constituere, quàm ut Ecclesiæ salva stet incolumitas. *Ratio 2dæ partis est*; quia, si fœdera non cedant in detrimentum Ecclesiæ, potestas illa Pontifici ad regimen Ecclesiæ non est necessaria, nec conveniens fuit, ut ipsi illa conferretur, ne fœdera publica minùs firma consisterent.

512. *Fœdus publicũ inter Catholicos aliquando relaxare potest.*

Resp. 3. Si Catholici cum Hæreticis fœdus publicum ineant legitimum, non potest authoritate summi Pontificis relaxari. *Ratio est*; quia Pontifici sua potestas concessa est in ædificationem, & non in destructionem; si autem

513. *Non verò inita inter Catholicos, & Hæreticos.*

tem Pontifex relaxaret tale fœdus, cederet in detrimentum Ecclesiæ gravissimum: cùm enim Hæretici, Catholicæ fidei hostes, in fœderibus se inter, & Catholicos constitutis, exclusam velint Pontificis relaxandi potestatem, nulla cum iis fœdera inire possent Catholici, & apud ipsos, omnesque nationes infideles blasphemaretur nomen Domini, & Religio Catholica objiceretur contemptui, si verè diceretur, Catholicos, interveniente authoritate Pontificis, fœdera publica contra Jus gentium violare. Quæ mala tam gravia sunt, ut quamvis Hæretici per Baptismum subjiciantur jurisdictioni Ecclesiæ, attamen Pontifici esse potestatem fœdera publica cum Hæreticis relaxandi, expediens non fuerit. Unde malorum, quæ ex fœderum observatione in detrimentum Ecclesiæ consequuntur, remedium petendum, & sperandum esset à Christo summo Ecclesiæ Rectore, & Protectore, qui auxilium feret in tempore opportuno. La Croix N. 881.

Dixi: *Fœdus legitimum*: Nam objectivè malum neminem obligare potest; cùm ad malum objectivè implicet obligatio Ità Laym. L. 2. Tr. 3. Cap. 12. La Croix L. 3. P. 1. N. 881. & Catholici Doctores communiter. Quare falluntur Heterodoxi, qui perperam prætendunt, licere sibi à fœderibus publicis cum Catholicis resilire; eò quòd Doctores Catholici doceant, fidem, etiam publicam, Hæreticis non esse necessariò servandam.

Objiciunt quidem Hæretici, Concilium Constantiense salvum conductum dedisse Joanni Hussio, & posteaid violâsse; verùm id probare nequeunt; nam datum illi fuisse salvum conductum

à Pa-

à Patribus Concilii nullibi legitur. Dedit quidem Sigiſmundus Imperator, ſed non violavit: Primò enim dedit illum in forma Juris communis, id eſt, ſalvâ juſtitiæ executione; ſicut & Patres Concilii Seſſ. 6 Hieronymo Pragenſi dederunt omnem ſalvum conductum à violentia, juſtitiâ ſemper ſalvâ. 2. Huſſius poſt ſalvum conductum, ab Imperatore datum, arripuit fugam, quæ ipſi ab Imperatore ſub pœna capitis erat interdicta, ùt oſtendit Becanus in opuſculo de fide Hæreticis ſervanda. 3. Concilium Conſtantienſe ſeſſ. 19 demonſtrat, à ſæculari poteſtate, etiam Imperatoriâ, per ſalvum conductum, alicui datum, Jurisdictioni Eccleſiaſticæ, quia ſuperiori, nullum poſſe generari præjudicium, quò minùs in perſonarum errores inquirere, & pertinaces punire valeat.

Ex his facilè intelligitur, quàm bene communi Reip. humanæ bono conſulat relata Theſis quarta.

Finis tertiæ Partis.


O. A. M. D. G.



Emen-

Pag. 65. lin. ult. ad nutum pro *ad unum.*
Pag. 143. lin. 20. domini pro *damni.*
Pag. 157. lin. 7. quandoque pro *quando.*
Pag. 168. lin. 21. ob temporis.
Pag. 172. lin. 8. ordinaria pro *ordinario.*
Pag. 174. lin. 2. Dei ut pro *Dei est.*
Pag. 218. lin. 6. & 11. ingredietur.
Ibidem lin 14. Laym pro *Lugo.*
Pag. 300. lin. 7. à fine agri, vineæ, pro *prinea.*
Pag. 308. lin. 8. à fine res tales
Pag. 338. lin. ult. ſeminato. donec
Pag. 347. lin. 10. à fine par ſit, ut pro *aut.*
Pag. 428. lin. 3. non verò pro *an verò.*
Pag. 505. lin. 7. filii fiant pro *filia.*
Pag. 506. lin. 2. pro *ut fert.*
Pag. 529. lin. 4. à fine doctorali pro *doctor.*
Pag. 545. lin. 18. Curimenſem pro *Eron.*
Pag. 574. lin. 9. juſtè pro *injuſtè.*
Pag. 583. lin. 10. à fine dub. pro *duo.*
Pag. 629. lin. 8. à fine narratorem pro *narrationem.*
Pag. 698. lin. 12. Suar. pro *ſua.*





CASUS
Resolvendi
EX PARTE TERTIA.

De Dominio.

CASUS I.

LUbentius in consortio refert cum quadam jactantia superioris vitæ suæ peccata, seque infamat, nec parcit aliis: dicit de Juris consulto magni nominis, & æstimationis ob Juris prudentiam, in falsa hominum quorundam opinione fundatæ, eum esse magis verbosum, quàm solidè doctum: similia dicit de Medico, aliàs magnæ famæ, sed in falsa vulgi persuasione fundatæ.

Quæritur 1mò. An homo sit dominus suæ famæ & honoris? *2dò.* An Lubentius peccet se infamando? *3tiò.* An liceat detegere falsum alienæ æstimationis fundamentum? *4tò.* Quo usque se extendat

dat

dat jus dominii ad famam suam, ut non lædatur? sub n. 28. & 395. La Croix l. 3. p. 2. n. 1198.

CASUS II.

Tres detinentur in carcere rei: unus ob delicta sua reus mortis, & cupiens justam subire pœnam, putat Judici non satis probatum iri sua delicta, ut ad mortem condemnari possit; hinc occulta delicta aperit, ut ad mortem condemnetur. Alter, potens è carcere fugere, non fugit primùm, deinde mutatâ voluntate cuperet fugere; at, cùm recenter arctiùs sit ligatus, non potest: rogat itaque alterum, ut sibi vincula solvat: solutus, præcipitat se ex alto, cum evidenti periculo mortis. 3tius abstinet à cibo, & potu, ut in carcere moriatur, & avertat à suis infamiam.

Quæritur 1mò. An homo habeat dominium vitæ suæ, & membrorum? 2dò. An tres illi suis âctionibus licitè egerint? n. 30. 31, 490.

CASUS III.

Lucidius, Carthusianus, videns se notabiliter deficere, recusat uti medicinis, & jussa Medici, præscribentis ei carnes, tanquam necessarium cibum pro valetudine recuperandâ, negligit: exponit se

frigori,

frigori, prævidens, se citiùs ideo moriturum.

Quæritur 1mò. Quæ media teneatur homo adhibere pro valetudine, & vitâ conservandâ? *2dò.* An Lucidius licitè recusârit medicinas sumere, & carnes comedere? n. 33.

CASUS IV.

Ludovicus, Belli dux, obsidens urbem, ad expugnationem ferè deductam, minatur urbi excidium, nisi Luciolus, quem in Regem suum esse reum criminis læsæ Majestatis existimat, morte plectatur, aut sibi extradatur; Magistratus urbis invenit eum innocentem: Ludovicus interim pergit oppugnare urbem, occiduntur innocentes, & nocentes.

Quæritur 1mò. An Magistratus potuerit pro bono communi plectere capitali supplicio Luciolum, aut saltem eum extradere? *2dò.* An Ludovicus peccaverit occidendo Innocentes? *3tiò.* Quo jure Magistratus occidat reos? n. 35. 38.

CASUS V.

Lucius, homo austerus, pro levibus etiam excessibus punit graviter tum suos quandoque, tum filiæ, & filii jam emancipati liberos, invitis parentibus, quin & externorum proles alapis cædit.

Quæritur 1mò. Quale jus competat parentibus puniendi suos liberos? *2dò.* An peccent contra justitiam, si supra meritum eos graviter puniant? *3tiò.* An filiæ, & filii emancipati proles sint sub Lucii potestate patriâ, aut saltem gubernativâ? *4tò.* Quomodo Lucius peccet sic puniendo? n. 36. 40.

CASUS VI.

Ludgerus, in militia serviens, tum ex stipendiis, & hostium spoliis, tum ex legato officialis, qui obiit in prælio, comparavit notabilem summam pecuniæ: post triennium, conclusâ pace redux, illâ pecuniâ in domo paterna, in qua juvat patrem in arte arcularia, negotiatur, & lucrum acquirit. Lucretius, pater ejus, sibi cupit pecuniam illam, & lucrum pro necessariis in œconomia extradi; recusat id Ludgerus, abitque è domo paterna, & arte suâ lucratur etiam alibi, nec vult acquisita patri extradere.

Quæritur 1mò. Quæ sint bona filiorum familias? *2dò.* An Ludgerus possit pro arbitrio suo de illa pecunia, & lucro disponere? à n. 40. ad 46.

CASUS VII.

Luisius patrem habens ebriosum, & bonorum dissipatorem, petit licentiam discedendi à domo paterna: negat eam pater;

pater; abit tamen Luisius, & aliquot annis serviens suo avunculo, lucratur 50. Imperiales: hos, domum redux, recusat extradere patri. Pater moritur, graviter obæratus: creditores tentant, omnia ejus bona sub hasta vendere: Luisius autem tantum subducit, ut possit ad convenientem suæ conditioni statum pervenire.

Quæritur imò. An liceat filio, è domo paterna, invito patre, discedere, licitèque discesserit Luisius? *2dò.* An obligatus fuerit, 50. Imperiales patri extradere, cùm videantur esse bona adventitia? *3tio.* An licitè subduxerit necessaria sibi ad convenientem statum obtinendum? à n. 40. & 350. in Neo-Conf. à n. 144. Videri etiam potest *Laym. lib. 3. Tr. 4. cap. 8. n. 13. & La Croix L. 3. p. 2. n. 412.*

CASUS VIII.

Lullus, cujus parens plures habet filios, partim studiis operam dantes, partim domi ferè otiosos, juvat patrem in exercenda mercatura tum in officina domi, tum proficiscendo mox huc, mox illuc, &c. putatque sibi deberi mercedem; eò quòd non debeat esse deterioris conditionis, quàm forent externi, si ità servirent; fratresque nihil ad rem domesticam augendam conferant: sed, quia patri, viro austero, non audet id indicare, subducit clam tantum singulis annis,

quantum pater singulis annis deberet dare famulo: demum, mortuo patre, subducta in divisionem hæreditatis non adducit.

Quæritur 1mò. An filius, in domo patris laborans, possit exigere mercedem, saltem in simili casu? *2dò.* An Lullus, sic subducendo, peccârit, & teneatur, subducta adducere in divisionem hæreditatis, & suæ portioni subtrahere? Vide Neo-Conf. n. 145. *La Croix L. 3. p. 2. n. 1034.*

CASUS IX.

Lupus, tempore matrimonii, potu, & lusu magnam partem bonorum dilapidat. Uxor ejus, prævidens domûs & familiæ inopiam, assumit bonorum administrationem, & ex lucro, proventibusque communibus clam tantum seponit, quantum maritus per excessum dilapidat.

Quæritur 1mò. Quotuplicia sint bona conjugum? *2dò.* Ad quem pertineat eorum dominium, & administratio? *3tiò.* An uxor licitè procedat? n. 46. 47.

CASUS X.

Lucretia maritum habet parcum, & austerum, parentes verò pauperes, à quibus dotem non accepit, ideoque maritus ei prohibet, ne quidquam ulli donet, vel expendat se inscio. Nihilominus illa

la de acquisitis tum suo, tum communi labore, tempore matrimonii, succurrit parentibus, moderatas dat eleëmosynas pauperibus, liberis procurat necessaria.

Quæritur, an Lucretia licitè ista faciat? n. 47.

CASUS XI.

Luïsia cum marito vixit in matrimonio annis multis laudabiliter, & tres proles suscepit. Moritur maritus, multis debitis gravatus: insinuant se creditores, imminet periculum, ne sub hasta vendantur omnia Luïsia, ut sibi, suisque liberis prospiciat de necessariis, summam pecuniæ abscondit, & negat, se ex bonis dotalibus concursuram ad solvenda debita.

Quæritur 1mò. Ad quæ debita solvenda, & ex quibus bonis teneatur concurrere? *2dò.* An Luïsia licitè absconderit summam pecuniæ, & reservaverit suæ, suorumque sustentationi? n. 47. Coroll. 8. n. 350. pag. 490. §. *Notandum tamen.*

CASUS XII.

Macarius quatuor habet Canonicatus: dat quidem aliquando eleëmosynam, superflua tamen ad sustentationem ex beneficiis maxima ex parte suis dat consanguineis, & amicis divitibus, & in horum etiam favorem condidit testamentum.

Quæritur 1mò. An beneficiatus teneatur ex justitia reditus ex beneficio, convenienti sustentationi, & œconomiæ superfluos, expendere in usus pios? *2dò.* Quando secùs faciendo peccet graviter? *3tiò.* An divites, admittendo ejusmodi peccent, & teneantur restituere causis piis? *4tò.* An possit de superfluis testamentum condere ad usús profanos? n. 48.

CASUS XIII.

Macrobius, Religiosus, antea miles, peculium acquisivit in bello. Ante Professionem de eo disposuit in favorem fratris sui, hoc modo: Si me supervivas, peculium, quod tibi trado conservandum, erit tuum. Frater moritur ante Macrobium. Hic dubitans, cui competat peculium, dimidium ejus relinquit sorori suæ, alterum dimidium cum licentia Superioris sui sumit sibi. Soror, ut gratam se ostendat, mittit ei per diversas vices poculenta, quæ ipse absumit ex præsumptâ sui Superioris licentiâ. Postea à suo Superiore promotus ad administrandam Parochiam, Monasterio incorporatam, hæc, conscientiâ anxius, confitetur Pastori sibi vicino. Parochus ex eo quærit 1mò: An vestrum Monasterium est capax successionis? Est, ait Macrobius. Reponit Pastor: Dominium peculii non est translatum in fratrem tuum; quia conditio

non

non est impleta, sed tu, Professionem faciendo, transtulisti omnia jura tua in Monasterium; quomodo ergo potuisti dimidium relinquere sorori? Ex præsumpta licentia poculenta assumpsisti: quæ causa fuit præsumendi, cùm Superior esset præsens?

Quæritur 1mò. Ad quem pertineat illud peculium? *2dò.* Quomodo peccet Religiosus, disponendo de temporalibus sine licentia sui Superioris? *3tiò.* An dimidium peculii potuerit Macrobius relinquere sorori? *4tò.* An suffecerit illi licentia præsumpta ad poculenta absumenda? à n. 54. 285.

De modo acquirendi Dominium.

CASUS XIV.

Macrinus, Pastor in Lotharingia, rogans committit Magino Pastori ad Mosellam, ut illi emat duo vasa majora vini. Obsequitur Maginus, cumque empta aliquo tempore asservâsset, donec venirent, qui veherent ad Macrinum; invenit, præstantia esse vina, retinet ea sibi, & emit eodem pretio, vel paulò inferiore, alia vasa duo notæ inferioris, & mittit Macrino.

Quæritur 1mò. Quænam universim requirantur, ad acquirendum rei alicujus Dominium? *2dò.* An Maginus Domi-

nium prioris viri acquisiverit, & potuerit illud retinere? n. 57.

CASUS XV.

Mamertus, Toparcha in certo districtu, habet jus venandi, tum ex gratia Principis, universim venationem prohibentis; tum partim erga certum pretium, ipsi pendendum. Multiplicatæ feræ subditorum frugibus damna inferunt gravia, sub gravi mulcta nihilominus jubentur, non occidere feras: Subditi, non attento mandato, clam capiunt, & occidunt, imò & in aliis locis sylvæ capreas, cervos interficiunt, & sibi assumunt.

Quæritur 1mò. An possit Princeps universim subditis venationem prohibere? *2dò.* An Toparcha ille sit capax absolutionis, si non desinat prohibere subditis occidere feras, vastantes fruges, & damna compenset? *3tiò.* An, & quando subditi peccent capiendo capreas, cervos, &c. sub n. 58. 62.

CASUS XVI.

Mansuetus plura habet apum alvearia: ex uno evolat novellum examen, tandem considet in arbore Mancii: videt hoc Marcellus, & alveario id excipit, & sibi appropriat.

Quæritur 1mò. Quamdiu examen illud apum censeatur mansisse sub Dominio

Man-

Mansueti ? *2dò.* An Marcellus ex alieno fundo id justè sibi appropriaverit, si jam evaserit potestatem Mansueti ? n. 60. §. *Quid de apibus.*

CASUS XVII.

Marcellino, Neo-Parocho, primùm ædificatur nova domus, dein Decimatores novum templum compelluntur exstruere: operarii dum domum antiquam destruxerunt, invenerunt in tabulato superiore cubiculi absconditam summam 50. Imperialium, in stabulo fodientes ollulam monetâ antiquâ argenteâ plenam, & in turri templi pariter monetam antiquam, in trabe reconditam.

Quæritur 1mò. Quid sit Thesaurus? *2dò.* Ad quem inventus pertineat? *3tiò.* An pecunia inventa, in domo & turri recondita, accensenda sit thesauris, & ad quem pervenire debeat ? à n. 63.

CASUS XVIII.

Marcianus per fraudem acquisivit catenam auream, furatus est annulum aureum, invenit scyphum argenteum, & nescit, ad quos hæc pertineant. Scyphum vendidit, & partem pretii dedit pauperibus, partem sibi retinuit.

Quæritur 1mò. Quid agendum cum malè acquisitis, si Dominus sciri non possit ? *2dò.* Ad quid teneatur, qui rem alie-

alienam invênit ? *3tiò*. Si diligenter inquisitus Dominus non inveniatur ? an res retineri possit ? *4tò*. Quid, si omissa inquisitio, aut facta etiam sit, & Domino non comparente, res data sit pauperibus; Dominus autem dein compareat ? à n. 67.

CASUS XIX.

Marcus in confessione accusat se : Ligna collegi, & cæcidi tum in sylva vicina aliena, tum in sylva communitatis nostræ : equos meos pavi nocte in alienis pratis.

Quæritur, quomodo Marcus sit examinandus, & quomodo censendus peccâsse ? à n. 73.

CASUS XX.

Marianus ex lana aliena curavit fieri pannum, aliena frumenta, & pecunias miscuit suis : domus absumitur incendio, comburuntur frumenta & pannus, pecunia in tumultu aufertur.

Quæritur 1mò. An Marianus per illam suam operam factus sit dominus panni, frumenti, & pecuniæ ? *2dò*. Ad quid obligatus fuisset, si illa adhuc apud eum existerent ? *3tiò*. Ad quid nunc teneatur ? à n. 77.

CASUS XXI.

Marinus invenit rem alienam, non levis pretii : inquisitus diligenter dominus non

non invenitur. Elapſo aliquo tempore Marinus judicat, ſpem probabilem non eſſe, fore, ut dominus compareat; proinde incipit rem poſſidere ùt ſuam. Trienio inde completo talis poſſeſſionis, tenet, rem jam eſſe ſuam beneficio præſcriptionis, eàmque vendit; tum demum comparet Dominus.

Quæritur 1mò. An præſcriptione acquiratur Dominium etiam pro foro conſcientiæ? *2dò.* Quæ requirantur ad legitimam præſcriptionem? *3tiò.* An Marinus rem illam præſcripſerit? Videtur nonnullis, præſcripſiſſe: quia prudenter judicat, à Domino haberi rem pro derelictâ, cùm Dominus rationabiliter animum, rem habendi, ùt ſuam, retinere non poſſit, ubi non eſt ſpes probabilis eam recuperandi; conſequenter adeſt titulus pro derelicto. Deinde adeſt quoque bona fides, quia poteſt prudenter judicare, ſe poſſe licitè rem retinere.

Nec obſtat 1mò. Quòd in foro externo compellatur, Domino comparenti reſtituere rem. Id enim ideo eſt, quia probare non poteſt bonam fidem.

Nec obſtat 2dò. Quòd Dominus fortè non dimiſerit animum, rem habendi, ùt ſuam. Nam ad præſcriptionem ſufficit titulus, prudenter exiſtimatus, quando falſa opinio non eſt contraria legibus, utí eſt, quando eſt contra jus clarum, vel

circa

circa factum proprium. Quòd incerta ex delicto non præscribantur, ex eo est, quia Dominus vult ea expendi in causas pias. Ità *P. Zetl. in Clerico curato, p. 1. Instr. 4. n. 28. Pichler, & alii Canonistæ.*

His non obstantibus, tenent alii, quòd talis inventor non præscripserit: quia debuit constanter habuisse animum restituendi, si, contra, ac ille putavit, compareat rei Dominus; hic enim voluit, rem aut expendi in pias causas, aut retineri cum animo, ipsi comparenti restituendi, adeoque inventor non potuit eam possidere absolutè, ùt suam. Quod *confirmatur*: nam si inventor interrogaretur, currente triennio possessionis, an vellet Domino comparenti rem restituere, deberet respondere, se velle; ergo rem non possidet unquam, ùt suam. Quare Domino comparenti debet res restitui, si possit, aut ejus pretium, quod succedit in locum rei. Vide n. 87. 92. Coroll. 3. & n. 67. 68.

CASUS XXII.

Maro mutò accepit 300. Imperiales à Martiali, nullo tempore determinato, quando restitutio sit facienda. Intra 25. annos Martialis mutuum non repetit, dein moritur. Hujus hæredes, ex affectu erga Maronem, quia plures habet proles, & pecuniâ pro prosequendâ suâ negotiatione eget; primùm ipsum monent post

5. an-

5. annos. Maro putat, se 30. jam annis elapsis præscripsisse: eò quòd ità teneant Canonistæ, Pichler, Schmier., Hostiensis. *1mò.* Quia jus actiones personales ita restringit ad usum, ùt pereant, si intra 30. annos non intentantur. Imò Episcopus *Can. Placuit.* præscribit intra triennium, jurisdictionem in locum, quem ipse ad fidem convertit, etsi sciat esse alterius jurisdictioni subjectum. *2dò.* Scientia juris alieni, ex debito indefinitè contracto, & non exacto, ùt fatentur omnes, de Jure Civili, non obest bonæ fidei: Jus autem Canonicum non correxit Jus Civile, nisi quatenus in præscribente intervenit peccatum injustitiæ; hoc autem hìc non intervenit. *3tiò.* Servitus rustica, v. g. obligatio, permittendi alteri iter, vel aquæductum per tuum fundum, præscribitur, si is suo jure intra 20. annos non utatur. *4tò.* Talis debitor non est in mora, donec moneatur: & præsumitur creditor, in tanto tempore non monens, remisisse debitum. Consuluntur dein alii, qui cum Communi respondent negativè.

Ratio est: Quia Maro, sciens se debere, non potuit bonâ fide habere animum non solvendi, aut se gerere, tanquam non debitor; quamdiu autem se gerit, tanquam debitor, non præscribit. Imò repugnat Communi fidelium sensui, & æquitati. Quis enim dicat, te liberum debito, si

amicus

amicus mutuum tibi ex benevolentia dederit, & intra 30. annos, vel ex oblivione, vel ex humanitate ob tuam indigentiam non exigat, vel ipso mortuo, non petant hæredes? Nec probant illis argumenta Adversariorum: nam,

Respondent ad 1mum: Etsi Creditori fortè non detur actio in foro externo, ut vitentur lites; non ideo absolvitur in foro interno. Jus assistit positivè tali Episcopo, non debitori.

Ad 2dum. Malæ fidei possessor est, si non habeat animum solvendi: si habet, non præscribit.

Ad 3tium. In obligato servitute rusticâ, non requiritur actio, sed patientia, & alterius negligentia. Obligatus debito tenetur ad actionem.

Ad 4tum. Etsi in mora culpabili fortè non sit; manet tamen obligatio solvendi, & se gerendi, instar debitoris. Dein remissio est facti, quod non præsumitur. Plurimùm hìc valere debet communis Doctorum sensus, qui tenent, talem debitorem nunquam præscribere. Vide n. 102. Coroll. 4. & P. 2. n. 342.

CASUS XXIII.

Martinus, dubiâ fide, neglectâ inquisitione, possedit pratum, ex quo 10. annis percepit fœnum. Moritur Martinus, Filius ejus Mauritius, ùt hæres, ei succedit.

Hic

Hic ignorans fidem dubiam Patris , pergit possidere pratum , & percipere fructum ex eo. Tandem , quia venale est pratum aliud , ipsi magis opportunum ; vendit prius , & ejus pretio emit aliud. Emptor prioris bonâ id fide possidet decennio , & percipit ex eo omne emolumentum ; denique detegitur , cujus alterius fuerit pratum 1mum , dubiâ fide à Martino possessum.

Quæritur 1mò. An Mauritius potuerit pratum præscribere , & fœnum ? *2dò.* An id præscribere potuerit emptor illius ? *3tiò.* Quid agendum , ut Dominus illius prati primus percipiat, quod justitia requirit ? n. 96. 97.

CASUS XXIV.

Maurus emit bonâ fide scyphum argenteum à fure ; illum habuit tribus annis inter sua , tandem vendidit. Comparet Dominus , & scyphum repetit.

Quæritur 1mò. Quæ censeatur res furtiva ? *2dò.* An Maurus illum scyphum potuerit præscribere ? *3tiò.* An emptor illius acquisiverit ejus Dominium , & ad quid teneatur ? n. 104.

De Contractibus in genere.

CASUS XXV.

Maxentius , conductus à Paulo , ut literas

ras ferat Nancejum, audit, Petrum velle aliquem eò mittere: offert se illi, & paciscitur cum eo de eodem salario, silens, se conductum à Paulo. Commissione Nanceji expeditâ, contrahit sponsalia cum Luisia; redux, domi contrahit cum Benedictâ, hâc dein neglectâ, init matrimonium cum Juliana.

Quæritur 1mò. Quid sit contractus, & qualis debeat esse ejus materia? 2dò. An Maxentius licitè admiserit duplicem mercedem pro itinere Nancejum? 3tiò. An, & cur sponsalia 2da fuerint invalida: matrimonium autem validum, nisi aliud obstet? sub n. 109. & 110.

CASUS XXVI.

Maximinus emit à Cajo triticum, quod hic ex granario sui domini furto subduxit. Cajus pecuniam pro tritico acceptam partim lusu perdidit, partim donavit suæ sorori, matrimonium inituræ.

Quæritur 1mò. An Maximinus alieni tritici, & Cajus pecuniæ acquisiverit dominium? 2dò. An Cajus si quid lusu lucratus sit, & an soror pecuniam retinere possint? 3tiò. Quid, si pecunia, quam Maximinus dedit pro tritico, etiam fuisset furtiva, & Maximinus, nesciens, miscuisset suæ, ità ut discerni non posset? Sub n. 110. Corollar. 4.

CASUS XXVII.

Medardus, veniens ad Jacobum, ait: Cupio emere vas vini de anno 48. dicto pretio 20. ducatorum in auro. Jacobus ducit Medardum ad cellam, ostendit illi tria vasa, quorum duo sunt de dicto anno, alterum verò de anno 46. Medardus hoc eligit: tacet Jacobus, & hoc ei permittit, quia omnibus probatis id elegit. Medardus numerat Jacobo ducatos 20. in auro, qui in hujus loco pluris valent, quàm in loco domicilii Medardi: nihilominus hic eos retinet.

Quæritur, an licitè, & validè omnia sint peracta? à n. 111. n. 215. n. 259.

CASUS XXVIII.

Medericus deprehendit Maximum in furto: minatur illi, sine animo tamen faciendi, quod eum delaturus sit Magistratui; nisi sibi det aureum Carolinum. Maximus dat aureum: hoc accepto Medericus adit Melchiorem, cui debet pensionem de 500. Imperialibus, quinque in singulos quotannis centenarios, & pensionem numerat, aitque fictè, & simulando intentionem: Cogito capitale refundere, nisi velis esse contentus 4. Imperiales erga centum. Melchior, dolum non advertens, consentit.

Quæritur imò. An contractus, ex dolo

lo procedens, sit validus? n. 118. 120. 2dò. An Medericus licitè egerit, & non teneatur acceptum Carolinum restituere, & adhuc solvere pensionem, ut antè? n. 120. 121.

CASUS XXIX.

Melas, vir magnæ authoritatis, ludendo cum Melesio chartis, perdidit 100. Imp. Melesius, quia nox ingruit, & gravi urgetur negotio, surgit, volens redire domum: indignatur Melas, conviciis gravibus & minis urget, ut pergat ludere. Territus Melesius pergit ludere, & perdit 150. Imp.

Quæritur 1mò. An contractus, gravi metu injusto extortus, valeat? *2dò.* An Melas justè possit retinere 150. Imp. aut an contractus sit saltem rescindibilis? *3tiò.* Ad quid teneatur Melas, si hoc fieri non possit? à n. 122. 263. Coroll. 2.

CASUS XXX.

Menander, homo prædives, sed improlis, disposuit de suis hoc modo: 1mò. Ut Agatha, puella tenuis fortunæ, post mortem suam habeat 500. florenos, si nuberet. 2dò. Ut Catharina, quam suscepit ex Baptismo, habeat 200. si Religionem ingrediatur, & non nubat. 3tiò. Ut uxor sua habeat 1000, si non transeat ad secundas nuptias. 4tò. Rosalia accipiat

100.

100, si maneat apud uxorem suam. His peractis, Menander post annum moritur; Agatha cupit fieri monialis.

Quæritur, an possit gaudere dispositione factâ? Catharina quoque, repudiatis nuptiis, vult ingredi Religionem. *Quæritur*, an possit exigere 200? Uxor includit se Monasterio, ubi Rosalia illi servire non potest. *Quæritur*, an possit exigere, vel retinere 100? Sub n. 131. Reg. 3. & n. 277. Coroll. 8.

CASUS XXXI.

Menelius Margarethæ, ancillæ suæ fideli, promisit 100. florenos, & in testamento disposuit, ut habeat adhuc post mortem suam 50; sed voluntas ejus restricta fuit ad conditionem, si nubat. Margaretha nubit, verùm statim ante traditionem 100. florenorum moritur. Magdalenæ, alteri ancillæ, ut fideliter serviat in officina mercaturæ, promisit quoque 50. si litem, quam habet gravem, evincat. Anno post mortem Magdalenæ elapso, lis evincitur.

Quæritur, an promissa illa, & legatum transeant ad hæredes Margarethæ, & Magdalenæ? n. 131. reg. 4. & 5.

CASUS XXXII.

Mennas, Canonicus opulentus, & in pauperes liberalis, imò promisit 50. Im-

 perial.

perial. civi, quem erroneè putavit pauperem, & bonæ vitæ; sed nec pauper est, nec bonæ vitæ. 2dò. Dixit Evæ, puellæ pauperi, dono tibi 100, ut suo tempore nubas; Eva ingreditur Religionem. 3tiò. pauperi studioso promisit 20. festo omnium Sanctorum numerandos, ut solvat debita anni prioris; studiosus autem ante diem designatum moritur.

Quæritur 1mò. Quid sit primarium, quid secundarium motivum Contractûs, & an teneat promissio facta civi? n. 133. *2dò.* An obliget promissio facta Evæ, & ad hæredes jus transiisset, si ante numeratam summam fuisset mortua? n. 135. Coroll. 3. *3tiò.* An promissio facta pauperi studioso obliget? n. 138.

CASUS XXXIII.

Merulus, vir nobilis, contraxit matrimonium cum Antonetta, eâ lege, ut secum castra sequatur: hâc mortuâ, domum reversus, condit testamentum in favorem fratris sui, in eo legat Paulo 200. Imp. sub onere, ut in domum suam recipiat fratrem suum pauperem. Tribus sororibus legat Imp. 1000; sed ipso mortuo, dum aperitur testamentum, dubium est, an singulis legaverit mille?

Quæritur 1mò. An matrimonium illud, isto onere necdum impleto, subsistat,

ſtat, & legatum factum Paulo, mortuo Merulo, ſtatim valuerit? n. 134. 135. 2*dò.* An dandi ſingulis ſororibus mille Imper.? n. 139.

CASUS XXXIV.

Metellus, à patre ſuo miſſus ad ſtudia Treviros, ob malos mores coactus diſcedere, abiit Moguntiam, inſcio patre; ibi frequentavit aliquando Scholas, ſed ab hoſpite mutuò accepit pecuniam, & credito victualia, pannumque pro veſte. Exigitur à patre pecunia mutuò data, & pretium reliquorum. Pater, malis filii moribus offenſus, & diſceſſu, exiſtimat, ſe ad nihil teneri; eò quòd in accepta à filio non conſenſerit.

Quæritur, quid dicendum? à n. 151.

De Contractibus in ſpecie, ac imò de Promiſſione, ac liberali Donatione.

CASUS XXXV.

Modeſtus Apolloniæ promittit dotem, ſi nubere velit Alberto, Modeſti conſanguineo. Apollonia anceps, an velit nubere, non acceptat promiſſionem, Pater tamen ejus præſens acceptat. Modeſtus, antequam promiſſionem Apollonia acceptet, mutat mentem, & promittit pecuniæ ſummam illam Hoſpitali: hujus Rector neſcius, an non cedat promiſſio illa

in præjudicium prolium Modesti, tacet, & post tres dies informatus de statu Modesti, summam illam acceptat: negat nunc eam Modestus.

Quæritur 1mò. An promissio, ut obliget, debeat, & à quo possit acceptari? *2dò.* Quomodo obliget promissio facta & acceptata? *3tiò.* An Apollonia per acceptationem Patris jus acquisiverit? *4tò.* Si non, an Rector Hospitalis validè acceptârit post tres dies, vel rectè negaverit Modestus pecuniam Hospitali promissam? à n. 157. ad n. 163.

CASUS XXXVI.

Mucius, genii liberalis, promisit 1mò pro Templo ruinoso reædificando 50. Imper. Postea alius prædives suscipit ex contractu oneroso obligationem Templum ædificandi. 2dò. Promisit Civi pauperi equum; sed is per hæreditatem sibi delatam desinit esse pauper.

Quæritur 1mò. Ex quibus causis revocari possit, & desinat obligare promissio, necdum impleta? *2dò.* An Mucius sit liber obligatione promissionum? n. 163.

CASUS XXXVII.

Nabor Odilæ, nepti suæ, dono misit per Cajum 100. Imper. Dum Cajus est in via ad Odilam, rei ignaram, Nabor moritur.

Quæ-

Quæritur 1mò. Quid sit donatio? 2dò. An donatio illa subsistat, si Cajus, velut procurator, fuerit missus? & quid, si donatio facta sit ad causam piam? 3tiò. An, si Cajus sit missus, velut nuntius, tantùm intimaturus donationem factam, possit Odila hanc acceptare? 4tò. Quid, si Odila esset mortua ante adventum Caji, an ejus hæredes validè acceptâssent donationem? n. 165. 167.

CASUS XXXVIII.

Narcissus dedit uxori suæ, donatione inter vivos, 300. aureos: Florentium filium suum amat præ reliquis, & fovet eum, cum aliorum offensa, ei varia donat: applicat eum studiis, & dum alii pro augenda & conservanda re familiari domi laborant, liberaliter in studiis alit. Mortuo Narcisso reliqui liberi volunt in divisionem hæreditatis adduci dona, facta Florentino, & sumptus, ei in studiis impensos.

Quæritur 1mò. An, & quæ donatio inter conjuges valeat? 2dò. Quomodo peccent parentes, unum de liberis præ aliis, æquè, vel meliùs meritis, solvendo? 3tiò. An dona, & sumptus, Florentio factos, adduci oporteat in divisionem hæreditatis? à n. 168.

CASUS XXXIX.

Nemesius, ut debita pecuniaria à nobili,

bili, debitore moroso, obtineat, donat ejus administratori 3. Carolinos; hos hic admittit; sed nihil agit pro Nemesio.

Quæritur: An possit illos Carolinos retinere? n. 172.

De Deposito, Commodato, & Mandato.

CASUS XL.

Nicasius, Principis alicujus thesaurarius, pecuniis, sibi creditis à Principe, hoc inscio negotiatur in suum commodum, cumque nuper cistula, pecunias continens, ipsi traderetur, reposuit eam in cubiculo suo, non tamen in arca, in qua proprias pecunias asservare solet; postea cistulam lustrans, advertit, 1000. florenos clam ex ea esse subductos.

Quæritur 1mò. An, & quando liceat Depositario, uti re deposita? *2dò.* An Nicasius licitè possit retinere lucrum, quod, negotiando pecuniis Principis, acquisivit? *3tiò.* An teneatur ad 1000. florenos, Principi, clam subductos? n.175. Alium casum vide n.176.

CASUS XLI.

Nicetius commodavit Cæcilio peristromata, ad ornanda domûs suæ cubicula, pro excipiendo prænobili hospite, sed æsti-

æstimata priùs 100. imperialibus. Cùm hospes discessisset, domus Cæcilii fulmine evibrato incenditur, & peristromata comburuntur, quæ Cæcilius facilè servare potuisset; nisi res suas mobiles flammis subducere laboràsset.

Quæritur, An Cæcilius teneatur, Nicetio damnum reparare, tum quia peristromata antea fuerunt æstimata, tum quia res suas illis prætulit? n. 178. Coroll. 5.

CASUS XLII.

Nicephorus, frequenter usus operâ Joannis, viri industrii, commisit ei imò, ut emeret ipsi malderum tritici tribus aureis; Joannes emit medio aureo minoris, & hunc retinet.

Quæritur, an licitè? n. 182. *2dò.* Commisit ei equum, ut venderet 40. imp. Joannes vendidit 45. An potest retinere 5.? ibid. *3tiò.* Commisit ipsi, ut bovem venderet 24. florenis; Joannes jam non habens ità vendendi occasionem, bovem emit sibi illo pretio, & postea vendit cariùs. An licitè retinet excessum? ibid. Coroll. 2. & 3.

CASUS XLIII.

Nicolaus, Quæstor Christophori, prævidit, certò futurum, ut Christophorus

redimat 1000. imperialium cenſum annuum, quem debet Paulo; ſed refudit ex ſe capitale uno anno citiùs, quàm id mandavit, vel ſciverit Chriſtophorus. Hic poſtea mandat Nicolao, ut refundat ſummam mille imper. & adjicit cenſum anni ultimi: hunc retinet Nicolaus.

Quæritur, an licitè? Communis negativè reſpondet: quia ex domini ſui præſumpta voluntate, & nomine ejus refudit, aliàs actus eſſet nullus. V. n. 182. Sed quid, ſi Quæſtor ſuâ pecuniâ capitale retuliſſet?

De Mutuo, & Uſura.

CASUS XLIV.

Nicomedes Alexio mutuos dedit ſex Carolinos, & 6. maldera ſiliginis in Octobri, ſub pacto, ut Carolini redderentur anno ſequenti, in Novembri, ſiligo verò circa Paſcha. Valor Carolinorum interim decrevit, ſiliginis verò crevit; Nicomedes exigit reſarciri decrementum Carolinorum, & ſiliginem in natura, Alexius putat, hoc eſſe iniquum.

Quæritur, quid dicendum? à n. 185.

CASUS XLV.

Nicon, inhians lucris, variis mutuas dedit pecunias: *imò*. Achatio 200. Imper. cum onere, quotannis pendendi duos, eò quòd in gratiam illius ſe privet

ſola.

ſolatio ex præſenti pecunia, quam cenſet meliorem eſſe, quàm futuram : 2dò. Bernardo 300. recipiendo in ſe obligationem, non repetendi eos intra triennium ; pro hoc onere exigit unum erga 100. 3tiò. Pauperi Viduæ, non habenti, nisi pauperculam domunculam, quam inhabitat, 100. erga 5. annuè pendendos. 4tò. Conrado 100., ut annuè laboret in ſua vinea per octiduum.

Quæritur 1mò. Quid ſit mutuum & uſura? 2dò. Ex quibus titulis poſſit aliquid exigi ſupra ſortem, ſeu ſummam capitalem? 3tiò. Quæ pacta adjici poſſint contractui mutui? 4tò. An Nicon juſtè potuerit exigere illa auctaria? n. 183. 187. 191. 188. 190. §. *Dices* 3. In Analyſi n. 134.

CASUS XLVI.

Nilus in granario Donati habet frumenta, deditque huic facultatem iis utendi pro ſuo libitu, cum pacto, ut tantundem frumentorum reddat, & addat 10. modios. Item ſuorum bonorum adminiſtratori dedit facultatem, pro ſuo libitu, & commodo utendi pecuniis ſuis, cum pacto, ut annuè pendat auctarium 10. Imp.

Quæritur, an hæc fiant ſine uſura? n. 188. in fine. 194. Coroll. 7. n. 254.

CASUS XLVII.

Norbertus passim dat pecunias mutuas erga auctarium, non examinando, an adsit titulus illud exigendi, auctariis negotiando lucratur.

Quæritur 1mò. An Mutuator, exigendo auctarium sine titulo, &, præcisè ratione mutui, acquirat dominium usurarum? *2dò.* An negotiando usuris lucrum faciat suum? *3tiò.* Quo titulo in Germania dantes pecuniam mutuam erga pensiones, excusentur, dum non inquirendo in titulum procedunt? n. 196.197. 201.

De Emptione & Venditione.

CASUS XLVIII.

Odilo, & Odolaus Principi pecunias dederunt mutuas, quilibet Imperiales mille, quos difficulter recipere possunt, facilè autem impetrare potest Albertus ejus minister. Hic ab Odilone emit creditum 950. Imp. tantundem offert Odolao, qui renuit, & offert Alberto summam suam mutuam, ut commodo tempore numeret ipsi mille, consentit Albertus.

Quæritur, an hæc licitè peracta sint? n. 204. Coroll. 4. n. 195. Coroll. 3.

CASUS

CASUS XLIX.

Olympius emit piſcem à Piſcatore, in quo invenit gemmam. Saccum lanæ emit ab Officiali bellico, hoſtibus ereptum, in quo invenit 500. aureos: Siluit, & tum gemmam, tum pecuniam retinuit. Idem vendidit flores raros, & aves peregrinas pretio, quo potuit.

Quæritur 1mò. An hæc omnia fecerit licite? n. 204. Coroll. 6. n. 205. *2dò.* Quodnam ſit juſtum rerum pretium? n. 203.

CASUS L.

Optatus quædam emit minoris, quàm tempore emptionis valebant, quia vendentes egebant: quædam etiam vendidit juſto pluris, quia videbat emptores ſpecialiter erga ea affici: quædam, quia ſpecialem ipſe erga ea affectum habebat. Tandem eò redactus, ut impar eſſet ſolvendis debitis, advertit ſua ſub haſta ſeu publica auctione eſſe vendenda; & quia novit aliquos ſingulari affectu ferri, ut acquirant ejus domum, ſubordinat aliquos, qui, ſimulando intentionem emendi, augeant pretium; atque itá domus carius venditur.

Quæritur 1mò. Unde creſcat, & decreſcat rerum pretium? *2dò.* An Optatus

tus justè in his processerit, & ad quid teneatur? à n. 206. ad n. 208.

CASUS LI.

Orentius frumenta habet venalia circa festum S. Martini; venit ad eum Liberius, & cupit ea emere; negat Orentius, se ea venditurum ante Majum, offertque illa Liberio pro pretio tunc cursuro. Liberius, qui eget pro sua familia, emit illa pretio isto, tunc solvendo.

Quæritur, an justè vendiderit Orentius, & quæ observanda? n. 208.

CASUS LII.

Orestes invenit in prato suo ejectum à talpa ex terra nummum aureum veterem, cujus pretium ignoratur: defert illum ad Aurifabrum; hic offert illi pretium justo minus, inquiens; Esne hoc contentus, visque mihi donare, si plus valeat? Annuit Orestes.

Quæritur. An Aurifaber sit tutus in conscientia? n. 211.

CASUS LIII.

Oriculus emit frumenta, anticipatâ solutione, ideoque pretium dedit justo minùs: dein vendidit ex iis ad creditum quædam pretio summo justo, quædam supra justum pretium.

Quæ-

Quæritur : An licitè, & quæ hic consideranda? n. 212.

CASUS LIV.

Princeps concepit decretum de frumentorum, & certæ monetæ, valore imminuendo, quod norunt quidam ejus Ministri : his Princeps ſolvit ſua ſalaria in ea moneta, valore adhuc currente, sicque & Miniſtri ſolvunt ſua debita, & domeſticis ſalaria. Mandatur dein Magiſtratui, ut decretum promulget, quod antequam faciat, qui de Magiſtratu ſunt, vendunt civibus ſua frumenta pretio majore adhuc currente.

Quæritur ; An hæc juſtè & licitè facta? n. 213.

CASUS LV.

Otto in nundinis venit ad Mævium, & ait: Cupio equum, aptum currui. Mævius oſtendit ipſi equos, quo venales habet Otto eligit unum, bonum quidem ad equitandum, ineptum tamen ad trahendum currum. Mævius tacet, & equum juſto pretio ei tradit.

Quæritur 1mò. An, & quæ venditor emptori teneatur indicare vitia rerum venalium? *2dò.* Ad quid teneatur, ſi non indicaverit? *3tiò.* An Mævius licitè proceſſerit? ſi non, ad quid teneatur? à n. 215.

CASUS

CASUS LVI.

Padianus 1mò agrum, in quo sciebat latere thesaurum, emit communi pretio: Dein vas aurichalco ità obductum, ut communi æstimatione haberetur æneum, sed postea invenitur esse aureum. 3tiò vendidit debitum, quod communiter putabatur securum, ipse autem sciebat esse periculosum, & tacuit,

Quæritur 1mò. An teneatur ad aliquid venditoribus agri & vasis? *2dò.* An justè vendiderit illud debitum, sitque securus in conscientia? n. 217. 219.

CASUS LVII.

Palmatius, Pistor, pinsit panes ex farina triticea quidem, sed mixtâ farinâ hordaceâ: promit amphoratim vina, & iis, quæ putat generosiora, quàm vina aliorum, eodem pretio vendi solita, admiscet vitrum aquæ singulis amphoris, & vendit communi pretio tum panem, tum vinum.

Quæritur, an justè, & licitè? n. 220.

CASUS LVIII.

Pancratius emit 1mò à Sempronio equum 40. flor. is ante traditionem lapsus in foveam periit. 2dò. duos acervos tritici, in singulos modios medio imperiali: ante

ante traditionem crevit pretium, dein unus acervus incendio absumptus est.

Quæritur 1mò. An, & quando per venditionem transferatur dominium in emptorem? *2dò.* Ad quem spectet periculum commodum, & incommodum rei venditæ? *3tiò.* Cui equus perierit, cui frumentorum acervus interierit, & cui alterius pretium creverit? à n. 224. 225.

CASUS LIX.

Papius vendidit Antonio equum, dein eundem vendidit Cleto, & tradidit. Idem calicem, & venditum Ecclesiæ, ante traditionem vendidit Aurifabro.

Quæritur 1mò. An Cletus possit retinere equum? *2dò.* Quid, si Antonius ante traditionem equi sibi factam, solvisset pretium? *3tiò.* An validè sit venditus calix Aurifabro? n. 232.

CASUS LX.

Paschasius apparenter dives, ære autem alieno gravatus, ut liberos suos in statu collocet juxta conditionem divitis, vendidit bona immobilia, & ità se imparem reddidit solvendis debitis.

Quæritur 1mò. An licitè fecerit? *2dò.* An teneantur emptotes bonorum ejus ad restitutionem? *3tiò.* Ad quid teneantur liberi? n. 232. Coroll. 3

CASUS LXI.

Paternus emit res furtivas: aliquas scivit esse tales, de aliis dubitavit; emit tamen, eò quòd ab aliis essent emendæ.

Quæritur 1mò. An, quando, & quo animo, licitè res furtivæ emi possint? ac dein quid judicandum de paterno? n. 232. Coroll. 5. 2dò. An emens res furtivas acquirat illarum dominium, & venditor dominium pretii? 3tiò. Ad quid porrò teneantur? n. 110. Coroll. 4.

CASUS LXII.

Patricius tenuem habet Parochiam, cujus proventus ad honestam sustentationem vix sufficiunt: proin emit in autumno pecuniis, mutuò acceptis, aliquot vasa vini, ut post annum, unum, & alterum, cum lucro vendat: pecunias quoque, quas ex vinis venditis comparavit, tradit Mercatori cognato suo; ut iisdem negotietur, sibique partem lucri tradat.

Quæritur 1mò. An emptio talis sit Clericis prohibita? 2dò. An Patricius licitè egerit; 3tiò. An Clerico liceat negotiari per alium? n. 202. & p. 2. n. 416.

CASUS LXIII.

Mercatores certæ civitatis conspirârunt, ut nullus ex iis certas, quas habet merces,

ces, nisì summo pretio vendat: vendunt quandoque merces vitiosas, mendaciis inducunt homines; ut pluris emant, quàm aliàs fuissent empturi. Jurant quandoque falsò, se pluris vendidisse, sibi pluris constare.

Quæritur: Quid ad hæc dicendum? n. 233. & 221.

De Locatione, & Conductione.

CASUS LXIV.

Paulinus Titio elocavit agros ad quinquennium, qui uno anno ob sterilitatem anni omnino parum protulerunt, alio autem, fruges partim pluviâ inundante, partim fulmine vastatæ sunt. Quare Titius Paulinum rogavit, ut sibi de canone remitteret: id recusavit Paulinus. Hinc Titius interrogat, annon, ubi occasio erit, possit occultè aliquid aliis annis subtrahere?

Quæritur 1mò. An non teneatur aliquando Locator remittere de canone? *2dò.* An Paulinus justè neget remissionem? *3tiò.* An justè ageret Titius? à n. 235.

CASUS LXV.

Paulus famulus confitetur: 1mò. Fui quandoque negligens in laboribus, mihi ab hero meo injunctis. 2dò missus, ut emerem frumenta, parcè mercatus sum;

quandoque subtraxi pretio, ab aliis dari solito, retinuique tanquam fructum singularis meæ industriæ, quam hero non debeo. 3tiò, Jussus Advocato ferre honorarium, ut litem heri mei eò diligentiùs ageret, honorarium retinui, quia Advocatus est meus consanguineus, & promisit omnem diligentiam intuitu meî se impensurum.

Quæritur 1mò. Quæ negligentia in famulis censeatur gravis, itâ, ut teneantur de damno? *2dò.* An in casu licitè ista retinuerit Paulus? n. 237. in Neo-Conf. sub n. 152. *La Croix. L. 3. p. 1. à n. 1037.*

CASUS LXVI.

Paulina Confessario exponit: Quando vinum promo, quandoque bibo in cella: quandoque mediam amphoram accipio pro me, & alia ancilla; quia in mensa, etiam majoribus festis, non habemus, nisi aquam. 2dò, subtraho mihi quandoque aliquid in mensa, & do pauperibus, sed dein vesperi majorem famem habeo. 3tiò, pauperibus fœminis, quæ domi juvant me in laboribus, sæpius do panem & olera, insciâ dominâ meâ. His dictis, petit à Confessario, an hæc licitè possint fieri.

Quæritur: Quid respondendum? n. 138. in Neo-Conf. sub n. 152.

De Censu, Emphyteusi, Contractu Societatis, & Cambio.

CASUS LXVII.

Petrus ad censum vitalitium dedit templo S. Pauli 1000. Imp.: terminus autem solvendi censum, constitutus est dies primus Februarii, quo etiam pensio pro anno 1751. soluta est. Tertiâ mensis Augusti in eodem anno moritur Petrus. Hæredes exigunt pensiones, quæ currebant à 1. Febr. 1751. ad 1. Febr. 1752. negat Pastor, contendens, tantùm deberi à. 1. Februarii 1751. ad 3tiam Augusti.

Quæritur: Quid dicendum? Vid. n. 245. La Croix L. 3. p. 2. n. 1023.

CASUS LXVIII.

Philemon in Emphyteusin accepit à Lib. Barone villam: sed agros, prata, &c. negligenter coluit: Canonem solvit aliquot annis, postea intermisit, & Jus suum Emphyteuticum alteri vendidit. Baro negat, venditionem esse validam, & villam ad se retrahit sine sententia.

Quæritur 1mò. Quæ sint obligationes Emphyteuticæ? *2dò.* Quando res Emphyteutica fiat caduca, seu redeat ad dominum directum? *3tiò.* An fiat caduca ipso Jure, sine monitione & senten-

tia Judicis ? 4tò. An venditio, donatio, &c. sit valida ? à n. 247. La Croix 1057.

CASUS LXIX.

Philetus mille imperiales justè acquisitos, negotiationi Caji, divitis Mercatoris, contulit : alios mille, in officio Commissarii bellici malè partos, industriæ Sergii, qui lignis negotiatur apud Hollandos, ut in partem lucri veniat. Cajus acquisivit lucrum 200. imp. : sed quia negligentior fuit, Philetus repetit suum capitale, & medietatem lucri : Sergius semel lucratus est mille, alterâ vice ratis lignorum periit : Philetus repetit summam suam totam.

Quæritur 1mò. An Phileto conveniat medietas lucri à Mercatore ? 2*dò*. An ex pecunia furtiva proveniens lucrum, ex parte possit exigere Philetus ? 3*tiò*. An Phileto debeatur summa collata Sergio ? 4*tò*. Quid dicendum, si Sergius quidem ratem deduxisset in Hollandiam, sed impensâ suâ industriâ nihil esset lucratus, an posset Philetus repetere summam suam totam ? à n. 253.

CASUS LXX.

Philibertus indiget hic pecuniâ : adit Campsorem, & petit per Cambium 94. ducatos Romæ refundendos. Campsor eos nume-

numerat, qui hìc valent, quod Romæ centum, proinde Romæ Campſor accipit 100.

Quæritur 1mò. Quo titulo cambia ſint juſta? *2dò.* An Campſor Romæ licitè poſſit curare ſibi numerari 100. ſi illi huc eſſent transferendi? n. 257. 258.

De Aſſecuratione, Sponſione, Luſu, & Tranſactione.

CASUS LXXI.

Philippus ex Anglia exſpectat merces, timetque, ne in mari pereant: ſcribit proinde ad Philonem; ut ſpecialem curam gerat. Philo ſuſcipit in ſe periculum erga 500. Imp. obligatque ſe ad merces ſolvendas, ſi pereant: merces autem valebant ad mille imperiales, & Philo in tota ſua ſubſtantia non habebat ultra 400. Imp. merces tamen ſalvæ advectæ ſunt.

Quæritur 1mò. Quæ requirantur ad aſſecurationis contractum juſtum? *2dò.* An Philo poſſit admittere 500. n. 260.

CASUS LXXII.

Philologus, vacante Parochiâ, ad quam tres aſpirant, certat cum tribus illis, ſingulis pro 5. florenis, quòd nullus illorum ſit eam accepturus, ſed ſuus nepos,

 qui

qui & illam obtinet. Proinde Philologus à singulis exigit 5. florenos.

Quæritur 1mò. Quid requiratur, ut contractus sponsionis sit justus? *2dò.* An Philologus possit à singulis 5. florenos exigere? à n. 261.

CASUS LXXIII.

Philomenus, Sacerdos, lusui addictus chartarum, in eoque bene versatus, 1mò lusit cum Petro, quem scivit esse se multò imperitiorem, & lucratus est florenos quatuor. 2dò. Lusit cum filio familias, à quo lucratus est flor. 5. 3tiò. Lusit cum Religioso, cui non erat licentia exponendi ultra florenum unum: qui cùm lucratus esset duos, velletque cessare; adduxit eum, ut pergeret ludere. Hic perrexit, & perdidit florenos quatuor, per fraudes à Philomeno deceptus.

Quæritur 1mò. Qui lusus, si cum excessu fiant, sint Clericis prohibiti? *2dò.* An liceat ludere cum eo, qui scitur esse minùs lusûs peritus? *3tiò.* An Philomenus licitè retineat lucrum à filio familias acquisitum? *4tò.* An Religiosus ille potuerit licitè adduci, ut plus exponeret, quàm florenum? *5tò* Quæ fraudes sint licitæ, & quæ illicitæ in illo lusu? n. 262. 263. 264.

CASUS LXXIV.

Philotheus controverſiam habet cum vicino ſuo circa pratum aliquod, dubiumque eſt, cujus ſit. Ut evitent ſumptuoſam litem, inter ſe tranſigunt, ut Philotheus pratum habeat, & vicino numeret 100. florenos. His numeratis, poſt menſes aliquot Philotheus invenit documentum, quod pratum vicino illi ab avo ſuo ſit venditum, & certò ad ipſum pertineat.

Quæritur: An transactio teneat, & retinere pratum poſſit Philotheus? n. 270.

De Teſtamentis, reliquiſque ultimis voluntatibus.

CASUS LXXV.

Pierius teſtamentum condidit, in quo hæredes inſtituit ſuos ex fratre, & ſorore nepotes, legavitque Monaſterio 200. ducatos, cum onere, quot annis pro ſe, & Defunctis ex familia celebrandi Miſſam anniverſariam: pronepti ſuæ Annæ, & Pio, ſuo in tertio gradu conſanguineo, 100. florenos, ad uſus honeſtos pro arbitrio impendendos Poſt annos aliquot Pierius improlis moritur. Teſtamentum impugnatur, tanquam carens requiſitâ ſolennitate.

Quæritur 1mò. Quæ solennitas requiratur ad valorem testamenti, tum profani, tum pii? *2dò.* An legata tum profana, tum pia in testamento, ex defectu solennitatis civilis invalido, relicta valeant, & sint solvenda? n. 271. 276. 277. 288.

CASUS LXXVI.

Pius ex uxore sua Pulcheria duos suscepit filios; his singulis, matre mortuâ, ad Monasterium opulentum admissis, pro legitima assignavit, & tradidit ter mille florenos, reliquas suas possessiones, & pecunias suæ dispositioni reservans. Elapsis aliquot post filiorum in Religione Professionem annis, valetudo Pii cœpit variè tentari. Quare cœpit conscribere testamentum, in quo hæredem quidem instituit Parochialem suam Ecclesiam, sed, testamento necdum absoluto, moritur. Post mortem reperitur schedula ejus manu scripta, sine die & anno, nec subscriptione, nec teste firmata, in qua legavit pauperibus loci sui domicilii 200. florenos, inter ipsos distribuendos. Insuper statuit, ac disposuit, ut, detractis necessariis pro funeralibus, reliqua pecunia Sacris, statim à morte sua legendis, impenderetur, & molendinum, quod habebat, elocaretur, quo ex proventu, seu locagio, Missa anniversaria pro se, & Defunctis ex familia in perpetuum celebraretur, reliquum

quum verò locagii cederet Pastori loci pro pauperibus occultis, præsertim infirmis, & conservatione molendini.

Quæritur imò. An testamentum illud pium imperfectum sustineri possit, ac debeat, tanquam validum? *2dò.* An sufficiat schedula illa, ut pia legata reputentur valida, aut bona illa ad hæredes ab intestato, vel ad Monasterium devolvantur? n. 276. *La Croix L. 3. p. 2. n. 1130. n. 811*

CASUS LXXVII.

Placidius testamento sororem suam unicam Cæciliam hæredem instituit sub hac clausula, ut, si moriatur absque prole legitima, 100. Imperiales distribuantur pauperibus, reliqua autem bona redeant ad consanguineos proximè junctos. Mortuo Placidio, Cæcilia ingreditur Monasterium, factáque Professione, consanguinei putant, hæreditatem jam ad se esse devolutam. Ne tamen errent, consulunt suum Pastorem, qui tanquam vir doctus celebris est. Hic casum illum proponit in Congregatione suorum Confratrum, ex quibus magis versati responderunt, inprimis consanguineis substitutis nullum jus competere ante mortem naturalem Cæciliæ; quia per Professionem non verè est, sed tantùm fictè mortua: Dein hæreditatem illam absolutè, & in perpetuum pos-

se retinere Monasterium, quia hoc, tanquam filius excludit omnes substitutos: uti habet *Novella 123. de Episcop. cap. 37.* quæ solùm excipit, nisi facta sit in aliam causam piam, quæ exceptio ne frustra sit posita, tenendum esse, quòd Monasterium non gaudeat isto privilegio, si alia causa pia sit substituta, v.g. Ecclesia Parochialis, vel Hospitale: cur autem favor ille successionis concessus sit, si causa profana sit substituta, rationem esse, ne quis alioquin à statu perfectiore retrahatur.

Quæritur, an rectè responsum? Vide *La Croix L. 3. p. 2. n. 1139.* ubi refertur sententia opposita Lessii.

CASUS LXXVIII.

Placidus, improlis, testamento instituit hæredes, tres ex sua sorore nepotes, Paulum, Joannem ac Jacobum: & Annæ, nepti suæ, in eo legavit 100. Imp. si non nubat, sed Religionem ingrediatur; at testamentum, quia Placidus inopinatâ morte obiit, caruit solennitate Juris Civilis. Quare nepotes prævident, quòd hæreditatem dimidiam prætensurus sit frater Placidi, ùt successor ab intestato. Paulus debebat Placido 300. Imper., in vim contractûs societatis ad negotiandum non itâ pridem traditos, & tacet, sibi eos retinens, consentiente Joanne, & Jacobo.

Post

Poſt annos dein aliquos ingreditur Monaſterium, hocque ante Profeſſionem hæredem inſtituit omnium ſuorum bonorum, præterito avo ſuo paterno.

Quæritur 1mò. An tale Teſtamentum valeat pro foro interno, poſſintque hæredes teſtamentarii, antequam frater adeat hæreditatem, aliqua ſibi ſubducere, conſequenter Paulus licitè retinuerit 300. illos Imp.? *2dò.* An, ſi frater ſciat voluntatem Placidi, teneatur, nepotibus relinquere hæreditatem? *3tiò.* Quid tenendum in foro externo, ſi frater nolit præſtare juramentum, ſe neſcire voluntatem Placidi? *4tò.* Quid dicendum de legato Annæ relicto? *5tò.* An Paulus inſtituere potuerit Monaſterium, omnium bonorum ſuorum hæredem, præterito avo; cùm licèt, præſente filio, in cujus locum venit in ultimis diſpoſitionibus Monaſterium, nihil debeatur aſcendentibus, hoc tamen verum non ſit, niſi in caſibus, à jure expreſſis, qualis hic non eſt. Unde ſi Paulus ante profeſſionem teſtamentum non feciſſet, aſcendentibus obveniſſet ſua legitima portio ab inteſtato, reliqua accepiſſet Monaſterium. Itaque hic avo ſua portio neganda non eſt. N. 278. 288. 277. Coroll. 8. La Croix n. 1158.

CASUS

CASUS LXXIX.

Polycarpus, in florida ætate, nomine militiæ dato, ad varia officia promotus, comparavit tum ex ſtipendiis, tum ex hoſtium ſpoliis, tum per alios negotiando, magnam pecuniæ ſummam, multaſque poſſeſſiones: Nunc annis gravis, carensque prolibus, præter filiam illegitimam, condidit teſtamentum, inſertâ clauſulâ codicillari, hæredemque inſtituit Hoſpitale militum læſorum, & infirmorum, in eoque hæc legata fecit: 1*mò.* Templo Parochiali 100. legavit ducatos, an in auro, vel aliâ materiâ non exprimens. 2*dò.* Suo ex ſorore nepoti equum: nepti 25. oves ex grege ſumendas. 3*tiò.* Filiæ illegitimæ donatione inter vivos tantùm dedit, ut honeſtè vivere, & commodas poſſit conſequi nuptias. 4*tò.* Fratri ſuo Antonio, tenuis fortunæ, & multis liberis aucto 300. ducatos in auro. Hunc favorem ſibi factum audiens Antonius, gaviſus quidem eſt magnopere; ſed quia ſciebat ſe jam provectæ ætatis, & debilem eſſe, timebatque, ne ipſe ante Polycarpum, fratrem ſuum moreretur, adivit virum doctum, interrogavitque, an legata tranſirent ad hæredes? Qui cùm ei reſpondiſſet *imò.* Non tranſire, ſi Legatarius moriatur ante Teſtatorem: quia nullum jus acquiſiviſſet, quod tranſmitte-

re

re poſſet : & idem eſſe de teſtamento, donatione mortis causâ. *2dò.* Tranſire verò, ſi Teſtator moriatur ante Legatarium, etſi hæres necdum adierit hæreditatem, aut Legatarius adhuc nihil ante mortem ſuam acceperit. *3tiò.* Tranſire ad hæredes, ſi factum ſit legatum in diem certum, v. gr. ſolvendum proximâ primâ die Januarii, & Legatarius poſt mortem teſtatoris ante illum diem obeat : eò quòd æquivaleat donationi abſolutæ ; at non tranſire, ſi factum ſit in diem incertum, v. g. ſolvendum, ubi liberi certum amplectentur ſtatum, & Legatarius ante diem illam obeat : eò quòd æquiparetur donationi conditionatæ. His auditis, Antonius adit fratrem ſuum, rogatque, ut addat teſtamento codicillum, quo ipſi, ſi ante fratrem teſtatorem moritur, ſubſtituat ſuos liberos. Conſentit frater, & ſtatim codicillum adjicit.

Quæritur 1mò. Quomodo interpretanda ſint legata in dubio de materiæ legatæ quantitate, vel qualitate ? *2dò.* An filia illegitima poſſit inſtitui hæres ? quantum ei donari poſſit, vel debeat ? *3tiò.* Quid requiratur ad codicillum, tum profanum, tum pium ? *4tò.* Quos effectus habeat codicillus, & clauſula codicillaris ? n. 281. 272. 287. *La Croix ſub n. 1129. R. 1. ad q. 2. n. 1132. 1164.*

CA-

CASUS LXXX.

Polydorus, tres habens filios, testamentum condidit, singulisque portionem legitimam assignavit superabundantem: uni tamen, qui plùs cæteris laboravit pro augenda re familiari, alendisque parentibus, insuper domum, & officinam fabrilem ferrariam. Mortuo patre, duo filii reliqui, conqueruntur de inæquali divisione hæreditatis, sibique putant factam injuriam.

Quæritur 1mò. Quæ sit portio legitima liberorum? *2dò.* An possint parentes uni ex liberis plùs, quám aliis in testamento relinquere, aut etiam donare? à n. 284.

CASUS LXXXI.

Protasius, Parochus, adfuit Gervasio, Parochiano suo moribundo, qui ei ad calamum dictavit quædam legata pia, & donationem pro Templo suo mortis causâ, adjectâ promissione, se eadem non revocaturum. Mortuo Gervasio, Protasius profert illud scriptum, aitque, hæredes teneri illa legata, & donationem exequi, & satisfacere intentioni defuncti. Tergiversantur hæredes, dicuntque se non teneri credere, eam fuisse defuncti intentionem, & legata illa fuisse facta.

Quæritur 1mò. Quid dicendum, & quo-

quomodo Parochus in tali casu se gerere debeat? n. 277. Coroll. 2. *2dò.* Quid sit donatio mortis causâ? n. 273. *3tiò.* Quid dicendum, si statum amplectens Religiosum ante, vel post ingressum renuntiet hæreditati, vel per donationem certa bona abdicet? Vide *apud La Croix n. 1125. pag. 701. n. 1126.*

De Injuria & Restitutione in genere.

CASUS LXXXII.

Poëmon, plures habens in domo suâ Juris candidatos convictores, emit plaustrum vini à Marcello, de quo promens convictoribus, parcit vino suo meliori. Vase ad dimidium exhausto, dissiliunt in eo, circuli lignei, & reliquum vinum effluit. Postea Poëmon comperit, illud vinum fuisse furtivum, & Marcellum non esse solvendo.

Quæritur 1mò. Ex quibus radicibus oriatur obligatio restituendi? n. 300. *2dò.* Quod inter eas discrimen? n. 301. *3tiò.* Quo sensu rem alienam bonâ fide consumens teneatur tantum restituere, quanto factus est ditior? n. 303. *4tò.* Ad quid teneatur Poëmon? n. 303. *5tò.* Quid dicendum, si vinum fuisset ex uvis furtivis?

CASUS LXXXIII.

Polius prædium bonà fide possedit annis

nis novem, agros & prata melioravit: lis autem ei à Marino movetur circa proprietatem prædii. Lite pendente, Polius insistit possessioni, colit agros, & percipit fructus: tandem causa cadit, prædium adjudicatur Marino.

Quæritur 1mò. Quos fructus teneatur restituere, qui rem alienam bonâ fide possedit? *2dò.* Quæ melioramenta possit deducere? *3tiò.* Quid teneatur Polius restituere Marino? à n. 304. *4tò.* An teneatur fructus restituere, bonâ fide consumptos, æquivalenter tamen adhuc existentes? n. 310.

CASUS LXXXIV.

Pollius ex domo Victoris furatus est patinam argenteam, eámque donavit Leopoldo, suo ad officium lucrosum promotori. Leopoldus bonâ fide eam curavit deaurari; postmodum detegitur furtum, & patinæ dominus.

Quæritur 1mò. An Leopoldus teneatur patinam deauratam restituere Victori: aut possit restituere Pollio, ut recipiat compensationem deaurationis? *2dò.* Quid dicendum, si Leopoldus eam emisset, & curasset inaurari, bonâ fide emptam? à n. 308. n. 81.

CASUS LXXXIV.

Polymon equum suum, ne manens in sta-

ſtabulo nimis diu, morbum contraheret, Leandro mercatori pro itinere 10. leucarum commodavit. Equus in via cœpit laborare anginâ: Leander non intelligens morbum, neglexit adire veterinarium, ſeu medicum equorum, quem habere poterat, adhuc ab urbe, ad quam pergebat, mediâ horâ diſtans: perſuaſus, ſat maturè ſe futurum in urbe, & peritiorem medicum inventurum, ſed ante ingreſſum in urbem equus periit.

Quæritur 1mò. An aliquando ſit obligatio, reſtituendi ex contractu, ubi culpa Theologica non intervenit? *2dò.* Si ita; quæ culpa requiratur Juridica? *3tiò.* An Leander in caſu teneatur compenſare damnum? n. 314. 315. 316. *4tò.* Quid dicendum, ſi Leander à Judice condemnaretur ad compenſandum damnum? n. 318.

CASUS LXXXVI.

Polymus, cuſtodiens equos ſui patris, indormivit, & equi grave damnum intulerunt frugibus alienis: poſtea ſerviens Gratiano nobili, impendit quidem rebus domini cuſtodiendis, & curandis diligentiam; evenerunt tamen damna domino, quæ non eveniſſent, ſi Polymus majorem diligentiam adhibuiſſet.

Quæritur 1mò. An Polymi pater domino teneatur damnum compenſare,

quod equi intulerunt? 2dò. An Polymus teneatur de damnis, quæ evenerunt Gratiano? n. 317. Coroll. 1. & 2.

CASUS LXXXVII.

Pompejus, Advocatus, suscepit causam Albani, à quo recepit documenta pro causa ejus evincenda, collocavitque simul in loco ordinario, in scripto ea judicio propositurus. Unum è documentis obliviscitur: ex aliis format processum. Judex expendens fundamenta causæ producta, condemnat Albanum etiam in expensas. Post medium annum Pompejus invenit documentum, in scripto non adductum, existimatque, Albanum, saltem in expensas, non fuisse condemnandum, si hoc documentum fuisset simul adductum.

Quæritur nunc, an teneatur de damno Albani? n. 317. Coroll. 3.

CASUS LXXXVIII.

Pomponius 300. florenos mutuos dedit Masio, quos post tres annos repetit. Masius sibi persuadens, quod Pomponius per incendium domûs amiserit chirographum, negat, se quidquam illi debere. Pomponius, offensus, ex vindicta Petro, volenti condere testamentum in favorem Masii, id dissuadet, & dissimulans, se habere

bere chirographum debiti, provocat Masium ad Judicem, & litem evincit, Masiusque condemnatur in expensas, & ad refusionem.

Quæritur 1mò. Qualis culpa Theologica esse debeat, ut inducat obligationem restituendi? *2dò.* An intentio faciat actionem injuriosam, teneaturque Pomponius damna Masio compensare, quia illa ex vindicta causavit, & animo nocendi: sicut, si animo, non restituendi, arripias alienum librum, actio est injuriosa; secùs, si fiat animo tantùm legendi? n. 319.

CASUS LXXXIX.

Pontianus, iter agens per sylvam, primò obvium habet Celsum, & interrogat, an iter per sylvam sit tutum? Celsus, quasi ignarus linguæ, nihil respondet, intendens, ut Pontianus suis spolietur: dein obviat Pontiano Odilo, hic interrogatus, an via sit secura? ex odio respondet, nihil esse periculi, etsi is vix evaserit celeri suo equo manus latronum. Pergit Pontianus, & à prædonibus spoliatur equo, & 300. florenis.

Quæritur 1mò. An Odilo teneatur compensare damna Pontiano? *2dò.* An Celsus fuisset obligatus, si Odilo non obviâsset, aut an in defectu hujus teneatur? à n. 319.

CASUS XC.

Potamius, volens occidere Cajum inimicum, graviter vulneravit Titium amicum suum, putans esse Cajum, & dein in sylva, obvium habens Cajum, glande plumbeâ illum trajecit, intendens, aut saltem prævidens, homicidium imputandum esse Sempronio, qui & conjectus est in carcerem.

Quæritur imò, An Potamius Titio teneatur compensare expensas in vulneris curationem? *2dò.* Ad quid teneatur hæredibus Caji? *3tiò.* An teneatur ad damna à Sempronio, vel hæredibus ejus avertenda, aut ad eadem illis compensanda? n. 319. §. 4. n. 320. Coroll. 3.

CASUS XCI.

Præsidius semel cum culpa gravi, semel cum leví, ex semiplena advertentia, intulit suis pecoribus grave damnum alienis frugibus: semel per fraudem non solvit decimas, cuidam Abbatiali Monasterio debitas. Hæc dum confitetur, Confessarius sciens Abbatis liberalitatem, Præsidii verò tenuitatem, & obsequia Monasterio præstita, monet eum, ne deinceps decimas præstare omittat, & præsumit, Abbatem non desiderare restitutionem, sicque Præsidium à restitutione deobligat.

Quæ-

Quæritur 1mò. Quæ culpa inducat obligationem gravem, reparandi damnum grave? *2dò.* An damnum grave, per culpam ſemideliberatam illatum, ſit ſub gravi, vel levi peccato compenſandum? *3tiò.* Quid dicendum in dubio, an culpa fuerit gravis, vel levis, & quid ordinariè præſumendum? *4tò.* An, ſi Abbas poſtea ſciatur, nolle remittere decimas non ſolutas, ſit obligatio compenſandi? à n. 322. ad n. 326.

CASUS XCII.

Primitivus, ab adoleſcentia aſſuetus furtis, per culpas merè veniales, varia à variis eſt furatus, quæ & ludendo, & potando dilapidavit: poſtmodum progreditur ad furta gravia, & pecuniâ furtivâ negotiatus eſt, eâque ad cenſum expoſitâ lucrum fecit.

Quæritur 1mò. An ſub mortali teneatur reſtituere materiam gravem per parva furta merè venialia ſucceſſivè ablatam? n. 326. *2dò.* An negotiando pecuniâ furtivâ, eamque exponendo ad cenſum, lucrum fecerit ſuum?

Ratio dubitandi eſt: Quia pecunia cenſui &c. expoſita fructificat, ùt patet, ſi exponatur per contractum ſocietatis: at non ſecundùm ſe, ſed per induſtriam exponentis, & negotiantis. In contractu ſocietatis autem, conferens induſtriam,

 nego-

negotiatur simul nomine conferentis pecuniam. Vide n. 329. § 3.

CASUS XCIII.

Priscus, vir litigiosus, acquisivit litigando, per fas & nefas, tres agros, & duo prata. Illo mortuo, Marius ejus filius & hæres, ea possedit, & fructus percepit, ignarus injustitiæ patris, annis quinque: postmodum lustrans documenta domûs, reperit agros duos, & pratum unum certò pertinuisse ad Marcellum.

Quæritur 1mò. Ad quid universim teneatur malæ fidei possessor rei alienæ? *2dò.* Ad quid teneatur hæres Prisci? n. 329. & n. 96.

CASUS XCIV.

Procus pullum equinum in nundinis venalem proposuit erga 10. Imper. illum 8. licitatus est Cneus. Declinante non nihil ad alios Proco, Cneus subduxit furtivè pullum, & retinuit per aliquot annos. Post primum annum is valebat 15. Imper. post secundum 20. post tertium 40. post annum quartum tantùm 30.

Quæritur 1mò. Quomodo considerari debeat valor, si per tempora variet, ut malâ fide possidenti rem alienam determinari possit, ad quid teneatur? *2dò.* Ad quid obligetur Cneus? à n. 330.

CASUS

CASUS XCV.

Procopius testamentum condidit in favorem Mævii, & huic mentem suam aperuit, testamentumque tradidit asservandum. Mortuo Procopio, Mævius testamentum non reperit, proinde fingit privatim simile, eoque producto, hæreditatem adit, atque ità hæredes alios ab intestato impedit.

Quæritur 1mò. Quando teneatur ad restitutionem, qui alium impedit à consecutione boni? *2dò.* An Mævius possit retinere hæreditatem? n.332.333. *La Croix L.3.p.2. n.1123.*

CASUS XCVI.

Proculus, Sacerdos, in magna festivitate hos habuit pœnitentes. Primus ajebat: A defuncto habui summam pecuniæ, pauperibus distribuendam, secundùm eorum merita, & indigentiam; ego divisi æqualiter. Secundus dicebat: Aperui literas Caji, in quibus petebat vacans beneficium pro filio suo: lectas clausi, & reddidi tabellario, eumque præverti, & obtinui beneficium meo nepoti. Tertius confitebatur: Habui litem cum nobili: interrogavi Assessorem, quo loco res mea esset? Respondit, sententiam esse conclusam contra me. Hoc audito, cum nobili inivi compositionem; antequam sen-

tentia promulgaretur. Quartus ajebat: Sum custos sylvarum: non indicavi, ut mulctarentur, qui damna sylvis intulerunt. Quintus se accusabat: Impedivi Lucium à beneficio Ecclesiastico per revelationem ejus impiæ vitæ, quia illo beneficio indignus erat. Proculus nesciens, quid ad singula responderet, jussit pœnitentes aliâ vice redire, ut intelligant suam obligationem.

Quærit proinde, quid ad hos casus respondendum, & qui teneantur ad damni compensationem? à n. 331. ad n. 336.

CASUS XCVII.

Prosper, advocatus, lites eorum, qui ei offerunt munera, ante alias, priùs ipsi commissas, expedire solet: non vult agere causas pauperum, nisi ab aliis pecuniâ inductus: servit promiscuè omnibus, accipit pretium, ut serviat contra jus certum adversæ partis: pauperi, petenti mutuum, noluit dare, nisi ab ejus consanguineo ipsi daretur munus.

Quæritur 1mò. An teneatur ad restitutionem, qui accipit pecuniam pro actione, vel omissione, aliunde debitâ? *2dò.* An, qui accipit pretium pro actione injusta? *3tiò.* An in his casibus prosper teneatur ad restitutionem? à n. 336. ad n. 340.

CASUS XCVIII.

Protasius scorto promisit certam pecuniam pro turpi usu corporis : confitetur peccata sua , & promissionem exponit, quæritque , an teneatur illam pecuniam tradere scorto ? Confessarius injungit ipsi, ut illam det pauperibus.

Quæritur , an danda sit scorto illa pecunia promissa ? vel rectè fecerit Confessarius ? n. 339. in fine & n. 109.

CASUS XCIX.

Prudentius contra interdictum Principis evexit frumenta ex territorio. Facti hujus quia sunt indicia non levia , interrogatur à Judice, num ita sit ? Prudentius ut mulctam declinet, , factum negat.

Quæritur : An , si juridicè fuit interrogatus, teneatur ad illam mulctam ; quia per fraudem impedivit solutionem mulctæ , Fisco præstandam ? Negat, teneri , *Lugo, Sanchez* : tum , quia ante sententiam Judicis Fiscus non habet jus ad mulctam ; tum quia impedivit per actionem tantùm remotè conjunctam cum illo damno, quæque directè ferebatur in occultationem facti. Vid. n. 333.

CASUS C.

Quadratus, illegitimè natus , adit suum Paro-

Parochum, petitque testimonium legitimæ nativitatis, ut inire possit matrimonium extra patriam, ubi ignoratur ejus macula, cum divite ac perhonestâ puellâ, quæ requisivit testimonium tale, aliàs ipsi non nuptura. Parochus primò abnuit, tandem precibus, & promissis victus, & pecuniâ corruptus, dat testimonium legitimæ nativitatis, eumque in finem Protum, consularis familiæ, patrem Quadrati nominat, cùm in libro baptismali nullus fuerit pater scriptus.

Quæritur 1mò. An Parochus possit acceptam pecuniam retinere, & Quadratus teneatur ei promissa solvere? 2dò. Ad quid teneatur Parochus, si matrimonium nondum sit contractum? 3tiò. Ad quid, si contractum sit? 4tò. Quomodo peccaverit? n. 336.

CASUS CI.

Quartus tribus suis famulis mandavit, ut de nocte mergites decimales alienos, sparsim in agris adhuc jacentes, colligerent, & suo horreo inferrent; quod, cùm fecissent semel, alterâ nocte manserunt foris, statueruntque spoliare fructibus hortum alienum: in quod cùm unus non consentiret, importunitate eum coëgerunt, ut comitaretur.

Quæritur 1mò. Qui Cooperatores ad damnum teneantur ad restitutionem? Quis

Quis in dicto casu teneatur primo loco, & qui in defectu primo loco obligati? n. 340. 344.

CASUS CII.

Querianus, furtis & rapinis assuetus, semel, dum alii de nocte spoliarent domum alienam, superveniens, & ipse quædam abstulit: aliàs suasit suis sociis, ut exirent in vias publicas, & spolia ad communem convictum asportarent.

Quæritur 1mò. An Querianus teneatur in aliorum defectu ad totum damnum in utroque casu reparandum? n. 343. Corol. 3. 344. *2dò.* Quid dicendum, si non in suum simul commodum suasisset, an tunc 1mo loco teneretur? n. 344. *3tiò.* Quid dicendum, si unus cooperator restituit, aut damnificatus uni remiserit? n. 345.

CASUS CIII.

Quincianus variis merces vendidit minore, quàm justo, pondere & mensurâ: quandoque infra justum pretium, & detraxit proportionatè ponderi, & mensuræ: per dolum injustum acquisivit frumenta: patinam argenteam in diversorio pernoctans, sustulit, nunc ad extrema deductus confitetur hæc inter cætera.

Quæritur 1mò. Cui restituenda acquisita

sita per venditionem prædictam? 2dò. An sufficiat committere hæredibus restitutionem? & quid agendum, si aliter non possit? Cujus sumptibus restituenda frumenta, & patina? & quid, si in via à prædonibus diriperentur? à n. 346. ad n. 349.

CASUS CIV.

Quinctinus gravia confitetur furta. Confessarius declarat ipsi obligationem restituendi. Respondet ipse, sibi difficile esse, tum ob distantiam locorum, tum ob periculum infamiæ. Confessarius, re non debitè examinatâ, jubet, ut det pauperibus. Obsequitur Quinctinus, & partem dat pauperibus, partem retinet. Redit ad Confessionem: Confessarius, re examinatâ, intelligit difficultatem, à Quinctino prætensam, potiùs fuisse imaginariam, quàm veram.

Quæritur 1mò. Quæ hîc restitutio, & à quo facienda? Quamdiu differri possit? n. 349. 347.

CASUS CV.

Quiriacus, Mercator, multis gravatus debitis, quorum aliqua contraxit ex mutuò accepto; alia ex negotiatione injustâ, alia pro alimentis familiæ, alia ex contractu cum famulis, & operariis, quibus mercedem adhuc debet, his omnibus solvendis

vendis impar eſt : proinde amicis & conſanguineis petentibus ſolvit priùs, imò & unum monuit, ut priùs peteret debitum, & ſolvit. Quiriaci uxor, intelligens, eum eſſe imparem omnibus ſolvendis, ne privetur neceſſariis, ſubducit tantum, quantum requiritur ad alimenta ſibi & prolibus.

Quæritur 1mò. Quæ in tali caſu debita priùs ſint ſolvenda? *2dò.* An, & quibus potuerint ſolvi tota debita, excluſis aliis? *3tiò.* An licitè monuerit amicum, suí peteret ſolutionem debiti, sìcque ſolverit? *4tò.* An uxor licitè ſubduxerit neceſſaria pro alimentis? à n. 350. ad n. 351.

CASUS CVI.

Quiricus, variis titulis obligatus ad reſtitutionem, diu diſtulit ob incommoda ex reſtitutione ipſi, ùt putabat, obventura: nunc eò devenit, ut videat, cogendum ſe, foro cedere; quare occultat neceſſaria ad ſuam, ſuorùmque mediocrem ſuſtentationem, reliqua ſua indicat Magiſtratui, creditoribus ſecundum proportionem ſui juris diſtribuenda. Magiſtratus fidelitate ejus motus, relinquit ei neceſſaria ad modicam ſuſtentationem.

Quæritur 1mò. Quale imminens incommodum excuſet à reſtitutione? *2dò.* An ceſſio fori ab ea excuſet in perpetuum? *3tiò.* An Quricus poſſit ſalvâ religione

ligione retinere ipsi à Magistratu relicta? n. 355. 354. 352.

CASUS CVII.

Quirinus, debitis gravatus, moritur: filius ejus, horum ignarus, ei succedit, & paulò pòst invenit, sic se debitis gravatum, ut impar sit solvendo; quare cum studia ex parte absolverit, cupit amplecti statum Religiosum.

Quæritur imò. An ingressus in Religionem excuset Filium ab obligatione restituendi, & solvendi debita? n. 362. *2dò.* An, si lucretur in Religione, vel obveniat ipsi legatum, possit hoc retinere? ibidem.

CASUS CVIII.

Rainerius ob inopiam parentum, quos aluit, distulit restitutionem, vel debitorum solutionem. Parentibus mortuis, obvenit ei hæreditas ab avo suo, jamque par est, solvendis plerisque: sed creditoribus ob dilationem lucrum cessavit, aut etiam damna evenerunt.

Quæritur: An Rainerius hæc teneatur compensare? à n. 364. 362. §. *Nec* 30.



De

De injuriis, & Damnis per læsionem animi, & corporis, extra duellum, & bellum illatis, ac reparandis.

CASUS CIX.

Ramerus, professione Catholicus, & Regularium osor, propositiones docuit, & typo datas vulgavit, sanæ doctrinæ difformes, Ecclesiæ Catholicæ injuriosas, scandalosas, incautæ præsertim juventuti. Adolescentes, certum Monasterium ingredi meditantes, Religiosis ejusdem detrahendo. à pio proposito avocavit ad vitam laxam.

Quæritur 1mò. Quomodo, & sub quo peccato teneatur Ramerus doctrinam suam revocare, quòtque peccata committat, si non revocet? *2dò.* Ad quæ damna Monasterio compensanda obligetur? *3tiò.* An teneatur adolescentes illos reducere ad frugem, & ad intentionem, saltem aliud Monasterium, aut alium ordinem religiosum ingrediendi? à n. 366.

CASUS CX.

Ranolphus, videns, sibi à Rogerio intentari verbera, putánsque non aliâ viâ posse à se illa declinari, quàm defensione occisivâ, Rogerium occidit. Revulgatâ,

à Magistratu in carcerem conjicitur, examinatus respondet, se in Thesibus, in universitate Germaniæ Catholica publicè propugnatis, legisse, id licitum esse in tali casu.

Quæritur 1mò. An injuriam corporalem imminentem liceat quovis modo amoliri? *2dò.* An Ranolphus licitè occiderit Rogerium? sub n. 369. Quæst. III.

CASUS CXI.

Raymundus, vir Consularis, audit, & ex certis indiciis advertit à Nigronio sibi parari calumniam: quare quærit occasionem eum occidendi; quia putat, non aliam sibi viam esse, calumniam propulsandi. Postmodum obvium extra civitatem habet Nigronium, & stricto ense ei minatur. Nigronius, ut non incurrat ignominiam, subsistit primùm, animo occidendi Raymundum: dein timens, ne ipse succumbat, impingit ei alapam, & fugit. Raymundus eum insequitur, & gladio transfodit.

Quæritur 1mò. An qui scit, ab alio sibi parari calumniam, quæ aliâ via averti non potest, possit eum licitè occidere? *2dò.* An Nigronius licitè substiterit, aut obligatus fuerit fugere? *3tiò.* An Raymundus licitè fugientem sit insecutus, & gladio transfoderit? *4tò.* Quando liceat,

contra

contra aggressorem vitæ se defendere, defensione occisivâ? n. 370. 371. 372.

CASUS CXII.

Reinerus, Clericus, emit in nundinis bovem. Dum bos domum agitur, erumpentes ex sylva prædones hunc tentant ei eripere. Reinerus unum secundùm aurem arundine percutit, & prosternit in terram; alii Reinerum spoliant pecuniâ, & aufugiunt: hic illos insequitur, & unum occidit.

Quæritur 1mò. An liceat aggressorem rei temporalis occidere? *2dò.* An id Clerico liceat impunè? *3tio.* An Reinerus licitè occiderit fugientem? n. 374.

CASUS CXIII.

Rembertus impraegnavit filiam viri illustris, timènsque sibi, & filiæ gravissimam pœnam, suadet filiæ, mediumque suggerit expellendi fœtum. Hoc facto iterat cum illa copulam, quæ rursum concipit. Paulò post infirma sumit medicinas, non quidem directè tendentes ad expulsionem fœtùs, attamen huic periculosas.

Quæritur 1mò. An ex ullius mali timore liceat expellere fœtum humanum, saltem inanimatum? *2dò.* Quando liceat matri gravidæ, sumere medicinas, fœtui periculosas? *3tiò.* Quam pœnam, vel inhabilitatem incurrerit Rembertus? n. 375. 376.

CASUS CXIV.

Remboldus vir nobilis, in venatione cum venatore suo advertit, post dumetum

moveri vivens subnigri coloris: existimans esse aprum, subdubitans tamen, sine ulteriore inquisitione explodit fistulam jaculatoriam, & occidit Renatum, agricolam quidem, qui tamen etiam negotiabatur emendis, & vendendis ovibus, & equis, pecuniâ partim propriâ, partim mutuò acceptâ, sicque honestè alebat suam uxorem, & quatuor, quos habebat, liberos.

Quæritur, an, & quæ damna teneatur compensare Remboldus, ac *1mò*; An teneatur ad aliquid pro vitâ occisi? *2dò*. Ad quæ compensanda, & quomodo determinanda, damna, orta uxori, & liberis? *3tiò*. An obligetur etiam ad compensationem creditoribus, si uxor non sit par, solvendis debitis? à n. 383.

CASUS CXV.

Remidius, Parochus, advertens de nocte fures attentare ingressum in domum suam, jàmque occupatos esse ad effringendum ostium, & fenestras, arreptâ fistula jaculatoria unum occidit, inclamàtque auxilium à Parochianis. Hi fures fugientes persequuntur, & variis mulctant vulneribus.

Quæritur 1mò. An, & quando liceat furem tam diurnum, quàm nocturnum occidere, ad servandum bonum temporale? *2dò*. An Parochiani licitè fures fugientes vu[illegible]rârint? n. 374.

De

De Duello, & Injuriis, & per illud illatis, atque compensandis.

CASUS CXVI.

Remundus, inveterato odio ardens contra Marium, ſtricto enſe, incendium domûs, imó & mortem huic intentat, nisì ſtatim ſecum duellet. Marius duellum, ſeu ſingulare certamen, acceptat, & occidit Remundum.

Quæritur, an licitè? n. 380, Coroll. 3. vide *La Croix hìc* 865.

CASUS CXVII.

Renatus, vir nobilis, arundine percuſſus à Nicetio, viro pariter nobili, pro honore ſuo recuperando, eum provocat ad duellum, loco, & tempore condicto. Hic acceptat duellum; ſed animo, non duellandi, ſciènſque certó pugnam eſſe impediendam

Quæritur: An licitè acceptaverit Nicetius duellum? Sub n. 379. Vide infra *in Conſtit. Benedicti XIV. Papæ, damnatam propoſitionem ſecundam. La Croix n.* 440, 842.

CASUS CXVIII.

Renoldus, officialis bellicus, exponit ſuo Confeſſario: Pater! cupio me diſponere ad mortem: ſum enim provocatus ad duellum ab alio officiali, putóque me licitè poſſe, & debere comparere; quia imprimis aliàs patitur honor meus graviter, ineptùſque habebor ad officia bellica: deinde

inde is invadit quoque statum meum temporalem, bonàque fortunæ: nisî enim compaream, nullus militum ampliùs sub me militabit. Promotione aliàs mihi debita, ac promerita perpetuò carere debebo, imò cogar cedere officio; uxorem autem, & liberos habeo, quos aliunde alere nequeo

Quæritur 1mò. An conservatio honoris sit sufficiens titulus, ad acceptandum duellum, hujúsque acceptatio sit utile, vel necessarium medium, ad illum conservandum? n. 380. Coroll. 1. n. 379. *La Croix n. 800. 841.*

Quæritur 2dò. An privatio officii, vel spei prædictæ, sit Renoldo ratio sufficiens, acceptandi duellum? Affirmavit *Reiffenstuel in 5. Decretalium Tit. 15. n. 31. Pichler* in eundem Tit. *n.* 5. citans *P. Huth*; & *P. Seybold in Dicæomachia*, qui teste *Pichler* citat *Layman L. 3. Tract. 3. cap. 5. p. 3. Lessium de Jure, & Justitia L. 2. cap.* 9. *dubio 8.* Verùm, quamvis *Reiffenstuel*, & *Pichler* apertè satis ità docuerint; *Layman* tamen hujus casûs mentionem non facit, sed citato *cap. n. 2.* solùm habet: *Mihi dicendum videtur 1mò, ad liberandam vitam suam à periculo moraliter certo, licitum esse, duello congreditam offerendo, quam acceptando, præsertim, si Principis consensus accedat.* Quod addit, inquiens: *Etsi enim Princeps malè agat, decernendo, vel permittendo, tali casu duellum,*

lum, pœnasque Tridentini incurrat; innocens tamen, cum Principis consensu, duello concertaturus, minùs timere debet de scandalo, inde orituro, maloque exemplo. Deinde conclusione 2da ait: *Vix occurret casus, quo licitum sit, ob honoris, vel fortunarum defensionem, cum calumniatore duello congredi.* Similiter nec *Lessius* casûs præsentis meminit, sed loco citato n. 49. tantùm ait: *Quando necesse est, ad vitæ defensionem, nec alia patet ratio contra injustum invasorem, posse acceptari duellum, imò etiam offerri, ut, si inimicus armatus te inermem inveniens, permittat tibi arma, ut militariter te occidat: vel, si roges, ut arma tibi permittat; tunc enim est vera defensio.* Ex quibus colligitur, quòd non loquatur de propriè dicto duello, quod fit condicto loco, & tempore, sed de mera defensione, & intentio acceptantis certamen singulare non feratur in duellum, sed in æqualitatem armorum. Vid. *La Croix* 837. Unde non apparet, quâ ratione dicat *Busenbaum hìc dub. V. A. 1.* in fine referens casum præsentem, quòd *Layman* talem officialem, vel aulicum non audeat condemnare, & remittat ad *Less. cit. loco*; & alii eos pro se simpliciter allegent. Verùm quidquid sit de horum, aliorùmque DD. mente, sententia negativa nunc non tantùm est suadenda, ùt dixi p. 3. pag. 541. §. *Super est dubium*; sed ab-

absolutè tenenda: modernus enim Pontifex affirmantem damnavit tanquam falsam, scandalosam, & perniciosam, ùt videre est in ejus Constitutione in fine hujus opusculi apponenda. *Et ratio* est: quia, ùt dixi p. 3. n. 379. tam acceptatio, quàm oblatio duelli, est intrinsecè mala, cùm Deus reservaverit sibi jus in vitam hominis, nec quisquam sit Dominus vitæ suæ, aut membrorum; sed tantùm usufructuarius nec vitæ alterius, ut possit privatâ authoritate eum occidere, vel mutilare: hominèsque facilè abuterentur illâ, si daretur, licentiâ, in perniciem Reip. humanæ.

De Pœnis Duellantium.

CASUS CXIX.

Respicius & Honoratus verbis se contumeliosis impetentes, stringunt gladios. Honoratus dicit: Veni foras, & ostendam tibi, quem sis calumniatus. Eunt & pugnant; sed, intervenientibus amicis, ab invicem separantur. Altero die Honoratus scribit Respicio: A prandio hora tertia cupio te videre in prato suburbano, & desidero à te audire explicationem verborum, quibus me herì inhonoràsti. Litteras detulit Nicasius, & gladium suum ad pugnandum commodat. Respicius & Honoratus comparent dicto tem-

tempore, in loco nominato: duellant, & occumbit, ſpectantibus Revocato, & Severo, Honoratus.

Quæritur 1mò. Per quale duellum pœnæ in duellantes latæ incurrantur? *2dò.* An prædicti omnes eas incurrerint? *3tiò.* Quæ ſint illæ pœnæ? Vide in P. 3. n. 381. ſub quo recenſentur pœnæ ab Eccleſia Statutæ, quas omnes innovavit, & confirmavit Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione ſæpius memoratâ, & adjecit ſequentes:

1ma. Ut is, qui in duello, ſive publicè, ſive privatim indicto, hominem occidit, ſive is mortuus fuerit in loco conflictûs, ſive extra illum, ex vulnere, in duello accepto, ex loci ſacri, aut Religioſi aſylo, in quod confugit, extrahi poſſit, ac debeat, tradíque judici, competenti puniendus; imò, ut percuſſor, vivente adhuc altero, ſi, inſpecto vulnere, periti retulerint, adeſſe grave vitæ periculum, prævio Epiſcopi Decreto, & cum aſſiſtentia perſonæ Eccleſiaſticæ, ab Epiſcopo deputatæ, è loco immuni extrahi, & carceribus mancipari poſſit; hâc tamen lege, ùt illum Eccleſiæ reſtituere debeant, ſi vulneratus ſuperſtes vivat ultra tempus, à legibus, quæ de homicidio ſunt, conſtitutum, ſub pœna à Benedicto XIII. Papa conſtituta in illos, qui delinquentes reſtituere recuſant.

2da. Inſuper ſtatuit pœnam privatio-

 nis

nis sepulturæ Ecclesiasticæ, etiam ante sententiam judicis incurrendam in decedentes ex vulnere in duello; sive decedant in sive extra locum conflictûs, etsi non incerta dederint pœnitentiæ signa, & à peccatis, ac censuris sint absoluti, sublatâ Episcopis facultate super hac pœna dispensandi. Vide uberiùs de his Constitutionem sæpe dictam Benedicti XIV. de Constitutione Benedicti XIII. habetur P. 2. n. 424.

CASUS CXX.

Reverianus, & Servatius duello concertârunt, unus in loco occumbit.

Quæritur, an, & quando teneatur superstes compensare damna hæredibus succumbentis secuta? n. 386.

CASUS CXXI.

Reverinus cum Sergio conjugato, liberis aucto, & invito singulare succepit certamen. Sergius graviter vulneratur, & post dies aliquot ex vulnere moritur. Reverinus, advertens periculum, accedit Sergium, petit veniam, & damna consecutura sibi remitti. Sergius verè pœnitens, annuit petitioni.

Quæritur, an potuerit licitè, & validè remittere damna, uxori, liberis, & creditoribus secutura? n. 386. §. *Dixi 3.* Item n. 385.

CASUS

CASUS CXXII.

Revinius, Rex, putans ſibi competere jus, ſaltem probabile, in terras ſuis confines, ab alio Rege poſſeſſas, jubet conſcribi milites. Quidam ſponte, alii vi, & minis coacti, nomina ſua dant militiæ: inchoatur bellum; milites varii aufugiunt, tandem Rex belli author, exhauſtus, paciſcitur cum alio Rege, remiſſo ſuo qualicunque jure. Sed reparatis viribus, reſumit bellum, putans, ſe non teneri fœdere inito, eò quòd coactus ad illud fuerit, ſibique ſit injurioſum.

Quæritur 1*mò*. Quale jus Rex habere debeat, ut licitè alteri bellum indicat? 2*dò*. An in caſu juſtè fuerit bellum ſuſceptum, ob jus duntaxat probabile? 3*tiò*. An, & quando milites poſſint licitè fugere? 4*tò*. An Rex teneatur ſervare, fœdera publica etiam vi extorta? n. 382. 509. in Neo-Conf. n. 164. ubi & agitur de injuriis & damnis, in bello illatis, compenſandis.

De Injuriis, per ſtuprum, & adulterium illatis, ortaque inde obligatione.

CASUS CXXIII.

Ricaredus, Agneti familiaris, blanditiis eam induxit ad copulam, quæ imprægnata eſt. Agnes poſt duos menſes patitur abortum, & facto divulgato, non poteſt dein

consequi nuptias pares, quas consecuta fuisset, si non fuisset corrupta.

Quæritur 1mò. An Ricaredus teneatur eam ducere, vel dotare, ut nuptias consequatur, ac si violata non fuisset? *2dò.* An, si Ricaredus à judice condemnetur ad eam dotandam, posset Agnes salvâ conscientiâ dotem admittere, & retinere? n. 388.

CASUS CXXIV.

Richardus Agathæ vim intulit, & eam stupro defloravit. Agatha minatur ei actionem criminalem, nisi numeret, 100. florenos pro dote, in periculo divulgationis. Richardus metu adactus eos numerat, sed quia vis illata manet occulta, nec Agatha est imprægnata, postmodum æquè bene nubit, ac si nihil præcessisset.

Quæritur 1mò. An Richardus præcisè ob vim Agathæ illatam teneatur eam dotare, si æquè bene possit postea nubere? *2dò.* An possit retinere 100. florenos, cùm justè potuerit intentare actionem, periculumque esset non æquè bonas consequendi nuptias, sicut, qui in extrema necessitate accepit rem alienam; potest eam retinere, cessante necessitate per alterius subitò supervenientem donationem? Vid. n. 389.

CASUS CXXV.

Richarius cum Liberta, Eucherii uxore adulterium commisit, post novem dein menses Liberta parit.

Quæ-

Quæritur 1mò. Ad quid teneatur adulter & adultera, si certum sit; quòd proles non sit, nisi ex Richario? *2dò.* Ad quid, si dubium sit, an ex Richario, vel ex Eucherio? n. 391. n. 392.

CASUS CXXVI.

Rigoberta, viro suo per duos menses negotiorum causâ absente, negotium carnale habuit cum pluribus; prolem concepit ex adulterio, sed ex quo, dubium est.

Quæritur, ad quid teneatur Rigoberta, & adulteri? n. 393.

De Injuria, ejusque reparatione in fama, & honore.

CASUS CXXVII.

Rigolina, anxiæ conscientiæ, sinistris de proximo cogitationibus agitata, confitetur: Habui de proximo temeraria judicia, suspiciones, & dubia: audivi in consortiis detractiones, & ad illas quandoque tacui, quandoque risi, quandoque alios volui corrigere, sed illi riserunt me, & auxerunt detractiones, ego tamen non abivi.

Quæritur 1mò. Quid sit judicium, suspicio temeraria? *2dò.* Quomodo iis peccetur? *3tiò.* Quando, & quomodo peccet audiens sermones de labe proximi? *4tò.* An, & quomodo peccarit, & instruenda sit Rigolina? n. 399. 400. 420.

CASUS

CASUS CXXVIII.

Rixius, homo linguæ effrænis, exponit Confessario: Sæpe sinistrè de proximo sum locutus. De Cælio dixi, quòd divitias corrodat per fas & nefas: de Amando adolescente, quòd sit impuris amoribus deditus: de viro consulari, quòd sit assuetus mendaciis, de matre mea defuncta, quòd mulier impia, rixis, & diris imprecationibus dedita fuerit. Confessarius examinatum Rixium graviter monet, ut caveat sibi deinceps à detractionibus: reponit is, illa esse vera: se audivisse, nocentibus non esse amplius jus ad famam.

Quæritur 1mò. Quid sit detractio, & quando peccatum grave? *2dò.* An nocens amiserit jus ad famam, possitque sine injuria revelari crimen ejus occultum? *3tiò.* An peccet, qui labem proximi ante publicam, nunc autem oblivione sepultam iterum detegit? Denique, quomodo singulis illis peccârit Rixius, si occulta fuerint? n. 395. 403. 406. 407. 412.

CASUS CXXIX.

Robertus, gravem passus injuriam à Kiliano, eam revelat Lamberto viro prudenti, & taciturno.

Quæritur 1mò. An sit grave, crimen occultum alterius revelare viro prudenti, taci-

taciturno? n. 408. *2dò.* An liceat tale crimen revelare amico, auxilii, consilii, vel solatii, aut mali gravis à se, vel proximo avertendi causâ? à n. 413. ad n. 416. *3tiò.* Quæ cautela adhibenda? n. 415.

CASUS CXXX.

Rochus, Ferdinandi, viri nobilis, in Ducatu Lotharingiæ filius illegitimus postquam adolevit, secessit in Hispaniam; ut, ubi macula nativitatis ejus illegitimæ ignota erat, ad altiora, quàm in solo natali poterat, promoveretur. Postquam jurisprudentiæ sedulò se applicâsset, ad Senatoriam est promotus dignitatem, uxorem duxit prædivitem, ex qua duos genuit filios. Venit eò dein Liberius, & natalia ejus illegitima vulgavit: unde cœpit Rochus vilescere, ortæ sunt dissensiones inter eum & uxorem, & hujus consanguineos.

Quæritur 1mò. Quot modis possit aliquid esse publicum? *2dò.* An tam labem, quàm crimen in uno loco publicum, liceat in alio, ubi latet, divulgare? *3tiò.* An Liberius peccârit contra justitiam, & teneatur ad aliquam compensationem? à n. 490. R. Videtur peccâsse graviter, etiam contra justitiam. Nam Rochus non abjecit famam suam, ut peccator publicus, & jam acquisivit jus ad eam,

nec

nec exigit modò bonum commune, ad deterrendum homines à sceleribus, ut liceat talem labem, sine Rochi culpa contractam, revelari. Alia omnia sunt in notorio & publico peccatore.

CASUS CXXXI.

Rodericia, mulier garrulæ, & petulantis linguæ, ab anno ætatis suæ 15. ad quadragesimum læsit graviter aliorum famam, & honorem per detractiones, calumnias, & contumelias. Confessarius bene excussam obligat ad restitutionem. Reponit illa, non possum, nec debeo omnibus restituere: quibus enim aliorum defectus dixi, partim longè hinc distant, partim jam erunt obliti.

Quæritur 1mò. Quomodo fama læsa sit restituenda? *2dò.* Quæ excusent ab ejus restitutione. *3tiò.* Quomodo honor, per contumeliam læsus, sit reparandus? *4tò.* Quomodo Rodericia sit instruenda, ut satisfaciat? n. 422. 425. 431.

De Injuriis per furta, & rapinas, ortaque inde obligatione restituendi.

CASUS CXXXII.

Rodericus furatus est Rustico duos solidos, Mercatori diviti medium imperialem;

lem: suum Principem defraudavit aureo ducato: diversis è communitate sua pauca successivè, in terris alienis multis de communitate, aliis similiter pauca successivè furto subduxit.

Quæritur 1mò. Quæ quantitas requiratur ad mortale, si uni auferatur? *2dò.* Quæ requiratur, ut peccet mortaliter pauca successivè auferens pluribus de sua communitate, & quomodo censeatur peccare singulis vicibus? *3tiò.* Quid dicendum, si ex diversis communitatibus pauca successivè auferat variis? á n. 435. à n. 439. ad n. 441.

CASUS CXXXIII.

Rogaccius, furatus est materiam gravem, quam ob inopiam non potest restituere: aufert dein successivè levia: ingressus hortum diripuit uvas, & fructus: ei succedunt singulatim alii, à quibus completur damnum grave.

Quæritur 1mò. Quomodo peccaverit Rogaccius, post ablatam materiam gravem furando levia? *2dò.* An Rogaccio succedentes, complendo, vel augendo damnum grave, peccârint mortaliter? n. 441. 442.

CASUS CXXXIV.

Rogella, ancilla, videt suo domino ex cella vinum, ex granario frumenta subduci furtim; ipsa præ timore persecutionis,

nis, ab aliis sibi fortè futuræ, tacet, & non indicat domino.

Quæritur, an, & quomodo Rogella peccet, & an teneatur in defectu aliorum ad restitutionem? n. 443.

CASUS CXXXV.

Rogerius, in valde gravi necessitate constitutus, aufert à Pontiano necessariam, ad suam necessitatem sublevandam, ex qua timet mortem, vel malum huic æquivalens, pecuniam, quam existimabat, sibi à Pontiano dandam, si peteret. Illâ consumptâ manet egestas: petit subsidium à Mauro; hic illud negat, vult tamen pecuniam dare mutuam: Rogerius autem, datâ occasione, clam necessaria sibi aufert.

Quæritur 1mò. Quæ sit gravis, quæ extrema necessitas? *2dò.* An liceat, in extrema, aut etiam gravi, necessitate auferre aliena, non requisito domino? *3tiò.* An in extrema necessitate sufficiat, petenti dare subsidium mutuum? *4tò.* Ex quibus resolvendum, an peccârit Rogerius? à n. 444, & P. 2. n. 109.

CASUS CXXXVI.

Romanus, famulus, accepit à suo domino mutuos quinque imperiales pro emenda nova veste. Dominus moritur: Romanus judicat probabilissimum esse, quod

quòd suum salarium sit nimis parvum, eò quòd operis fuisset applicatus, ad quas non fuerat conductus: hinc consulit suum Confessarium, qui ei respondet, posse ipsum tacere de quinque imperialibus, & de iis retinere, quantum respondet ejus labori.

Quæritur 1mò. Quæ requirantur ad licitam occultam compensationem; 2dò. An Confessarius rectè responderit? N. 445. 446.

CASUS CXXXVII.

Romaricus, paupertate pressus, nullibi reperit conductorem suæ operæ; proinde locat eam diviti villico per annum erga sex imperiales: sed postea considerans, se robustum, & gravibus laboribus à mane ad noctem astringi, ac salarium pro similibus dari solitum, esse ad minimum imperiales 12. occultè partim in frumentis, partim in pecunia subducit clam sex imperiales, existimans, se non agere injustè: eò quòd non locárit suam operam pro tam exiguo salario, nisi coactus paupertate, de qua par non est, ùt suus conductor referat commodum.

Quæritur: An licitè processerit Romaricus, posśitque retinere sex imperiales subductos? n. 446. & antè, Conditione 6.

CASUS CXXXVIII.

Romualdus, falsò accusatus apud Principem, tanquam injuriæ, alteri in judicio

factæ, reus, mulctatus est 200. imperialibus: habet occasionem, per occultam compensationem resarciendi damnum suum.

Quæritur : An servatis ad occultam compensationem requisitis conditionibus, id licitè facere possit? n. 446.

CASUS CXXXIX.

Romulus sua debita certa à Principis Camera obtinere non potest, quare cum aliam occasionem, sibi debita accipiendi, non habeat, clam per dolum defraudat vectigalia, & gabellas, quas conduxit Mævius.

Quæritur, an licite agat Romulus, aliâ viâ debitum accipiendi non suppetente. Affirmat Less. l. 2. de jure, & justitia cap. 33. dub. 10. Lugo de just. disp. 36. S. 5. Dicast. L. 2. Tr. 20. Disp. 3. N. 74. Silv. Sanch. Vasq. & alii imò. Quia totum jus, quod Romæ Mævius acquirit, assiduo dependet à jure principis; non enim est aliud, quàm facultas quædam exequendi jus quod habet Princeps decursu totius anni, adeoque jus Romuli, ut conductoris, non potest esse majus, quàm jus principis; cùm ergo in casu Princeps non possit exigere vectigal, vel gabellas à Romulo, nec debetur Mævio conductori: nam ratione juris, quod habet Romulus exigendi debitum à Principe, jus Principis exigendi vectigal à Romulo eliditur, adeoque non potuit jus exigendi vectigal à Romulo, transferre in Mævium: neque enim plus transferre potuit juris, quam

quam habuit. 2dò. Si, cessante necessitate, cessaret obligatio solvendi vectigal Principi, non esset obligatio solvendi conductori; ergo cùm in hoc casu non sit obligatio solvendi conductori Mævio. Idem usu venit in decimis & censibus. 3tiò. Conductores vectigalium norunt, plures fraudes intervenire in solvendis vectigalibus, ideoque minore pretio illa conducunt, quam alias valuissent; Quare in contractu censentur esse parati ad ferenda damna illa, mulctamque accipiunt, si fraudes deprehendantur. Si dicas 1mo: Si Princeps Mævio elocasset hortum, non posset Romulus compensare debitum ex fructibus horti, ergo à pari. Respondent non esse paritatem; nam fructus horti non sunt Principis, nec Romuli, sed eo ipso, quod nati sint, sunt Mævii conductoris, econtra, quod Romulus solveret, pro vectigali, est ipsius, non conductoris Mævii, nam solveretur principi, cui Romulus nihil debet, multò minus Mævio. Si dicas 2dò. Si Princeps vendidisset, vel donasset jus exigendi vectigal Mævio, non posset Romulus compensare debitum subtrahendo vectigal; ergo nec, si elocarit. Respondent Vasq. dicat; Molina concedendo an Ss Ndo Coam. quia si Princeps vendidisset, vel donasset jus illud, jam totum dominium directum transtulisset in Mævium hicque exigeret vectigal non nomine Principis sed suo, Secus est si elocaverit. Less. Mald.

diana concedunt ants; si Princeps, priusquam Romulo debuerit, vendiderit jus illud, quia solutio nullo modo esset debita Principi. Si autem vendidisset, postquam debuit, negant Ants, quia Princeps non potuit jus exigendi à Romulo vectigal vendere, quia ipsi non debet, sed jus Principis extinguitur per jus quod habet Romulus, ad debitum solvendum à Principe. Dixi: *Nulla alia via suppetente*; nam si ex aliis bonis Principis possit compensare debitum, non est ratio, cur non potuerit Princeps totum jus ad vectigal transferre in Mævium. Oppositam sententiam tenent Reginal. Sporer, La Croix tanquam probabiliorem, tum quia fieret in præjudicium Mævii; tum quia Romulus non compensaret ex bonis Principis, sed quæ ejus fuissent, & nunc sunt Mævii; sed responsio ad hæc facile colligitur ex dictis. V. Less. L. c. La Croix L. 3. P. 1. n. 970.

CASUS CXL.

Rosa, rixans cum Eva, huic objicit, quòd sit illegitimè nata. Eva defert ad Magistratum, qui Rosæ dictat mulctam, & jubet, Evæ refundere expensas itineris ad urbem. Obedit quidem Rosa, sed clam subducit Evæ à se soluta, eò quòd in pluribus pagis dicatur esse illegitima.

Quæritur: An licitè fecerit Eva, cùm Magistratus potuerit eam mulctare, tum, quia læsit saltem charitatem, tum, ut alii deter-

deterreantur à læsione pacis. Sed quid dicendum, si rosa non in faciem id dixisset, sed dixisset Cajo, qui id Evæ retulisset? Petenda tunc responsio ex eo, an macula nativitatis sit publica.

De Justitia, Injuria in foro externo, ejúsque reparatione.

CASUS CXLI.

Rufinus, Judex, periculosè decumbens, facturus confessionem multùm angitur: *1mò.* Enim unum jussit capi, & incarcerari ex levibus tantùm indiciis. *2dò.* Alium subjecit torturæ sine probatione semiplenâ. *3tiò.* Alium torturæ subjecit tam gravi, ut, eam sustinere, moraliter fuerit impossibile. *4tò.* Specialem instituit inquisitionem de Cajo, non præcedente infamiâ, vel alio æquivalente, & sine teste. *5tò.* A variis acceptavit munera, ex quibus timet, subversum fuisse suum judicium. *6tò.* Videns Rosii advocatum omittere aliquid, quo suggesto, evicisset litem, quam nunc perdidit, ipse id non suggessit.

Quæritur, quid de his judicare, & ad quæ obligare Rufinum debeat Confessarius? n. 457. 458. 459. 460. 463. 464.

CASUS CXLII.

Rufus suspectus est de crimine notorio. Judex inquirit generaliter; Titius novit, Rufum esse reum: interrogatur à Judice.

Quæritur 1mò. An possit, ac teneatur respondere Titius, & prodere Rufum, si cri-

crimen sit exceptum, vergens in detrimentum Reip.? *2dò.* An teneatur, vel possit respondere, si non sit tale crimen? *3tiò.* Quid sit dicendum, si adesset semiprobatio? *4tò.* An teneatur, si adesset quidem semiplena probatio, sed Titio ex proditione Rufi immineret grave incommodum, aut notitiam haberet per injuriam à se factam? sub n. 456. 457. & n. 476. 477.

CASUS CXLIII.

Rupertus commisit furtum. Sunt gravia indicia, eum esse furti illius reum. Barbarius, qui novit eum esse reum, occultat se, ut non citetur ad testandum; postmodum visus in publico, citatur, sed non comparet; tandem sub interminatione gravis pœnæ iterum citatus comparet, sed non omnem, quam habet, notitiam aperit, atque ità impedit, quominus totum damnum reparetur.

Quæritur 1mò. An, & quomodo Barbarius se occultando, & citatus non comparendo, peccaverit? *2dò.* An teneatur compensare damnum, cujus compensationem impedivit non aperiendo omnia? *3tiò.* Quæ causæ excusent à testificando? n. 477. 478. 479.

CASUS CXLIV.

Rusilia, in domo Sacerdotis ancilla, imprægnata venit ad puerperium. Vocatur Barbara ad tegendam infamiam, ut obstetricem agat: proles nata ei traditur, ut deferat

ferat ad alium pagum baptizandum: Baptizatur proles à Sacellano ex consilio Pastoris sui, ne dilato Baptismo de salute periclitetur. Post annos aliquot Pastor, quia non est vitæ optimæ, accusatur, tanquam parens istius prolis, citatur Barbara, jubetur sub juramento edicere. an sciat de prole illâ : negat, se scire, quia non adest de sua scientia probatio.

Quæritur, an salvâ religione, seu conscientiâ, negare potuerit? n. 477.

CASUS CXLV.

Rusticus, vir honoratus, accusatur, quòd damnum grave intulerit Principi: jubetur à Judice, habente indicia, edicere veritatem. Rusticus dubitat, an Judex habeat sufficientia indicia ad interrogationem juridicam, & ut infamiam, mulctámque declinet, negat sub juramento factum.

Quæritur 1mò. An licitè negare potuerit *2dò*. An idem procedat in merè civilibus, v. g. dum agitur de debito ex mutuo? n. 482. P. 2. n. 244. Corollar. 6. pag. 378.

CASUS CXLVI.

Rutilus accusatur à Berta, quòd eam imprægnaverit, pro quo probando non adest, quod prudens fundet judicium. Rutilus novit, quòd cum ea habuerit copulam; sed quia Berta est persona à libidine ferè infamis, nescitque ipse, an ex suo concubitu conceperit, negat copulam. Judex injungit

jungit ei juramentum veritatis: Rutilus jurató negat factum.

Quæritur 1mò. An licitè Rutilus negaverit copulam? *2dò.* An Judex ad simplicem Bertæ talis accusationem possit imponere juramentum purgatorium? n. 481. 486. 502. §. 7.

CASUS CXLVII.

Rutinius accusatur criminis capitalis; adest semiplena probatio; jubetur à Judice, dicere veritatem: ille prævidens, si fateatur, se condemnandum ad mortem, negat, se reum.

Quæritur, an licitè? n. 483. 484.

CASUS CXLVIII.

Rutulus, convictus criminis capitalis, jubetur à Judice manifestare socios criminis.

Quæritur, an, & quando teneatur reus convictus manifestare socios criminis? n. 487. Circa ejusmodi casus videri potest etiam Pars 2da. sub n. 244. Analysis. n. 12. Pars 4. n. 605.



SANC-

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS ET DOMINI NOSTRI DOMINI

BENEDICTI PAPÆ XIV.

CONSTITUTIO

Quâ

Damnantur, & prohibentur quinque Propositiones Duellantium abusui faventes,

AC VETERES LEGES

Adversus Duellantes novis pœnalibus Sanctionibus cumulantur

ROMÆ MDCCLII.

BENEDICTUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

DEtestabilem, ac Divinâ, naturalìque lege damnatum Duellorum abusum, à barbaris gentibus, atque superstitiosis, non sine ingenti cor-

porum, animarúmque clade in Christianam Rempublicam, Auctore Diabolo, invectum, cùm semper execrata sit, atque improbârit Ecclesia; tum præcipuo in eam curam studio, vigilantiâ, ac zelo incubuerunt Romani Pontifices; ut à fidelium cœtu longissimè arceretur: nam, ut antiquiora mittamus Prædecessorum nostrorum, Nicolai Primi, (*a*) Cœlestini III. Innocentii II. Eugenii III. Alexandri III. (*b*) Innocentii IV. (*c*) adversus singulares pugnas; exstant recentiores Apostolicæ Sedis Constitutiones, quibus Romani Pontifices, Julius II. (*d*) Leo X. (*e*) Clemens VII. (*f*) ac demum Pius V. (*g*) gravissimas pœnas, antea statutas, confirmârunt, aliásque de novo addiderunt contra duellantes, ex quacunque causa, etiam per sæculares regnorum, aut locorum leges permissas, adjectâ infamiâ bonorúmque præscriptione adversus com-

(*a*) Ep. 1. ad Carolum Calvum C. 1. 2. de Torneamentis.

(*b*) In C. Later. C. 1. & 2.

(*c*) In Epist. ad Archi-Episcopos, Episcopos, aliosque Ecclesiasticos regni Franciæ apud Raynaudum ad annum 1252. n. 31.

(*d*) Constitutione, quæ incipit: Regis Pacifici.

(*e*) Const. Quam Deo, & hominibus.

(*f*) Const. Consuevit Rom. Pontifex.

(*g*) Const. Ea, quæ à Prædecessoribus.

complices, & participes, & qualemcunque operam iisdem præbentes, Tridentina verò Synodus (*a*) latam in eos excommunicationem extendit ad Imperatores, & Reges, Duces, ac Principes, cæteróſque Dominos temporales, ſi locum ad Monomachiam in terris ſuis conceſſerint, ac jurisdictione, & dominio loci, in quo duellum fieri permiſerint, quem ab Eccleſia obtineant, eo ipſo privatos declaravit, committentes verò pugnam, eorúmque patrinos excommunicationis, ac omnium bonorum proſcriptionis, nec non perpetuæ infamiæ pœnam incurrere ſtatuit, &, ſi in ipſo conflictu deceſſerint, Eccleſiaſticâ ſepulturâ perpetuò cærituros decrevit.

Cùm verò, præfatis ſaluberrimis legibus judicialia duntaxat, ac ſolennia duella comprehenſa, ac proſcripta viderentur, piæ memoriæ Prædeceſſor noſter Gregorius Papa XIII. (*b*) hujusmodi pœnas adversùs eos omnes extendit, qui nedum publicè, ſed etiam privatim ex condicto, ſtatuto tempore, & loco, monomachiam commiſerint, etiamſi nulli patrini ſociive ad id vocati fuerint, nec loci ſecuritas habita, nullæve provocatoriæ literæ, aut denuntiationis chartulæ præceſſerint.

Deni-

(*a*) Seſſ. 25. Cap. 10. de Reformatione.
(*b*) Conſtit. Ad tollendam.

Denique felicis recordationis Clemens Papa VIII. etiam Prædeceſſor noſter Apoſtolicas Romanorum ante ſe Pontificum leges omnes, & pœnas, in eis ſtatutas ſuâ conſtitutione, quæ incipit: *Illius vices*, data Kalendas Septembris anno MDCXII. diſertè complexus, eaſdem extendit ad omnes, non ſolùm duello certantes, ſed etiam provocantes, ſuadentes, equos, arma, commeatus præbentes, comitantes, chartulas, libellos, manifeſta mittentes, ſcribentes, vel divulgantes, aut quomodolibet circa iſta cooperantes, ſocios, patrinos, de induſtria ſpectatores, fautores, criminis demum participes, illud permittentes, vel quantum in ipſis eſt, non prohibentes, ac delinquentibus veniam, & impunitatem concedentes, quique ſe prædictis quoquo modo immiſcuerint, etiamſi pugnæ effectus, nec acceſſus ad locum ſit ſubſecutus.

His tam ſapienter, tam apertè, atque perſpicuè ab Eccleſia, & Apoſtolica Sede conſtitutis, dubitari jam nullo modo poſſe videbatur, quin duella omnia tam publica, quàm privata, & naturali, & divino, ac Eccleſiaſtico jure prorſus illicita, vetita, atque damnata cenſeri deberent; ſed non nulli earum legum interpretes, per benignitatis ſpeciem humanis, praviſque cupiditatibus plus æquò faventes, Apoſtolicas ſanctio-

nes ad corrupta hominum judicia infle-ctentes ac temperantes licere docuerunt, (*a*) viro equeſtri duellum acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat. (*b*) fas eſſe defenſione occiſivâ vel ipſis Clericis, vel Religioſis tueri honorem, dum via alia calumniæ vitandæ non ſuppetat. (*c*) Propulſare damna, quæ ex iniqua Judicis ſententia imminent. (*d*) defendere non ſolùm, quæ poſſidemus; ſed etiam ea, ad quæ jus inchoatum habemus, dum aliâ viâ id aſſequi non valeamus, quas quidem aſſertiones, duellis faventes, Apoſtolica Sedes cenſurâ notavit, rejecit, proſcripſit.

Et nihilominus extiterunt quàm proximè recentiores alii, qui etſi duella vel odii, vel vindictæ, vel honoris tuendi causâ, vel levioris momenti res fortunæ ſervandi fateantur illicita, aliis tamen in circumſtantiis, & caſibus vel amittendi officii, & ſuſtentationis, vel denegatæ ſibi à Magiſtratu juſtitiæ, defenſionis innoxiæ titulo, ea licere pronuntiant.

Laxas, & periculi plenas ejuſmodi propoſitiones ex vulgatis etiam eorum libris ubi primùm accepimus, earum examen non-

(*a*) 2da Propoſitio damnata ab Alexandro VII.
(*b*) 17. Propoſitio damnata ab eodem.
(*c*) 18. Propoſitio ab eodem damnata.
(*d*) 32. Propoſitio ex damnatis ab Innocentio XI.

non nullis ex venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & quibusdam dilectis Filiis Sacræ Theologiæ Magistris, specialiter per nos ad id deputatis, commisimus, qui re maturè discussâ, latisque coram Nobis tam voce, quàm scripto suffragiis infra scriptas Propositiones censurâ, & proscriptione dignas existimarunt.

PROPOSITIO I.

Vir militaris, qui, nisi offerat, vel acceptet duellum, tanquam formidolosus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indèque officio, quo se suósque sustentat, privaretur, vel promotionis, aliàs sibi debitæ, ac promeritæ spe perpetuò carere debet, culpâ & pœnâ vacaret, sive offerat, sive acceptet duellum.

II.

Excusari possunt etiam honoris tuendi, vel humanæ vilipensionis vitandæ gratiâ duellum acceptantes, vel ad illud provocantes, quando certò sciunt, pugnam non esse secuturam, utpote ab aliis impediendam.

III.

Non incurrit Ecclesiasticas pœnas, ab Ecclesia contra duellantes latas Dux vel Officialis militiæ, acceptans duellum ex gravi metu amissionis famæ, vel officii.

IV.

Licitum est in statu hominis naturali acceptare, & offerre duellum ad conservandas

cum

cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit.

V.

Afferta licentia pro ſtatu naturali applicari etiam poteſt ſtatui civitatis, malè ordinatæ, in qua nimirū vel negligentiâ, vel malitiâ Magiſtratûs juſtitia apertè denegatur.

Auditis itaque ſuper unaquaque earum Propoſitionum dictorum Cardinalium, & Conſultorum judiciis, atque omnibus rite, & maturè conſideratis, Nos ipſas, præſentium literarum tenore, & Apoſtolicâ authoritate tanquam falſas, ſcandaloſas, & pernicioſas rejicimus, damnamus, ac prohibemus, ita, ut quicunque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam diſputandi gratia publicè, aut privatim tractaverit, niſì forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, à qua non poſſit (præterquam in mortis articulo) ab alio, quâcunque etiam dignitate fulgente, niſì ab exiſtente pro tempore Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè, & in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione divini judicii prohibemus omnibus Chriſti fidelibus cujuſcunque conditionis, dignitatis, & ſtatûs, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum in praxin deducant.

Jam verò ut exitioſam duellorum licen-

Innovantur pœnæ antè statutæ. tiam in Christiana, & maximè militari Republica, non obstantibus providis legibus, à plerisque etiam sæcularibus Principibus, & Potestatibus ad eandem extirpandam laudabiliter editis, adhuc gliscentem validiore manu coërceamus, gravissimùmque scelus Apostolicæ districtionis gladio magis magisque insequamur; omnes, & singulas dictorum Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum constitutiones, superiùs enuntiatas, quarum tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum insertæ forent, pro sufficienter expressis haberi volumus, Apostolicâ authoritate confirmantes, & innovantes, ad hoc ut pœnarum gravitas & severitas majorem perditis hominibus ingerat peccandi metum, Nostro motu proprio, ac de Apostolicæ authoritatis plenitudine, earundem præsentium literarum serie statuimus, atque decernimus, ut si quis in duello, sive publicè sive privatim indicto hominem occiderit, sive hic mortuus fuerit in loco conflictûs, sive extra illum ex vulnere, in duello accepto, hujusmodi homicida, tanquam interficiens proximum suum animo præmeditato, ac deliberato, ad formam Constitutionis felicis recordationis Prædecessoris nostri Benedicti Papæ XIII. quæ incipit: *Ex quo divina*, data VI. Idus Jun. an Dom. MDCCXXV. ab Ecclesiasticæ immunitatis beneficio exclusus, & repulsus omnino censeatur, ita ut

Statuuntur novæ.

à

cujuſcunque ſacri, aut religioſi loci aſylo, ad quod confugerit, ſervatis tamen de jure ſervandis extrahi, & Judicis competentis curiæ, pro merito puniendus, tradi poſſit, ac debeat: ſuper quo Nos Epiſcopis, aliiſque ſuperioribus Antiſtitibus, ad quos reſpectivè pertinet, & pertinebit imposterum, neceſſarias, & opportunas facultates præſentium tenore quoque impertimur. Quin etiam vivente adhuc altero, in ſingulari certamine graviter vulnerato, ſi percuſſor in locum immunem ſe receperit, ex quo eveniente illius morte, fugam arripere, & legum ſeveritatem evadere poſſe proſpiciatur; volumus, & reſpectivè permittimus, ut quatenus periti ad inſpiciendum vulnus acciti, grave vitæ periculum adeſſe retulerint, percuſſor ipſe, prævio ſemper decreto Epiſcopi, & cùm aſſiſtentia perſonæ Eccleſiaſticæ, ab eodem Epiſcopo deputatæ, ab hujusmodi loco immuni extractus, ſine mora carceribus mancipetur; eâ tamen lege Judicibus indictá, ut illum Eccleſiæ reſtituere debeant, ſi vulneratus ſuperſtes vivat ultra tempus, à legibus, quæ de homicidio ſunt, conſtitutum; alioquin in eaſdem pœnas incidant, quæ in memoratis Benedicti XIII. literis conſtitutæ ſunt adversùs illos, qui delinquentem in aliquo ex caſibus ibidem expreſſis, ex indiciis ad id ſufficientibus ſibi traditum reſtituere recuſant, poſtquam is in ſuis defenſionibus hujuſmodi indicia diluerit.

Præterea simili motu, & authoritate decernimus, ac declaramus, sepulturæ sacræ privationem à Sacrosancta Tridentina Synodo inflictam morientibus in loco duelli, & conflictûs, incurrendam perpetuò fore, etiam ante sententiam Judicis, à decedente etiam extra locum conflictûs ex vulnere, ibidem accepto, sive duellum publicè, sive privatim indictum fuerit, ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta pœnitentiæ signa dederit, atque à peccatis, & censuris absolutionem obtinuerit: sublatâ Episcopis, & Ordinariis locorum super hac pœna interpretandi, ac dispensandi facultate, quo cæteris documentum præbeatur fugiendi sceleris, ac debitam Ecclesiæ legibus obedientiam præstandi.

Monentur, & excitantur Reges, Principes, ac Duces.

In hujus demum sollicitudinis Nostræ societatem vocamus Charissimos in Christo filios nostros, Imperatorem Electum, cunctósque Catholicos Reges, necnon Principes, & Magistratus, militiæ Duces, atque Præfectos: eos omnes, & singulos, pro sua in Deum religione, ac pietate, enixè obtestamur in Domino, ut conjunctis studiis, & animis exitiosæ duellantium licentiæ, quâ regnorum tranquillitas, populi securitas, atque incolumitas, neque corporum solùm, sed, quæ nullo pretio æstimari potest, æternâ animarum vita certò periclitatur, omni nisu, & constantiâ vehementer obsistant; Neque sibi, suæque in Deum fidei, munerisque

que rationi fecisse satis intelligant, quòd optimè constitutis legibus, indictisque gravissimis pœnis horrendum scelus proscriptum sit; nisi accuratam ipsarum legum pœnarumque executionem graviter urgeant, ac promoveant, seque inexorabiles Dei vindices in eos, qui talia agunt, diligenter exhibeant: nam si delinquentes aut oscitanter ferant, aut molliter puniant, alieno sese crimine polluent, omnisque illius reos se constituent sanguinis, quem ita crudeliter effundi inultum permiserint: vani enim & falsi honoris idolo humanas litari victimas impune non feret supremus omnium Judex Deus, rationem aliquando exacturus ab iis, quorum est, Divina, & humana jura tueri, sibique creditorum hominum vitam servare, pro quibus sanguinem ipse suum, JEsus Christus effudit.


Volumus autem, ut præsentium literarum transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem ubique, etiam in judicio fides habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si originaliter forent exhibitæ, vel ostensæ: utque eædem præsentes in consuetis locis publicis hujus almæ urbis per cursores nostros, ùt moris est, publicatæ, & affixæ omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficiant,

ciant, acsi unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostram prohibitionis, damnationis, præcepti, statuti, declarationis, facultatum impertitionis, obtestationis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctam Mariam majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCLII. quarto Idus Novembris Pontificatûs nostri Anno tertio decimo.

Hactenus Constitutio. Quomodo autem Propositiones, à Sede Apostolica damnatæ, intelligi, & exponi debeant, an in sensu universali, aut particulari, disjunctivo, vel copulativo, ad id discernendum Prodromus in parte prima Th. Mor. exhibet à n. 19. regulas.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0030627

R. P. REUTER
THEOLOGIA
MORALIS

P. III.